HOMELIÆ,

SIVE SERMONES

eximij, præstantésq;, super Euangelia Dominicalia totius anni,

REVERENDI IN CHRISTO patris domini Gulielmi de Peraldo, ordinis fratrum Prædicatorum, sacræ paginæ doctoris, ac quondam Episcopi Lugdunensis,

Summa cura secundò editi.

MORI ET NON

DVRARE,



PERIRE.

LVGDVNI,

Apud Carolum Pesnot.

M. D. LXXVI.

LECTORI PIO SALVTEM.

SErmones hos verè aureos, primò cura atque sollicitudine fratris Bernardi de Croso, prædicatorum ordinis, sacræque Theologiæ doctoris (vt ex sequenti epistola ab eodem scripta elicere poteris) Auenione anno à salute mortalibus restituta M. D. XIX. typis mandatos, tibi denuo exhibemus, quàm fieri potuit emendatißimos. Idque ideo fecimus ne precium tanti volu-

minis deperiret. Dignum enim illud iudicauimus, quod verbi Dei præconum omnium manibus noctes diésque teratur. Igitur, pie Lector, laborem hunc nostrum, quem in tuam gratiam, totiusque orthodoxæ ecclesiæ commodum suscepimus, æqui boniq; consulas velim.

Vale. Lugduni

1576.

REVERENDO MAGIſtro noſtro Franciſco Archerij eximio ſacræ Theologiæ profeſſori, ordinis fratrum Prædicatorum prouinciæ Prouinciæ zelantiſſimo priori prouinciali, Frater Bernardus de Croſo eiuſdem ordinis ac facultatis immeritus doctor, & S. D. N. papæ pœnitentiarius in Auinione, S. plures optat penna beneuola depictas.

INter viros qui ab hiſtoricis & rerum ſcriptoribus laudari & extolli ſolent, tres maxime inuenio quorum egregia facinora memoratu digna ſummopere iudicantur, Ptolomæum Philadelphum Ægyptiorum regẽ, qui omnium ſuæ ætatis litterarum decus extitit atq; refugium. nam bibliothecam omni librorũ genere refertiſſimã ſummo

ornatu artificioque construxit, adeo quòd ad ipsum philosophi omnes tanquam pisces ad lucidum viuarium confluebant. Catonem Censorinum in rerum administratione prudentissimum, cui ex Romanis in reip. vtilitate nullus proponendus fuit: Iulium Cæsarem primum Romanæ gentis Imperatorẽ, qui maiores suos omnes ac posteros benignitate & clementia, largitate & munificentia excelluit atque superauit. His tribus, Reuerende magister noster prouincialis dignissime, & si non præferendum, parem tamen in laudem & gloriam te iudicandum esse censeo atque confirmo. Tua enim singularis prudentia, qua dignitati nostræ religionis ac saluti dies noctesque consulere studes, à me nec reticeri, nec silẽtio inuolui potest. Nullum quippe officium inuenitur ad priuatam disciplinam religionis pertinens, quod in te vel maxime non eluceat: publicam vero quis non nouit, admiratur & laudat? Quis hoc tuæ dignitatis munus, quo tanta prudentia, moderatione animi & summa integritate functus es, & maxima omnium gratulatione fungeris, non summis laudibus extollat, & maiora ac altiora tibi omni

officio

officio desideret atque peroptet? habes profecto hoc innatum vt alios regere & gubernare scias: tum etiam honorare pro meritis. quod dificile est, & pauci admodum nouerunt atque perficiũt:tibi autem vsque à teneris annis & exploratum & cognitum est. Sed ne in singulis morer R.P. arbitror te non latere Reuerendũ in Christo patrem, dominum Gulielmum de Peraldo olim Præsulẽ Lugdunẽsem, ordinis fratrum Prædicatorum,optimũ doctorem Theologum, acutissimúmque prædicatorem, insignem, moralissimum, disertissimum, qui suo tempore in prædicationis officio secundum non habuisse creditur, multa librorum volumina annotatione digna edidisse:inter quæ summã illam egregiam de virtutibus & vitiis præstanti stilo scriptam, sententiáque graui te sæpius ac sæpius & vidisse & legisse credo. Sermones autem dominicales super euangelia & epistolas:quam vberrimi sint quemque fructum in vinea domini sabaoth afferant nemo est qui nesciat, si sermones hos legat & intelligat. Cum igitur dudum sermones super epistolas dicti Reuerendi in Christo patris domini Gulielmi de Peral-

do impreſſos viderim, ſcienſque ipſum Reuerendum in Chriſto patrem, ſuper Euangelia melius, fructuoſius, compendioſiúſq; ſcripſiſſe: ſolerter in multis librariis inueſtigaui an integrè poſſent reperiri. His igitur diebus dragmam mulieris diu occultatam ac perditam reperi, ſcilicet ſermones ſuper euãgelia dominicalia & epiſtolas totius anni, qui omnes qui antea fuerant impreſſi (pace omnium dixerim) excellunt: hij ſunt ſermones prope diuini, moraliſſimi, bini, terni, vel quaterni, & quinterni ſuper vno Euangelio, nectare ac ſucco ſacrarum litterarum imbuti ac referti, vtpote à viro heroico editi: qui tamen vſque nunc ſub negligentiæ velamine oppreſſi fuerunt: & ne amplius perditionis interitum timeant, ſummopere effigiari diſcupiunt. Ego vero ne tot congeſti dies, noctes, laboreſque amplius ſubtrahantur, ſed potius poſteritatis commodo inſeruiant: Impreſſioni quàm potui emendatiſſimum demandare ſtatui. Vale religionis forma.

TABV

TABULA ALPHABETICA PRINCIPALES MATERIAS HUIUS LIBRI CŌPLECTENS.

* * *

Iesus

Mundus

Predi

Spiri

FINIS.

FINIS

DOMINICAE IN ADVENTV DOMINI SERMO PRIMVS.

Dicite filiæ Sion Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, &c. Matthei 21.

IN verbis istis habent prædicatores mandatum à spiritu sancto Vt loquantur, Cui loquantur, Et quid loquantur.

Ad primum pertinet illud: dicite. Ad secundũ illud. Filiæ Sion. Ad tertium illud, Ecce rex tuus venit &c.

Propter dictum mandatum non est tutum hodie à prædicatione cessare: vnde consuetudo est ecclesiæ fere vbique vt hodie prædicetur. Isa. 6. Væ mihi quia tacui. 1. Corinth. 9. Væ mihi si non euangelizauero. Ezech. 3. Sanguinem eius de manu tua requiram. Hodie etiam debent fideles libenter prędicationem audire. Spiritus enim sanctus qui voluit prędicatores loqui, voluit alios audire: cùm idem spiritus dicat Eccles. 32. Vbi non est auditus, non effundas sermonem. Aduentum illorum qui magni sunt secundum seculum, præuenire solet aliquis viam præparans: sic aduentum saluatoris præuenire debet sermo Dei velut nuncius viam præparãs. Vnde super illud Matth. 3. Parate viam Domini, rectas facite semitas eius. dicit glos. via domini ad cor dirigitur, cum sermo eius libenter auditur.

Cui vero prædicatores loqui debeant, ostenditur cũ subditur, Filiæ Sion. Et notandum quod Sion mons est in quo erat turris Dauid defendens ciuitatem Hierusalem, sicut mater filiam protegit: vnde filia Sion dicebatur ciuitas Hierusalem. Hic vero filiam Sion intelligimus militantem ecclesiã, quæ filia est ecclesiæ triumphantis, eam imitando, & defensionem ab ea suscipiendo. Cui significatio-

ni bene congruit interpretatio huius nominis Sion. Interpretatur enim ſpeculum, vel ſpecula. Speculum eſt triumphans eccleſia militantis ratione exempli. Exod. 25. Inſpice & fac ſecundum exemplar quod tibi in monte monſtratũ eſt. A ſanctis debet exemplum accipere eccleſia, non ab hominibus deo mortuis. Exod. 3. Solue calciamentum de pedibus tuis &c. Simile Ioſue 5. Specula verò eſt ratione præſidij: defendit enim eccleſia triumphans militantem vt filiam, ſi tamẽ illa non degeneret. Et notandum quod aliquando villa quæ ex ſe debilis eſt, fortis eſt ratione caſtri quod ſupra eam eſt, a quo defenditur, ſi tamẽ gratiam eorum habeat qui in caſtro ſunt: ſi verò inimici eius ſunt, tunc vndique ei timendum eſt. Sic licet eccleſia militans ex ſe debilis videatur, tamen valde fortis eſt ſi gratiam habuerit triumphantis. Si vero offenſa eſt triumphans eccleſia militanti: multum ei timendum eſt. Vnde Iudich 5, dixit ad Holofernem Achior, Si eſt aliqua iniquitas eórum in conſpectu dei eorum, Aſcendamus ad illos &c. Militans ergo eccleſia multum deberet captare gratiã triumphantis exhibendo reuerentiam locis ſacris, temporibus ſacris, legi dei, miniſtris eius ſcilicet pauperibus ſubueniendo: quod enim eis fit, deus reputat ſibi fieri. Matth. 25. Quod vni ex minimis meis feciſtis, &c. Poſſumus etiam per filiam Sion ſpiritualiter humiles intelligere. Erat enim ciuitas Hieruſalem, quæ dicebatur filia Sion, in valle. Filiæ ergo Sion dicitur, Ecce rex tuus venit tibi: quia humilibus ſpiritualiter ſaluator venit. Humiles ſpiritualiter humili regi ſunt dati. vnde ſuper illud Iohan. 6. Hæc eſt voluntas eius qui miſit me patris: vt omne quod dedit mihi non perdam ex eo. Dicit interlinearis. Datus eſt tantùm humilibus. gloſ. ibidẽ, De tumentibus perit: de puſillis nihil. Pſalm. Tu populum humilẽ ſaluum facies. Diabolus rex eſt ſuperborũ. Iob 41, Ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. Chriſtus vero eſt rex humilium. Greg. Euidentiſſimum ſignum reproborum ſuperbia eſt: humilitas electorum. Cum ergo quam quiſq; habeat cognoſcitur: ſub quo rege militet inuenitur. Illos qui erant in monte ſuperbiæ tumentes de altitudine potentiæ vel ſapientiæ Chriſtus dimiſit inanes. Bernard. Ad fratres de monte dei, Sinite, ſinite ſapientes huius mundi de ſpi

de spiritu huius mundi tumentes, alta sapientes & terram lingentes, sapienter descendere in infernum.

Quid loqui debeant ostenditur cum subditur, Ecce rex, tuus venit tibi. Et notandum quòd sacra scriptura distinguat triplicem aduentum saluatoris scilicet. Aduentum in carnem, Aduentum in mentem, Aduentum ad iudicium, vel particulare, quod est in morte vniuscuiusque vel generale, quod erit in fine mundi. In primo aduentu venit saluator ad nos secũdũ ecclesiæ representationẽ: in aliis vero secundum veritatem. Et primo de representatione primi aduentus prosequamur.

Triplex Aduentus.

Notandum ergo quòd hæc repræsentatio primi aduentus fit in ecclesia multis de causis vt sequitur. Primo vt per eam à somno pigritiæ excitemur: ad quod pertinet quod dicitur in epistola, Hora est iam nos de somno surgere &c. Secundo vt de misericordia saluatoris multum confidamus: attendentes quia caro & frater noster est. Bernard. Puto me iam spernere non poterit Cristus os de ossibus meis, & caro de carne mea. Tertio vt de tãto beneficio gaudẽtes vana mũdi gaudia respuamus. vnde Zacha. 9. ante illud, Ecce rex tuus venit tibi, dicitur, exulta satis filia Sion: iubila filia Hierusalem. Pauci tamen de hoc beneficio gaudent secundum eius magnitudinem. Bern. Ardorem desiderij patrum suspirantium Christi aduẽtum in carne frequentissimè cogitans, compungor & confundor in memetipso, & nunc vix contineo lachrimas: tantum pudet temporis torporísque miserabiliũ temporum horum. Cui namque nostrum tantum ingerat gaudium huius gratiæ exhibitio, quãtum accenderat veteribus sanctis desiderium promissio? Quarto vt magnitudinẽ huius beneficij considerantes benefactori grati esse studeamus & affectu & effectu. Affectu, eum ardenter amando: quia secundum Bernardum, in hoc loco nõ prędicatur magnus dominus & laudabilis nimis: sed factus paruulus & amabilis nimis. Effectu, ei deuote obediendo. Verissima enim domini recognitio est obedientia. Lucæ 6. Quid vocatis me domine domine: & non facitis quæ dico? Quinto vt ex honore nobis à deo exhibito dignitatem humanæ naturæ pensantes eam inhonorare timeamus: Bernard in sermo-

Representatio primi aduentus.

nibus, Mira quærentis dei dignatio: magna dignitas hominis sic quæsiti: in qua si gloriari voluerit, non erit insipiens. Non quòd aliquid esse videatur tanquam à se ipso: sed quòd tanti eum fecerit ipse qui fecit. Omnes enim diuitiæ, ómnis gloria mundi vel quicquid in eo cõcupiscitur minus est. Ad hanc gloriam immo nec est aliquid in eius comparatione.

Sermo secundus de eodem.

Dicite filiæ Sion ecce rex tuus venit tibi mansu.&c.

HÆc verba spiritus sanctus per Zachariã prophetam dixit, & per Matt. ad memoriã reduci voluit vt quatuor ostenderentur fidelibus circa aduentum saluator Aduenientis propinquitas, in hoc quòd dicitur, Ecce. Eius dẽ sublimitas, in hoc quòd dicitur, Rex. Aduentus vtilitas, in verbo quòd dicitur, Venit tibi. Aduenientis mansuetudo, in hoc quòd dicitur, Mansuetus.

Quatuor ostenduntur fidelibus.

Notandum est ergo quòd ostendere voluit propinquitatem, vt occurrere non differamus. Sublimitatem, vt secundum eam apparatum ei faciamus. Vtilitatem, vt caueamus culpam per quam ea priuari possemus. Mansuetudinem vero, ne territi à facie eius nos abscondamus vel fugiamus.

Circa primum notandum est quòd aduentus saluatoris in carnem secundum repræsentationem ecclesiæ propinquus est. Tempus enim deputatum pręparationi solennitatis natalis, vix est medietas temporis deputati pręparationi solennitatis paschæ. Ideo nec dilationi, nec negligentiæ locus debet esse vnde in epistola legitur: Dies appropinquabit, id est, in proximo erit. Dies inquam, natalis, quam fecit verus sol nascens in mundo isto. Abiiciamus ergo opera tenebrarum &c.

Aduentus etiam in mentẽ propinquus est. Habet enim fides ecclesiæ quod Christus spiritualiter venturus sit in solennitate natalis ad eos qui fuerint pręparati. Pręterea ipse stat ad ostiũ cordis, & pulsat, paratus intrare. Apoc. 3.

Ecce sto ad hostium & pulso.

Aduentus etiam ad iudicium particulare vel generale est proph. Ioel 3. Cito velociter vicissitudinem reddet in caput eorum. Iaco. 5. Iudex ante ianuam assistit. Apo. 3. Ecce veniā citò. Si dominus moraturus esset per mille annos: tamē respectu premij futuri vel pœnę, esset quasi vna hora. iuxta illud, Mille anni ante oculos meos &c. Quandoque est mors propinquior homini quam ipse credat, vt patet in illo Diuite, Luc. 12. qui dicebat; Anima mea multa bona habes posita &c. De occursu isto dicit Bernard. in sermonibus, Non oportet te homo maria trāsmeare, nō penetrare nubes, non transalpinare necesse est. Non grandis inquam tibi ostēditur via: vsque ad temetipsum occurre Deo tuo vt saltem exeas de sterquilinio miseræ conscientiæ. Quā indignum, illuc auctorem puritatis intrare?

Quantum ad primum aduentum, occurrendum est ei de tanto beneficio gaudendo & gratias agendo.

Quantum ad aduentum in mentem, occurrendum est orando. Sicut enim in primo aduentu non venit nisi multum desideratus: ita nec in aduentu spirituali. Aggei 1. Veniet desideratus cūctis gentibus. Item verbum dei audiendo. Numeri. 11. Cum descenderet super castra dei ros: descēdit pariter & man. In Psal. Descendet sicut pluuia in vellus. Descendente pluuia doctrinæ exterius: descendit deus interius. Item sincerè de eo meditando animo. s. à terrenis sollicitudinibus & affectionibus expedito, & ad deum suspenso. Bern. Nunquam vnctio cum venerit inueniat imimperatos: sed semper vultus suspensos expansósque sinus habentes ad largam dei benedictione.

Quantum ad aduentum ad iudicium, occurrendum est ei in veritate & misericordia. Hæ enim sunt viæ per quas venit. Dauid, Vię domini misericordia & veritas. Idem, Misericordia & veritas pręcedent faciē tuam. Securus erit in futuro iudicio, qui hic vere se iudicauerit. In psal. Feci iudicium & iustitiam non tra. me ca. 1. Cor. 11. Si nosmetipsos iudicaremus non vtique iudicaremur. Item misericordiam in futuro consequetur, qui hic misericors fuerit. Matt. 5. Beati misericordes, &c. De operibus etiam misericordię fiet disceptatio in iudicio, vt habetur Mat. 25. & Ia-

cobi.2.Iudicium sine misericordia fiet illi qui non fecerit misericordiam.

Circa secundum notandũ ꝙ ille qui aduenit:rex glorię est de quo in psal. Dominus virtutum ipse est rex gloriæ. Heb.1.qui cùm sit splendor gloriæ,&c.Immo est ipsa gloria dei patris.Proueb.10. secundũ aliã litteram, gloria patris est filius sapiens : quãto magis ille qui est ipsa sapiẽtia patris?Mira gloria dei patris est habere filiũ summæ potẽtiæ,summæ sapientiæ,summæ bonitatis , sibi equalem & coeternum.De hac gloria Isa.40.Reuelabitur gloria : domini:& videbit omnis caro salutare dei.Illi ergo , qui gloria est dei patris,gloriosus apparatus faciendus est vt scilicet locus gloriæ ei prouideatur. Et vestes gloriæ assumantur. Et delicię gloriæ pręparentur.

Hęc enim tria facere solemus cum aliquam personam honorabilem in hospitio nostro suscipimus. De quo dicit Dauid qui fuit vir secũdum cor dei,Domine dilexi decorem domus tuæ &c.Seneca,Cogitate nihil præter animũ esse mirabile,cui magno nihil est magnum.Sine cõparatio ne maius est cor humanum mundo,cum sit capax dei : cui mundus cõparatus est quasi gutta roris. Sapien. 11. Tanquã gutta roris antèlucani , sic est ante te orbis terrarum. Cor humanum palatium regium est : si tamen ibi debito modo, Consulatur: Imperetur: Et pareatur. Immo etiam regnum est:nec qualecumq; regnum,sed regnũ cælorum.Lucæ,17.Regnum dei intra vos est. Cælum etiam cælorum est cuius habitatio deo valde grata est. Ber. Nec mirum si libẽter inhabitat hoc cælũ dominus Iesus quod non quomodo ceteros dixit tantũ vt fieret: sed pugnauit vt acquireret : occubuit vt redimeret. Prouer. 8. Delitiæ meæ,esse cum filiis hominum. Iste locus est debito modo paratus,si sic paratur vt dictat pars suprema animæ,secundum quam specialiter attenditur similitudo ad dominum: quę pars semper malo remurmurat. Et tunc est anima locus gloriæ cum sic est parata secũdum illud,2.Cor.1.Gloria nostra hęc est testimoniũ conscientiæ nostræ. Tunc est pax vera in anima in qua pace factus est locus dei. Sine hac pace est anima velut domus perstillãs , in qua nõ est quies Prou.27.Tecta perstillantia,& litigiosa mulier cõparãtur.

Ad aſſumendas veſtes gloriæ monemur Eſa. 52. Induere ve ſtimẽtis gloriæ tuæ Hieruſalẽ. ciuitas ſancti. Veſtes gloriæ dicuntur veſtes ſpirituales ad differentiam corporalium, quæ ſunt veſtes ignominiæ. Bern. Qui gloriatur de veſte, ſimilis eſt furi qui gloriatur de cauterio: quia propter peccatum Adæ introductus eſt vſus veſtium. De veſtibus ſpiritualibus require in illo ſermone Dominus prope eſt, in epiſtolis. Deliciæ gloriæ quibus dominus paſcendus eſt, ſint eius laudes. In Pſal. Nunquid manducabo carnes taurorum &c. Immola deo ſacrificium laudis, & redde altiſſimo vota tua. Hæ delitiæ rectè dicũtur delitiæ gloriæ, cùm ſcriptum ſit, Sacrificium laudis honorificabit me. Glorificatio vero iſta non debet eſſe oris ſolum: ſed & cordis & corporis. 1. Cor. 6. Glorificate & portate deũ in corde veſtro. Econtra Eſa. 29. Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe eſt à me.

Circa tertiũ notandum ꝙ illi qui in hoc ſacro tempore à peccato non cauent: ſaluatorem aduenientem quaſi manibus à ſe repellunt: dum immundicia operum ſuorum, ad uentum iſtius ad ſe impediunt. Murum etiam faciunt inter ſe & ſaluatorem: dum peccatum peccato addunt. Iſa. 59. Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos & deum veſtrum &c. Tales habent multiplicem materiam doloris.

Quarum prima quòd ille qui aliorum eſt ſaluator, illorum eſt damnator. Alij poſſunt dicere, Saluatorẽ expectamus: ipſi poſſunt dicere, Damnatorem expectamus. Si duo ſunt in carcere vno, quorum alter ſperet probabiliter ſe liberandum cùm dominus carceris venerit, Reliquus vero credat ſe damnandũ & dicatur vtrique, Cras dominus veniet: ſicut vnus habet materiam gaudij, ſic alter doloris. Item augmentum doloris eſt quòd tales aliquando fuerũt de populo qui ſaluatur. Deuteron. penul. Beatus es tu Iſrael, quis ſimilis tui popule qui ſaluaris in domino? & Matt. 1. Vocabis nomen eius Ieſum. Ipſe enim ſaluum faciet pòpulum ſuum à peccatis eorum. Tales ſunt vt apoſtatæ. vnde Boetius in libro conſolationum, In omni aduerſitate fortunæ infæliciſſimum genus infortunij eſt fuiſſe fælicem. Alia materia doloris eſt quòd cum alij facturi ſunt feſtum nobile lætitia magna ſicut

illi cum quibus deus erit: ipsi facturi sunt festũ honorabile in amaritudine conscientię, sicut illi cum quibus diabolus erit. Iob. 28. Vadent & venient super eum horribiles. Alia materia doloris est cùm considerãt quid facturi sunt in secundo aduentu, quando dominus vẽturus est vt vindicet contumelias suas, qui ita malè se habuerunt ad eum in primo aduentu vel secundo. Esa. 10. Quid facietis in die visitationis, & calamitatis de superuenientis. Esa. 30. Nomen dei dè longinquo venit: ardens furor eius.

Circa quartum notandum quòd aliqui à facie saluatoris fugiunt, vel se abscondunt. Fugiunt illi qui à predicatione vel aliis vbi deum inuenire possent declinant. Prouer. 28. Fugit impius nemine persequente. Illi vero se abscondunt à deo, qui peccata sua occultant illi qui loco dei est, sicut Adam. Genes. 3. Vocem tuam domine audiui in paradiso & timui: eo quòd nudus essem, & abscondi me. Huius vero abscõsionis signum vel occasio solet esse hoc quòd credunt se malos reputandos à sacerdote si peccata enormia ei confessi fuerint: cuius contrarium potius debeat credere sacerdos. Rex mansuetus potius amãdus est quam timendus. Rex iste agnus est, quem petebat Esa. 6. dicens, Emitte agnum domino domino tuo. Beata virgo de leone fecit agnum, sicut dicitur de rinocerote siue de vnicorni, nulla violentia domabili, quòd in sinu virginis caput reclinans mansuescit. Mansuetudo virtus est valde necessaria dominantibus. Ambros. in hexameron. Apibus, inquit, rex natura clar⁹ est & insignis, vt magnitudine pręstet & spem, & quod in rege est precipuum, morum mansuetudinem. Nam si habeat aculeum, non vtitur eo ad vindicandum.

Sermo tertius de eodem.

Dicite filiæ Sion ecce rex tuus venit tibi mansuet. &c.

Anima sancta quattuor nominibus vocatur.

Notandum quòd anima bona quattuor vocatur nominibus quibus in eis quæ sibi agẽda sunt instruitur: Filia principis: Filia Siõ: Filia Iuda: Filia Hierusalẽ. De

De primo Cāti.7.Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis,filia principis.Gressus,id est,progressus & profectus animæ quæ filia est cælestis principis valde pulchri sunt deo & angelis eius,quando fiunt ad exempla sanctorum quæ per calceamenta intelligūtur:& hoc est primum initium animæ,vt secundum nobilitatem suam intelligat, vt cum nobilitate generis morum nobilitate certet. Aliter viuit filius ignobilis,aliter etiam viuit agnus, aliter lupi catulus: vnde & in hominibus & in brutis animalibus variatur modus viuendi secundum varietatem generis. De secundo & tertio habetur zachariæ 9. Exulta satis filia Sion: iubila filia Hierusalem. In hoc nomine, filia Sion, ostenditur animæ secundum quòd ei faciendum est. In speculo enim sacræ scripturæ faciem suam debet respicere, vt videat an sint in ea sordes quæ cælesti sponso displiceant. Speculum istud significatum est in speculis que ponebantur in lauatorio siue labio æneo, propter hoc quòd anima faciē suam debeat videre in speculo sacræ scripturæ. Canti.5. Oculi eius sicut columbę super riuulos aquarum quæ lacte sunt lotæ, &c. Colūba sedet super aquas, in quibus videns vmbram accipitris, cauet sibi ab eo. Sic anima in aquis scripturæ debet videre vmbram accipitris infernalis, peccatum secundum quòd est similitudo diaboli,vt sibi ab eo caueat. De tertio habetur Daniel.13. Sic faciebatis filiabus Israel:sed nō filia Iuda sustinuit iniquitatem vestram. Non potest nobilis anima diu sustinere immundiciam peccati. In hoc nomine Iuda intelligitur tertium quod animæ agendum est. Sordes enim quas in speculo sacræ scripturæ videt, per confessionem lauare debet: Canti. 2. Ostende mihi faciem tuam. & subditur, Sonet vox tua in auribus meis. Vox inquam confessionis Prouerbo. 28. Quia abscondit scelera sua, non dirigetur &c. Quarto debet anima habere pacem pectoris, & desiderare pacem eternitatis: quod ostenditur cum filia Hierusalem vocatur. Hierusalem enim interpretatur pacifica vel visio pacis. De pace require in titulo De beatitudinibus. Econtrario anima peccatrix quatuor nominibus vocatur: Filia latronis, Filia Edom, Filia Babylonis, Filia belial.

Anima peccatrix quatuor nominibus vocatur.

De primo Micheæ 5. Nunc vastaberis filia latronis. Filia latronis est anima que imitatur illum magnum latronem infernali suspendio iam damnatum. Quæ etiam in tali statu est in quali latro iam funem habens in collo quo suspendetur. Funis iste mortale peccatum est, sine quo nullus in inferno suspendetur: væ illi animæ, quæ potius eligit esse filia latronis, quam filia principis. Filia Edom est illa anima que sanguine peccati inquinata est. Edom enim interpretatur sanguineus vel terrenus. Quæ non vult esse filia Sion: merito efficitur filia Edom. Anima enim quæ in speculo sacræ scripturæ sordes suas non aspicit: eas non abluit. Filia etiam Babylonis seu confusionis est anima peccatrix quæ vult esse filia confessionis Naum 3. Reuelabo pudenda tua in facie tua: & ostendam gentibus nuditatem tuam & regnis ignominiam tuam. In Psalmo, Filia Babylonis misera, beatus qui retribuet &c. Item filia Belial dicitur 1. Reg. 1. Ne repures ancillam tuam quasi vnam de filiabus Belial. Belial interpretatur absque iugo: & absque suaui iugo Christi vult esse anima peccatrix: sine quo iugo pax pectoris vel requies nō inuenitur. Matt. 11. Tollite iugum meum super vos & discite à me quia mitis sum & humilis corde &c. Augu. Iugum Christi suaue est: quia qui huic iugo subiectus est, cætera ei subiecta sunt, & nihil ei repugnat. Psalmo, Pax multa diligentibus legem tuam. Econtrario, Non est pax impiis, Isa. 57. Item psal. Contritio & infælicitas in viis eorum &c.

Sermo quartus de eodem.

Dicite filiæ Sion, Ecce rex tuus venit tibi.

ANtiqui fideles fuerunt in expectatione saluatoris eis promissi. Isa. 8. Expectabo dominum qui abscondit faciem suã à domo Israel. & Lucæ 2. dicitur de Symeone quòd erat expectans cõsolationem Israel. Moderni etiam fideles sunt in expectatione saluatoris: iuxta mandatum illius Lucæ 12. Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum quando reuertatur à nuptiis. Phil. 3. Saluatorem expectamus &c. Antiqui expectabant aduentum

in car

in carnem. Moderni expectant aduentum in mentem vel ad iudicium. Scilicet timendum est ne quantum ad multos accidat de iis aduentibus sicut de primo accidit. Prænunciatus erat ille aduẽtus à multis: & longe ante & multi petierant eum: & tamen receperunt Iudæi valde male eum aduenientem. Bethleem enim in qua natus est: adeo plena fuit, ꝙ non fuit ei locus nisi in diuersorio. Sic multi tempore aduẽtus adeo se occupant circa trãsitoria, quòd non inuenit saluator locum in eis vbi recipiatur. Quantum vero displicuerit saluatori quòd eum recipere noluerunt: ostendit ipse Luc. 21. dicẽs ciuitati Hierusalem, Non relinquetur in te lapis super lapidem: eò quòd nõ cognoueris tempus visitationis tuæ. Simile accidet de aduentu ad iudicium. Vnde 1. ad Thess. 5. Cum dixerint, Pax & securitas, repentinus super eos veniet interitus. Et notandum quòd tria specialiter præparant homines quantum ad aduentum saluatoris in mentem. Hæc tria sunt Puritas, Magnitudo desiderij, Et humilitas.

Puritas præparat: quia ille qui venturus est, candor est lucis æternæ: & candidam oportet esse animam in qua ipse sedem elegerit secundum Bernar. Psalmus, Confessio & pulchritudo in conspectu eius &c.

Magnitudo etiam desiderij preparat ad idem libentius declinat aliquis ad hospitiũ in quo credit aduẽtum suum desiderari: sic & saluator. vnde Aggei. 2. Veniet desideratus cunctis gentibus. Desiderium hoc exprimunt verba prophetarum, vt illud Esa. 64. Vtinam disrumperes cælos & ve. & illud, Veni ad liberandum nos, & similia. Antiphonæ etiam quæ cantantur in fine aduentus sunt quasi clamores desiderantium aduentum saluatoris.

Desideratus est saluator A superioribus. A prioribus. A posterioribus. Ab inferioribus.

Notandum est ergo quòd ad claritatem supernorum, id est angelorum pertinet antiphona illa, O sapientia, in quà via prudentiæ dicitur esse modus redemptionis quo prudentia Christi percussit superbum vt legitur Iob 26. quem modum angeli ignorabant.

Ad priores scilicet reges & prophetas pertinent duæ sequentes antiphonæ de quibus Lucæ 10. Multi reges & proph

prophetæ voluerunt videre quæ vos &c. Illa antiphon. O adonay, quæ loquitur de visione rubi, pertinet ad prophetas: ad reges pertinet illa O radix Iesse.

Ad inferiores, secundum ad illos qui in limbo erāt vincti & in tenebris, pertinent illæ duæ. O clauis. & O oriens splendor. l.æ.

Ad posteriores, secundum ad gentes & ad Iudæos pertinent illæ, O rex gentium. & O emanuel.

Causa desiderij in antiquis fuit duplex. secundum periculosus status in quo erant: quod omnes descendebant in infernū. In tali statu erant in quali ille qui ducitur ad patibulum, & desiderat aduentum domini sui qui eum liberet. Hieron. miserior homine qui æternæ mortis terrore prostratus, ad hoc tantùm sensum acceperat vt perieret. Alia causa erat abundantia gratiæ in aduentu Christi promissa, Videntes se grauari in curia iustitiæ: appellabant ad curiam misericordiæ. Eccle. 35. Speciosa est misericordia dei in tempore tribulationis &c.

De desiderio secundi aduentus notandum est quòd septem sunt quę si cogitentur, valent ad hoc, vt ille qui per mortale peccatum deum deseruit, eius aduētum desideret.

Septem sunt consideranda peccatori.

Primum est vt cogitet quē reliquit quia reliquit deum. Secundum est vt cogitet causam quare reliquit deum. Tertium est vt cogitet quid cum eo reliquerit: quia omne bonum. Quartum est vt cogitet cui adhæserit. Io. 6. Dixit Petrus domino, Domine ád quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Quintum est vt cogitet quid diabolo adhęrendo inuenit: quia omnem miseriam. Sextum est vt cogitet quòd nisi adueniat deus: nón recedet diabolus. Septimū est vt cogitet quòd non potest homo venire ad deum per gloriam, nisi deus adueniat ei per gratiam.

Septem ergo debet homo cogitare, secundum quem te liquit: quia videlicet Reliquit patrem suum: Negauit dominum suum: Recessit à liberatore suo.

De primo Deut. 32. Deum qui te genuit dereliquisti. &c. Naturalis est amor filij in patrem: & naturalis dolor de eius offensa. Præcipuè verò dolendum est de offensa patris cælestis. August. Amandus est genitor: sed pręponendus est creator.

De

De secundo notandum quòd opprobrium magnum est dominum suum negare, & maximè illum dominum à quo omnia bona tantùm: de quibus bonis victum habet & vestitũ. Diabolus non habet festucam de suo quã possit homini dare. Psal. Domini est terra, & plenitudo eius. Iosue. 24. Absit à nobis hoc scelus vt recedamus à domino.

De tertio nota quòd multum dolere debet qui se recessisse videt ab eo qui morte propria à morte æterna eum liberauit. Eccle. 29. Ingratus sensu dereliquit liberantem se. Refertur leo quem quidam miles liberauerat à serpente, adhesisse liberatori suo. Econtra multi relicto Christo adherẽt serpenti infernali. Iud. 3. Erui vos de manu eorũ: & tamen dereliquistis me. Causam quare reliquit dominum, Hierem. 2. Quid inuenerunt in me patres vestri iniquitatis, quia elongauerunt à me, & ambulauerunt & vani facti sunt. Dan. 3. Peccauimus, & iniquè egimus recedentes à te. Hiere. Omnes qui te derelin. cõ. &c. Quid cũ eo reliquerit: quia omne bonum. Oseæ septimo, Profecit Israel bonum. Luc. 10. ille qui incidit in latrones, despoliatus fuit: & filius prodigus bona sua dissipauit, eiusdẽ, 15. August. Tale bonum est deus, vt nemini deserenti eum bene sit. Quid erit bonum peccanti mortaliter, ex quo ipse malus est sibi seipsum occidendo? Sap. 14. Homo per maliciam oc. a. ſ. Triplex bonum amittit qui deum deserit secundum. Honestum: Delectabile: Expediens.

De primo dicit Sapiens, Apud sapientes sunt honesta: apud vulgus imagines rerum honestarum vel simulacra.

De secundo Hiere. 2. Dereliquerunt me fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas. &c. Hæ cisternæ sunt creaturæ in quibus non inuenitur perseuerans iocunditas. Hiere. 17. Dereliquerunt venam aquarum viuentium dominũ. Aqua voluptatis est quasi aqua mortua & corrupta Seneca, Voluptates nõ sunt solidę, non sunt fideles: etiã si nõ nocent, fugiunt. potius aliquod bonũ mansurũ circunspice: sola virtus gaudium prestat perpetuum & securum. De bono expedienti patet quòd amittitur ab eo qui peccat: quia secundum Sen. nihil est homini bonum sine se bono. Eccle. 13. Bona est substantia illi cui nõ est peccatũ in conscientia &c. Cui adhæserit Iohannis. 6. dixit Petrus domi

domino, Ad quem ibimus: Grego. Stultum est seruire diabolo offenso, qui nullo placatur obsequio. Bernar. in persona domini, Quid causæ est quòd inimico meo vestróque potius seruire vultis quam mihi?

Quintum est vt cogitet quid diabolo adhærendo inuenit: quia omnem miseriam. Oseæ 7. væ iis, quoniam recesserunt à me. Ecclesiasti. 41. Væ vobis viri impij qui dereliquistis legem altissimi &c. Hiere. 2. Scito & vide quia malum & amarũ est dereliquisse te dominũ deum tuum. Hiere. 17. Domine omnes qui te derelinquunt confundantur: recedentes à te in terra scribentur q.d. &c. Sextum est vt cogitet quòd nisi adueniat deus, non recedet diabolus. Dauid, Ad nihilum deductus est in con. eius.m. Septimum est vt cogitet quòd non potest homo venire ad deum vel gloriam, nisi deus adueniat ei per gratiam: quia murus à solo deo dissolubilis est inter ipsos, peccatum scilicet vnde Isa. 59. Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum. Oseæ 12. Perditio tua Israel: tantum modo ex me auxi.t. Humilitas multum præparat ad aduentum saluatoris in mentem: Humilibus enim dominus dat gratiam. Iaco. 3. & 1. pe. 5. Humiles etiam consolatur deus 2. Corin. 7. & Esa. 66. Ad quem respiciam nisi ad hu. & q. &c. Humilitas beatæ virginis causa fuit vt filius dei ad eam veniret. Canti. 1. Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit suauitatem odoris.

Sermo quintus de eodem.

Dicite filiæ Sion, Ecce rex tuus venit tibi. &c.

Triplex aduentus.

Hoc tempus, tempus deuotionis est. in quo fidelibus Aduentus saluatoris in carnem recolitur: Aduentus ad iudicium prænunciatur: Aduentus in mẽtem expectatur. Aduentus in carnem magnus apparebit, si attendatur à quot & quantis & quam longè antequam fuerit sit prænunciatus: quæ patent ex diuersis locis scripturæ. Gen. 49. Non auferetur sceptrum de Iuda & dux de femore eius, donec &c. Esa. 52. Videbunt omnes fines terræ salutare

tare dei nostri.Hiere.23.Suscitabo dauid germem iustum &c. Zacha. 9. Ecce rex tuus veniet. Item si attendatur quantum fuerit desideratus,Esa.64. Vtinam disrumperes cælos,& descenderes.Aggei.2.Veniet desideratus cunctis gentibus.Esaiæ 16.Emitte agnum domine,dominatorem terræ,&c.eiusdem. 62.Propter Sion non tacebo &c. Item si attendatur quantum ad gaudendum de hoc aduentu monuerit spiritus sanctus Ioel. 2. Filiæ Sion exultate & lætamini in domino deo vestro,quia dedit vobis decorem iusticiæ. zacha.2. Lauda & lætare filia Sion, quia ecce venio & habitabo in medio tui.Zacha. 9. Exulta satis filia Sion:iubila filia Hierusalem.Ecce &c.

Item si attendatur

Quis. Vnde Et quo Et quare	venerit.

Ad primum monet apostolus ad Hebreos 7.Intuemini quantus est hic &c.Bern.Ipse est secundum Gabriel.testimonium altissimi filius: ac ideo coaltissimus.Venit autem de longe,Esa.30.Ecce nomen domini venit de longinquo. A summo enim cęlo egressio eius.Venit autem in carceris huius horrorem.Causa autem quare venerit fuit, Ex parte eius:magna misericordia & charitas copiosa. In nobis vero liberatio à pæna cuius propter peccatum primorum parentum debitores eramus: Et gratiæ abundantia.

Triplicis pęnæ erant homines debitores,etiã amici dei: scilicet, Carentiæ visionis dei. Deuteron. 32. Abscondam faciẽ meam ab eis &c. Alia pœna erat quòd clausum erat homini cælum empireum. Adam si fuisset deo obediens in esu ligni vitæ , sic melioratus fuisset quòd nec senio nec infirmitate defecisset, & post sine morte translatus fuisset in cælum empireum. Tertia pœna erat quòd vincti erãt carcere inferni. Zachar.9. Tu autem in sanguine testamenti tui emisisti vinctos de lacu &c.

Nota de carentia visionis dei, quòd cum finis sit optimum in vnoquoq;, visio illa optimum hominis est,vnde Dauid, Faciem tuam domine requiram Iob 33. Videbis faciem eius in iubilo. Dauid, Lætificabis eum in gaudio cum

cum vul. t. Ber. Illud est verum & summũ gaudium quod non de creatura sed de creatore conspicitur: quod cum possederis, nemo tollet à te. Cui comparata omnis aliunde iocunditas mæror est: omnis suauitas dolor: omne dulce amarum: omne decorũ fedum: omne postremo quodcunque delectare possit molestum. Abundantiam gratiæ adduxit saluator: optimi enim est optima adducere vt dicit Dionysius, Iam non est aliquis sine gratia dei, nisi sit per magnam negligentiam suam 1. Ioan. 2. Siquis peccauerit, aduocatũ habemus apud patrem, Iesum Christum. Ioan. 11. Sciebam quia semper me audis. Hebreo. 5. In omnibus exauditus est pro sua reuerentia. Preter mediatorem etiam habemus beatam virginem & tot alios intercessores, quòd iam non potest durare ita domini ad homines, nisi hoc sit per magnam culpam eorum.

Quia aduentus ad iudicium magnum quid sit apparere potest ex sex, secundum Per hoc quòd tãtùm loquitur sacra scriptura de illò. Per signa terribilia quæ illud præcedent: & per modum veniendi. Veniet enim tunc cum tota triumphante ecclesia. Per corpora quæ tunc resurgent. Item per illos qui ibi iudicabuntur. Ibi enim iudicabuntur maximi. Sapient. 6. Iudicium durissimum iis qui præsunt fiet. Item per ea de quibus iudicabũtur. Ecclesiast. 12. Cuncta quæ fiunt adducet deus in iudicium &c. Item per magna quæ ibi fient. Omnibus enim ibi congregatis ad iudicabitur regnum cælorum, vel infernale suspendium. Tunc ecclesia consummabitur. De aduentu vero in mentem quòd magnum quid sit non ita apparet, quòd aduentus ille inuisibilis est. Iob 9. Si venerit, non videbo eum.

Septem sunt consideranda circa aduentum.

Septem vero sunt quibus cognosci potest quòd non modicum quid sit aduentus iste. Primum est quòd cum aduentus in carnem sit solius filij in carne mortali apparentis, & aduentus ad iudicium sit etiã tantùm filij in carne apparentis: aduentus tamen in mentem est totius trinitatis. Ioann. 15. Ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus. Secundum est homo quòd cum aduentus in carnem, & aduentus ad iudicium communes sint bonis & malis: aduentus in mentem specialis est bonorum. Tertium est quòd iste aduẽtus non solũ est ad nos: secundum etiam

etiam in nos. Sen. Propre est Deus, tecũ est, in te est. Io. 15. Vos eum cognoscetis quia apud vos, &c. Magna securitas est habere Deum in se. Dauid. Si ambulauero in medio vmbræ mortis, &c. Magnum thesaurum habet, qui Deum habet. Aug. Aurum habens in arca diues est: Deum habens in corde, diues non est? Quartum est quòd aduentus in carnem sine aduentu in mentem homini occasionaliter est nociuus: quantum ad hoc quòd erit ei ad augmẽtum dãnationis, qui tanto beneficio ingratus fuit. Quintum est quòd aduentus ad iudicium erit cõtra illos ad quos nunc spiritualiter saluator non venit. Vnde dicẽt montibus, Cadite super nos: & collibus, operite nos, à facie sedentis super throno, & ab ira agni. Apoc. 6. Sextum est quòd in primo aduẽtu venit saluator ad nos in cælum rediturus: in mentem vero venit ibi mansurus, nisi immundicia operum nostrorum quasi propriis manibus expulerimus eum. Ioan. 15. Ad eum veniemus, & mansionẽ apud eum faciemus. Item ibidem, Vt maneat vobiscum in æternum. Septimum est quòd nisi ad nos venerit: venire ad ipsum non possumus. Matt. 25. Hospes fui & non collegistis me, &c. & præmittitur pœna: Discedite à me maledicti in ignem æternum.

Dominicæ secundæ in Aduentu Domini

SERMO PRIMVS.

ERunt signa in Sole, & Luna, & Stellis, &c. Lucæ 21.

Hoc tempore recolit ecclesia aduentum sapientiæ Dei in mundum: vnde hoc tempore debent homines operam dare vt fiant sapientes.

Duplex principiũ sapientiæ.

Duplex autem est principium sapientiæ. Primum est desiderium addiscendi, siue amor sapiẽtiæ. Secundum est timor Dei. De primo Sapien. 6. Initium sapientiæ est verissima disciplinæ concupiscentia. Prouer. 16. Posside sapientiam quia melior est auro. Sapien. 16. Omne aurum in cõ. il. &c. De alio principio sapientiæ dicitur, Prouerb. 1. Timor domini principium sapientiæ. Ad quem timorem

introducendum multum valet conſideratio aduentus ad iudicium, de quo agitur in hodierno officio, & specialiter in euangelio in quo tria ponuntur. Primo ſigna præcedentia aduentũ iudicis ponuntur. Secundo modus aduentus exprimitur ibi, Et tunc videbunt &c. Tertio conſolatio bonorum ſubditur, ibi, His autem fieri incipi. &c.

Dimiſſis vero duobus vltimis, de ſignis modo vobis loquemur. Et primò ſigna euangelij declarabimus. Secũdò ſigna quæ inuenit Hieronymus in annalibus libris Hebreorũ enumerabimus. Tertiò quare ſigna præcedent iudicium tangemus. Tanguntur autem quinque ſigna in euangelio hodierno, ſcilicet, Primum in ſole: Secundum in luna: Tertium in ſtellis: Quartum in terra: Quintum in mari. Duo prima ſpecificantur Ioel. primo, Sol conuertetur in tenebras, & luna in ſanguinem antequam veniat dies domini, &c. De tribus ſimul habetur Apocalipſ. 6. Vidi, & ecce terræmotus factus eſt magnus, & ſol factus eſt niger tanquam ſaccus cilicinus, & luna tota facta eſt ſicut ſanguis, & ſtellæ de cælo ceciderunt ſuper terram &c. De eiſdem habetur Matt. 24. Sol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cælo. De quarto, ſcilicet de preſſura in terris, legitur ibidem, Erit tunc tribulatio qualis non fuit ab initio mundi, neque fiet. Simile habetur Dan. 12. veniet tale tempus quale non fuit ab eo ex quo gentes eſſe ceperunt vſque ad tempus illum. Signum vero quintum ſcilicet maris confuſionem, aliqui fore exiſtimant hoc quòd mare cum fragore magno peribit ſecundum illud Apoca. 21. Et mare non eſt. Vel confuſionem iſtam poſſumus intelligere turbationẽ maris nouam qualis nunquam viſa eſt. Grego. in omelia, Confuſio maris & fluctuum necdum noua exorta eſt: ſed cum iam multa prænunciata completa ſint, dubium non eſt quin ſequantur etiam pauca quæ reſtant, quia ſequentium rerum certitudo eſt præteritarum exhibitio. Hieronymus vero in annalibus libris ebreorum inuenit quindecim, ſigna quindecim dierum ante diem iudicij. Sed vtrum continui futuri ſunt dies illi, an interpolati, non expreſſit.

Quindecim ſignã ante diem iudicij ſũt hæc.

Prima die eriget ſe mare quadraginta cubitis ſuper altitudines montium, ſtans in loco ſuo quaſi murus. Secun-

dò tantum descendet vt vix videri possit. Tertiò marinæ beluæ apparentes supra mare dabunt rugitus vsque ad cælum. Quartò ardebit mare & aquæ. Quintò herbæ & arbores dabũt rorem sanguineum. Sexto die ruent ædificia. Septimo petræ adinuicem collidẽtur. Octauo generalis fiet terræmotus. Nono æquabitur terra. Decimo exibunt homines de cauernis & ibunt velut amentes, & non poterunt mutuo loqui. Vndecimo die surgent ossa mortuorum & stabunt supra sepulchra. Duodecimo stellæ cadent de firmamento. Tertiodecimo morientur homines tunc viuentes vt cum mortuis resurgant. Quartodecimo ardebit cælum & terra, idest, superficies terræ & aëris. Quintodecimo fiet cælum nouum & terra noua, & resurgent omnes.

Octo causæ quare signa indiciũ præcedent. Possunt assignari octo causæ quare signa iudiciũ præcedent. Prima causa est vt magnum malum futurum nuncient. Greg. Quid terrores quos cernimus nisi iræ sequentis precones dixerim. Ideo in omel. per crebra mala quæ præueniunt, indicantur mala perpetua quæ subsequuntur. Secunda causa est quam tangit Greg. in eadem omel. dicens, Quia in cunctis deliquimus, in cunctis ferimur. Et subdit, Omnia quæ ad vsum vitæ accepimus: ad vsum conuertimus culpæ: sed cuncta quæ ad vsum prauitatis inflectimus, ad vsum nobis cõuertuntur vltionis. Tertiam causam tangit Beda, dicens, Appropinquante suo termino elementa quasi pauida nutant & tremunt: quàm ergo erit timendũ homini? Quarta causa est vt creaturæ ostendantur paratæ esse ad vlciscendum creatorem de hostibus suis. Imminente guerra solet fieri armorum ostensio. Et hoc faciunt principes vt subditi eorum armati cõueniant. Sic fiet antequam Deus vindictam sumat de inimicis suis. Sap. 5. Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum. Et eiusdem 16. Creatura tibi creatori deseruiens exardescit in tormentum aduersus iniustos. Quinta causa tangitur super illud Esa. 24. Erubescet luna, & confundetur sol. Glo. Cernens illos qui eius lumine fruebantur nihil dignum dei bonitate fecisse. Sexta causa est vt sint incitamẽta doloris. Vnde Chryso. Patrefamilias moriẽte domus eius turbatur, familia eius plangit & nigris se vestimentis induit: Sic

humano genere, propter quòd facta sunt omnia, circa finem constituto, totus destruitur mundus, cæli ministeria lugent, & candore deposito tenebris induuntur. Septima causa est mundi senium. Mundus enim senex infatuatus est. De quo eccle. 25. Senem vero multa circumueniunt incommoda. Greg. in omel. Sicut in iuuẽtute viget corpus, forte & incolume manet pectus, corrosa ceruix, plena sunt brachia. In annis autem senilibus statura curuatur: ceruix exsiccata deponitur: frequentibus suspiriis pectus vrgetur: virtus deficit: loquẽtis verba anhelitus intercidit. Nam & si langor desit plerumque senibus ipsa sua salus ægritudo est. Ita mundus in annis prioribus velut in iuuentute viguit ad propagandam humani generis prolem robustus fuit: salute corporum viridis: opulentia rerum pinguis. At nunc ipsa senectute deprimitur, & quasi ad vicinam mortem molestiis crescentibus vrgetur. Octaua est vt ab amore mundi separemur. vnde Gre. in omel. Dominus ac redemptor noster paratos nos inuenire desiderans, senescentem mundum quæ mala sequantur denunciat, vt nos ab eius amore compescat.

Sermo secundus de eodem.

ERunt signa in sole & luna & stellis, &c.

In dominica præcedente recoluit ecclesia aduentum saluatoris in carnem, qui fuit in humilitate & mansuetudine. In hac prenunciat aduentum eius ad iudicium, qui erit in potestate & maiestate: vt qui amare noluerint humilem & mansuetum, saltem timeant potentem. Memoria primi aduentus valet ad spei subleuationem: prænunciatio secundi ad timoris incussionem. Inter spem & timorem debẽt esse fideles. Timor eos custodit ne euanescant: spes ne aduersa eos deiiciant. prouerb. 1. Auersio paruulorum interficiet eos: & prosperitas stultorum perdet eos. Conuenienter vero in dominica immediata dominicæ in qua ecclesia recoluit aduẽtum in carnem pronunciatur aduentus ad iudicium: propter temporis breuitate. Gre. Omne quod transit breue est. Idem super illud,

Solum

Solum mihi ſupereſt ſepulchrum. Pene mortuum ſe conſideret qui ſe moriturum non ignorat.

In euangelio vero hodierno. Primo ponuntur ſigna aduentum iudicis præcedentia. Secundo ſtatus eorum oſtenditur ad quos venturus eſt, ibi, Areſcentibus hominibus præ timore, &c. Tertio ſtatus eorum qui cum eo venturi ſunt, ibi, Virtutes cæli mouebuntur. Quarto deſcribitur modus aduentus iudicis, ibi, Tunc videbunt filium hominis veniẽtem in nubibus cæli, &c. Quinto ſubditur exhortatio bonorum conſolatoria. ibi: His autem fieri incipientibus reſpicite & leuate capita veſtra. Sexto ponitur exemplum ad dictorum declarationem, ibi, Videte ficulneam & omnes arbores, &c. Inter ſigna, Primo ponuntur ſigna de mutatione ſuperiorum, ibi, Erũt ſigna in ſole & luna & ſtellis, &c. Secundò immutatio inferiorum, ibi, Et in terris preſſura gentium, &c. Circa primum notandum quòd id quod dicitur hic de ſignis non ſolum poteſt intelligi ad litterã vt in precedenti ſermone oſtenſum eſt: ſed etiam miſticè & forſitan non minus conuenienter. Et ſecundum hoc miſtice intelligitur Sol Chriſtus: qui dicitur ſol iuſticiæ. Malach. vltimo. Vobis timentibus nomen meum orietur ſol iuſticiæ. Luna vero eccleſia a deo illuminata, quæ dicitur amicta ſole. Apoc. 12. Stellæ vero intelliguntur fideles lumen fidei habẽtes, & conuerſatione cæleſtes. Geneſ. 15. Suſpice cælum & numera ſtellas ſi potes: ſic erit ſemen tuum. Quæ ſigna verò futura ſint in ſole & luna & ſtellis, oſtenditur Matthei 24. his verbis, Sol obſcurabitur: Et luna non dabit lumen ſuum: Et ſtellæ cadent de cælo. Miſticè verum eſt, quia Sol iuſticiæ obſcurabitur: prædicatione eius & miraculis ceſſantibus. Luna non dabit lumen ſuum quia ſanctitas eccleſiæ miraculis non apparebit. Stellæ cadent de cœlo: quia multi conuerſationem celeſtem deſerent. De ſignis etiam ſolis & lunæ & ſtellarum. Legitur Apoc. 6. Vidi & ecce terræmotus factus eſt magnus, ideſt magna commotio terrena diligentium contra ſanctos. Et ſol factus eſt niger tanquam ſaccus cilicinus: quia Chriſtus prædicatione & miraculis non clareſcet. Immo antichriſtus & ſui videbuntur facere multa miracula: & ideo multi mouebuntur. Matth. 24. Surgent pſeudo Chriſti & pſeudo

prophetæ,& dabunt signa magna & prodigia ita vt in errorem inducantur si fieri potest etiam electi.Et luna tota facta est sicut sanguis: vbique enim patietur ecclesia à persecutoribus sanguinis effusionem.Ioel.2. Sol conuertetur in tenebras & luna in sanguinem antequam veniat dies domini,&c.Vel tota fiet sicut sanguis:quia malorum reputatione secundum omnem statum suum peccatrix erit.Peccatum enim per sanguinem intelligitur in Oseæ quarto,Sanguis sanguinem tetigit.Sequitur,Et stellæ cæli ceciderunt super terram,quia multi qui videbantur esse stellæ per fidei claritatem & celestem conuersationem: cadent per infidelitatem & impietatis perpetrationem. Potest etiam intelligi.In sole potestas ecclesiastica. In luna potestas secularis.Vnde in Genes.secundo, Fecit Deus duo magna luminaria.Luminare maius, vt præesset diei. Et luminare minus vt præesset nocti.Potestas ecclesiastica diei id est spiritualibus debet intendere. Potestas secularis nocti id est temporalibus. Et sicut contra naturam esset si sol luceret de nocte: sic contra naturam esse videtur,si potestas ecclesiastica transferat se ad ministrationem temporalium neglectis spiritualibus. Sicut legitur. secundi Machabeorum. 4.Sacerdotes iam non circa altaris officia dediti erant:sed contempto templo & sacrificiis neglectis festinabant participes fieri palestræ. Ioel.2.Sol & luna obtenebrati sunt ; & stellæ retraxerunt splendorem scilicet.Iam non lucet prælati radiis doctrinæ,Esayæ 53.Speculatores enim cæci omnes, &c.& post, Ipsi pastores ignorauerunt intelligentiam.ex quo consecutum est quod luna idest secularis potestas conuersa est in sanguinem velut legitur Ioel.vltimo. Potest enim illud de principibus dici, Manus vestræ sanguine plenæ sunt.Esa. 1.Eccle.34.Panis egentium vita pauperum: qui defraudat eũ,homo est sanguinis.Hiere. 2. In alis tuis inuentus est sanguis animarum pauperum innocentium.Alæ istæ sunt potentia & diuitię,quibus pauperes opprimuntur:vel alæ istæ possunt intelligi violentia & calumnia, quas exercent in subditos contra consilium Ioan.Baptistæ dicentis Luc.3.Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, &c.Hæ sunt alæ milui, de quibus in Zacha.v. Habebant alas quasi alas milui.miluus est auis rapax quæ insidiatur

infirmis

infirmis auibus vt pullis. Sic tales debiles & infirmos opprimũt & fortibus nõ resistunt. vnde fiet de eis sicut fit de miluo: cui capto extrahitur aliquod de intestinis & alij milui putantes quòd ferat intestinum, conueniunt, & omnia præcordia ei auferunt. Diuiti cupido quodammodo intestina extrahuntur: cum cor eius in bonis exterioribus ponitur. secundum illud Eccle. 10. In vita sua proiecit intima sua. Alij vero potentes & diuites conueniunt vt intestinum deuorent: ea quæ male congregauit diripiendo & deuastando. Prouer. 22. Qui calumniatur pauperi vt augeat diuitias suas: dabit ipse ditiori se, & egebit. Stellæ sunt fideles. Gen. 22. Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli & velut arenam quæ est in littore maris. Cum dicit stellas: pertinet ad fideles. quòd dicit arenam: pertinet ad infideles. Hæ stellæ cadent à cælo, quia multi recedent a fide. 1. Corinthiorum. 4. Spiritus manifestè dicit, In diebus nouissimis discedent quidam à fide. Finalis malicia diabolicæ per caudam draconis intelligitur. Apoc. 12. Trahet tertiam partem stellarum idest fidelium: Quidam fideles perfecti erunt: hi non trahentur. alij erunt mediocres: hi seducentur ad tempus: sed post reuertentur. alij verò simplices: & hi ex toto seducentur. Matth. 24. Multi venient in nomine meo dicentes, Ego sum Christus: & seducent multos. Apocalip. 8. Quartus angelus tuba cecinit, & percussa est tertia pars solis & tertia pars lunæ, & tertia pars stellarum. Et in terris præssura inquam tribulationum. Et nota quòd triplex inuenitur fuisse tribulatio. Prima fuit tyrannorum: Secunda hereticorum: Tertia hipocritarum: Quarta tribulatio erit tempore antichristi maior aliis. Vnde Daniel. 7. Videbam in visione mea nocte, & ecce quatuor venti pugnabant in medio maris, & quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diuisi inter se. Prima quasi leæna: hæc est crudelitas tyrannorum. Secunda visio similis vrsæ: hæc est versutia hæreticorum. Tertia quasi pardus: hæc est varietas & dolus hypocritarum. Quarta terribilis atque mirabilis & fortis nimis: hæc est antichristus. Potest etiam intelligi Sol potestas papę siue papalis: Luna potestas imperialis quæ à domino papa recipitur: Stellæ vero episcopi, secundum illud Apoc. 1. Septem stellæ, septem angeli,

Triplex tribulatio.

id eſt, epiſcopi ſunt ſeptem eccleſiarum. Notandum eſt ergo quòd Sol iam obſcuratus eſt: quia poteſtas papæ diminuta eſt cum eccleſia græcorum ab ea receſſit. Luna facta eſt ſicut ſanguis, id eſt, poteſtas imperialis per crudelitatem. Et multæ ſtellæ de cælo ceciderunt in terrã: quia multi epiſcopi quorum conuerſatio debuit eſſe in cælis: terrenæ facti ſunt conuerſationis. Fideles etiam in diuerſis partibus mundi opprimuntur ab infidelibus, qui per mare ſonans & fluctuans intelliguntur. Eſa. 57. Impij quaſi mare feruens quod quieſcere non poteſt. Status eorum ad quos veniet oſtenditur cùm dicitur Areſcentibus hominibus præ timore, & expectabant &c. Et nota quòd ſicut ſecuritas impinguat & reficit ſecundum illud Prouer. 15. Secura mens quaſi iuge conuiuium. Sic timor attenuat & exſiccat ſecundum illud prouer. 16. Spiritus triſtis exſiccat oſſa. Si vero ſic affligent mala illa expectata, quid facient præſentia? Status eorum qui cum iudice venturi ſunt oſtenditur cùm dicitur, Virtutes cælorum mouebuntur. Interlin. ſuper illud Mat. 24. Tremebunt angeli, quantomagis homines. Tremebunt, id eſt, ad modum trementium ſe habebunt, & timebunt timore reuerentiæ. Qui licet ſemper in eis ſit, tunc tamen præcipue in eis apparebit. Iob. 26. Columnæ cæli cõtremiſcent &c. Hieron. Quid facient virgulta deſerti vbi concutitur cedrus paradiſi? Chryſ. hoc intelligit de tali motione quali mouetur principes alicuius regis terreni, cùm rex vadit in expeditionem. Si rex inquid terrenus proceſſurus contra aliquam expeditionem mandat in populo, dignitates omnes mouentur, exercitus excitatur, tota ciuitas feruet: quantomagis rege cæleſti exurgente iudicare viuos & mortuos, angelicæ virtutes commouentur, & terribiles miniſtri terribiliorem dominum præcedunt?

Poſſunt tamen hic intelligi angeli, id eſt, prædicatores & electi firmiores, quorum virtutes mouebuntur. Tamen aliter quam in illis qui damnandi ſunt. In damnandis enim deſinent eſſe: in electis vero videbuntur deficere. Sicut lumen candelæ videtur extingui flatu alicuius, & tamen non extinguitur. Matthei. 24. Vt in errorem ducãtur ſi fieri poteſt etiã electi. Sicut de ſtella accidit quòd videtur cadere, tamen non cadit. Poeta: Et ſi non cecidit, potuit

potuit cecidisse videri. Psal.Mei pene moti sunt pedes:pene effusi sunt gressus mei.Itē,Impulsus euersus sum vt caderem, & dominus suscepit me. Item Nisi quia dominus adiuuit me,paulominus habitasset in inferno anima mea.

Sermo tertius,de eodem.

TVnc videbunt filium hominis,veniētem in nubibus cæli, &c.

His verbis ostenditur modus veniendi ad iudicium. Et verba singula pondus habent. Tunc videbunt,scilicet, hora qua non putatur.Mat.24.Estote parati: quia qua hora non putatis filius hominis veniet.Quod intelligēdum est de aduentu ad iudicium particulare quod est in morte vnius cuiusque 1. Thess.5.Cum dixerint pax & securitas: tunc repentinus superueniet eis interitus. Tunc videbunt eum Iudæi,qui hic videre eum noluerūt.Sap.2. Grauis est nobis ad videndum. Item, Tunc videbūt eum mali qui in membris suis eum abominantur.Vnde.Prouer.29. Abominantur impij eos qui in recta via sunt. Apparebit autem eis in illa visione valde terribilis, secundum illud Sapientiæ 5.Vidētes turbabuntur timore horribili.&c.Tria vero specialiter poterunt eis terrorem incutere. Quorum primum est potentia iudicis quæ erit summa: vnde non licet ab ea appellare. Potentia eius erit omnipotentia, quam non poterunt fugere.Dauid,Si ascendero in cælum, tu illic es &c.Itē,Non poterunt ei resistere.Chrysosto.Nec resistendi virtus : nec fugiendi facultas. Nec penitentiæ locus:nec satisfactionis tempus. Ex angustia omnium rerum nihil remanebit nisi luctus. Secundum est sapientiæ eius perspicacitas, cui nihil poterit abscondi. Ecclesi.12. Cuncta quæ fiunt adducet dominus in iudicium. Sapientiæ,16.Cogitationes nostras scrutabitur. Tertium est Zelus.Prouerbiorum,6. Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ: nec acquiescet cuiusquam precibus : nec suscipiet pro redēptione dona plurima.Chrysostomus , Tunc nec diuitiæ diuitibus:nec parentes parentibus intercedūt. Nec angeli sicut solebāt pro hominibus faciunt verbum: quia natura iudicij non recipit misericordiam. De Ze-

lo eius multum, loquitur ſcriptura ſacra. De Zelo iræ Dei legitur Danielis 7. Thronus eius flamma ignis. Malach.4.Ipſe enim eſt quaſi ignis conflans.Sapientiæ 5. Accipiet armaturam Zelus illius.Eſaiæ 20. Ardens furor eius,&c.Eiuſdem,66. Ecce dominus in igne veniet.Et dicit Auguſtinus, Quod malent reprobi omne tormentum ſuſtinere: quam faciem iudicis iracundi. Apocalypſis 6. Dicent montibus, Cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira agni:quoniam venict dies magnus iræ ipſorum.Et quis poterit ſtare? Malachi.3.Quis ſtabit ad videndum eum,&c.

Nota quòd dominus filium hominis ſe vocat in verbo proprio ſito tribus de cauſis. Primo propter exemplum humilitatis contra eos qui de nobilitate generis ſuperbientes, ab eo qui nobilior eſt in genere ſuo ſe denominant. Secundo quia in forma humana apparebit in iudicio:non in forma diuina. Tertio ad inſinuandum meritum quo ad gloriã talem deuenit. Humilitas enim quam in humilitate exhibuit, cauſa fuit quare ita exaltatus eſt. Philippen.2. Exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens. Propterquod & deus exaltauit illum. In nubibus veró ad litteram venit.Obſequentur enim nubes ei ad iudicium deſcendenti:ſicut obſecutæ ſunt ei in cælũ aſcendenti.Actuum ſecundo,Sic venit quemadmodum vidiſtis eum aſcendentem in cælum. Veniet autem cum poteſtate, id eſt, cum oſtenſione poteſtatis. Poteſtas eius ex multis apparebit,ſcilicet,vt ex mundi conflatione.Dauid, Ignis in conſpectu exardeſcet. Item, Ex multitudine eorum quos congregabit. Ioelis ſecundo, Congregabo omnes gentes & deducam eas in valle Ioſaphat:& diſceptabo cũ eis.In Pſalmis, Aduocauit cælum de ſurſum, & terram diſponere populum ſuum. Item, In puluerum collectione & corporum reſuſcitatione, 1. Corint.15.Omnes quidem reſurgemus. Item corporum electorum gloſificatione. Matth.13. Fulgebunt iuſti ſicut ſol in regno patris mei. Item in virtute vocis.Chryſoſto. Vere vox magna terribilis cui omnia obediunt elementa. Quæ petras ſcindit, inferos aperit, portas æreas conterit, vincula mortis diſrumpit & de profundo abyſſi animas liberatas corporibus ſuis aſſignat.Item in obſequio nubium, & innouatio,

nouatione cæli & terræ. Nullus homo de vno sacco veteri potest facere nouum. Quantum ergo erit hoc innouare cælum & terram? Item in auctoritate iudiciaria: pater enim non iudicat quenquam: sed omne iudicium dedit filio. Item videbunt eum in maiestate loco eius Matt. 13. glo. Tunc totus Christus caput, scilicet cum membris gloriosus apparebit indutus lumine sicut vestimento. Tunc omnes electi veste gloriosa induti erunt.

Et notandum quòd de modo veniẽdi ad iudicium aliqua tangit Matte. 24. quæ non tangit Lucas. Sicut est illud, Sicut fulgur exit in oriente & apparet vsque in occidente, ita erit aduentus filij hominis. Erit enim subitus & choruscus. Et illud, Tunc apparebit signum filij hominis in cælo. Præcedent enim insignia passionis Christi & exprobrabitur peccatoribus magnum beneficium passionis eis exhibitum: & requiret Christus mortẽ suam ab eis tanquam precium quod pro eis dedit: cum seipsos ei abstulerint qui ita care eos emerat. Et ostendetur magna ingratitudo eorum qui semel crucifixum pro eis iterum peccando crucifixerunt. Hebre. 6 Rursum cucifigentes sibimetipsis filium dei & ostentui habẽtes. Chrysosto. Non erit tunc necessitas accusationis: cum viderint crucem & ipsum Christum habentem in corpore suo testimonia passionis. Zacha. 12. Aspicient ad me quem crucifixerunt. Apoc. 1. Videbit eum omnis oculus & qui eum pupugerunt. Angustias in quibus tunc erunt peccatores & cetera pertinentia ad iudicium, require in summa virtutum, tractatu de timore.

Sermo quartus de eodem.

HIs autem fieri incipientibus, &c.

Hic electos hortatur & cõsolatur: hortatur cù dicit, Respicite & leuate capita vestra. Consolatur dicendo: quoniã appropinquat redẽptio vestra. Respicite per fidẽ: leuate per spẽ. Leuate capita vestra, id est, exhilarate corda vestra. Item capita leuare est mentes ad gaudia patriæ cælestis erigere. Spes eleuat, sicut desperatio deprimit. Gen. 4. Quare concidit facies tua? Et notandum quòd ad spei eleuationem tria videntur pertinere. Prima est vt ma

lum

lum transitorium non timeamus. Qui illud timet, est eo inferior. Qui verò non timet illud est eo superior: quodammodo enim illud cõculcat contemnendo. Dauid. Super inimicos meos despexit oculus meus, hoc est, desursum aspexit. Secundum est, vt in bonis temporalibus fiducia non habeatur. August. De Deo desperare est, spem in creaturis posuisse. 1. ad Ti. 6. Diuitibus huius sæculi præcipe non sublimè sapere, neque sperare in incerto diuitiarum. Tertium est, vt de meritis propriis non præsumatur. Iob. 10. Si iustus fuero, non leuabo caput: de iusticia, scilicet præsumendo. Lucæ 18. Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, Serui inutiles sumus. Item, notandum quòd merito monet dominus electos ad gaudẽdum cum mundus destruitur triplici ratione. Primo quidẽ via laboriosa eorum finitur. Greg. in omel. Quid est vita mortalis nisi via? Et quale sit fratres mei perpendite. In labore viæ lacescere: & tamen eandem viam nolite finire. Secundo, quia inimicus eorum destruitur. Mundus enim odit electos. Ioã. 15. Ego dedi eis sermonẽ meum: & mũdus eos odio habuit. Item in eod. Quia de mundo non estis: ideo odit vos mundus. Tertio, quia propinquat amicus Greg. in omel. Qui Deum diligũt ex mundi fine gaudere iubentur: quia eum quem amant mox inueniunt dum transit is quem non amauerũt, & hoc est, quod subditur: Quoniam appropinquat redemptio vestra. Et notandum: quòd est redemptio à captiuitate culpæ quæ facta est in primo aduentu. De qua Dauid. Redemptionem misit dominus populo suo. Et est redemptio à captiuitate pœnæ de qua hic. Rom. 8. Nos intra nos gemimus adoptionem filiorũ Dei expectantes, redemptionem corporis nostri.

Dominicæ tertiæ in Aduentu,

SERMO PRIMVS.

CVm audisset Ioannes in vinculis opera Christi, &c. Matth. 11. In hoc sacro tempore quatuor sunt dominicæ quæ videntur pertinere ad quadruplicem saluatoris aduentum. Primus est aduentus in carnem, ad quem pertinet

net prima dominica. In cuius euangelio legitur illud Zachar. 9. Ecce rex tuus venit tibi mansuetus. Secundus est aduentus ad iudicium, ad quem pertinet secunda dominica in qua legitur euangelium illud, Erunt signa in sole & luna & stellis. & subditur, Tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli. Tertius, est aduentus ad limbum, ad quem videtur pertinere tertia dominica: in cuius euangelio legitur illud, Tu es qui venturus es: an alium expectamus: quod exponit Gregor. de aduentu in limbum. Quartus est aduentus in mentem, ad quem pertinet quarta dominica. In festo enim natalis proximo illi dominicæ speratur saluator ad ecclesiam suam spiritualiter venturus. Vnde in epistola legitur, Dominus prope est, &c. Et in euangelio legitur illud, Dirigire viã dño, &c.

Et nota quòd aduentus in carnem & ad limbum cum gratiarum actione sunt recolendi. Aduentus ad iudicium cum timore est cogitandus. Aduentus verò in mentem cum diligenti præparatione expectandus. Et notandum est quòd euangelium hic tria specialiter continet. Primo Ioannis interrogationem, ibi, Cùm audisset in vinculis opera Christi. Saluatoris responsionem, ibi, & respondẽs Iesus, &c. Et Ioannis commendationẽ à saluatore factam ibi, Illis autem abeuntibus cepit dicere ad turbas, &c. Circa primum notandum quantum ad literã quòd Greg. & Hylarius diuersi mode videntur sensisse de interrogatione Ioannis. Gregorius enim dicit in omel. quòd Ioannes quærit, vt sciat si is qui per se in mundum venerat, per seipsum ad inferni claustra descenderet: volens sibi insinuari an sicut pro hominibus nasci dignatus est, etiam pro hominibus mori dignetur: vt qui natiuitatis eius minister exstitit, mortis etiam præcursor fiat: & venturum inferno nunciet, quem iam venisse mundo nunciauit. Sed quia non videtur conueniens quòd Ioannes in aliquo articulo fidei dubitauerit: descensus vero ad inferos articulus est: præterea responsio domini non videtur competere interrogationi sic intellectæ: potest intelligi hæc dubitatio non dubitatio infidelitatis & etiam tarditatis, sed quidam horror ex pietate procedens. Abhorrebat enim ex pietate quòd filius Dei ad infernum descenderet: vnde potest exponi, Dubitauit, id est, dubitare se ostendit, vel

ad modum dubitantis se habuit. Secundum Hylarium sic intellige locum istum: Discipuli Ioãnis pro magistro suo zelantes inuidebant Christo. Vnde Ioannis 3. dictum est Ioanni, Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum. Iste zelus erat ex magno amore magistri. Ioannes ergo positus in carcere occasione Herodiadis, videns discipulos suos de Christo hesitãtes, & Christo inuidẽtes intelligens in spiritu se in breui moriturum: voluit eos relinquere in illo statu. Vnde cùm per se non posset eos certificare, misit eos ad Christum vt ab eo certificarentur: & secundum hoc plana est littera. Mittens duos de discipulis suis, &c.

Quatuor notanda. Quantum ad instructionem morum quatuor nobis attendenda sunt in prima parte euãgelij. Primum est quòd Ioannes in vinculis dicitur esse. Secundum quòd propter auditum operum misit ad Iesum. Tertium quòd Ioannes in carcere Herodis, quasi dubitans quærit quod in deserto asseruit. Quartum est quæstio quæ à duobus discipulis proponitur.

Circa primum notandum quòd Ioannes interpretatur gratia, vel in quo est gratia. Secundum primam expositionem Ioannes in vinculis est, cùm aliqua gratia in aliquo vinculis mundi, vel carnis, vel peccati ligata tenetur, ne proficiat. ad Rom. 1. Qui veritatem Dei detinent in iniustitia. In multis locis hodie Ioannes in vinculis tenetur: vnde multum dolendum esset. Secundum aliam interpretationem Ioannes in vinculis, est aliquis habens gratiam Dei: cui corpus carcer est impediens eum à contemplatione veritatis. Sapientiæ 9. Corpus quod corrumpitur aggrauat animam.

Quasi duo discipuli ab eo missi ad quærendam veritatem, scilicet Abstinentia & deuotio orationis. De abstinentia legitur Ecclesi. 2. Cogitaui in corde meo abstrahere à vino carnem meam, vt animum meum transferrem ad sapientiam, deuitaremque, &c. & Dan. .legitur de pueris abstinentibus quòd Deus dedit illis scientiam & disciplinam in omni libro & sapientia: Danieli autem intelligentiam omnium visionum. De oratione dicit Augustinus, quòd oratione melius soluuntur debita, quàm inquisitione alia.

ne alia. Potest etiam per Ioannem intelligi status illorum qui aduentum saluatoris expectabant. Et potest quadruplex inueniri vinculum in illo statu. Primum est vinculum originalis culpæ: Secundum originalis pœnæ: Tertium vinculum actualis culpæ. Quartū est vinculum præsentis miseriæ. Primum est vinculum concupiscentiæ quę ante gratiam imputatur ad peccatum: sed cum gratia est ad exercitium. Hoc vinculum designatur in illa muliere inclinata de qua habetur Luc.13. quæ non poterat sursum respicere. Qui enim est in mortali peccato difficultatem habet ad bonum & pronitatem ad malum. vnde Rom.7. Non quod volo bonum istud ago. Ideo exclamat Apostolus in eodem. Infelix ego homo, quis me liberabit à corpore mortis huius? Concupiscentia ista est mulier de qua legitur Ecclesi.7. Inueni amariorem morte mulierem quę laqueus venatorum est. Et subditur, Vincula sunt manus eius, scilicet difficultas ad bonum & pronitas ad malum: de quibus dictum est Lucæ 13. subdit dominus de isto vinculo dicēs, Hanc filiā Abrahæ quā alligauit sathanas ecce octodecim annis non oportuit solui à vinculo isto die sabbati. Secūdo vinculo ligati erāt in limbo: de quo legitur Esa.42. Dedi te in fœdus populi in lucem gentium, vt aperires oculos cæcorum & educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedētem in tenebris. Eiusdem 49. Dedi te in fœdus populi, &c. vt diceres iis qui vincti sunt, exite: & iis qui sunt in tenebris, reuelamini.

Quadruplex vinculum.

De tertio vinculo Psalmus, Funes peccatorum circumplexi sunt me. Hæc vincula, designata sunt in vinculis Sedechiæ, Hierem.39. Obsidetur ciuitas animæ per prauam delectationem. Capitur per prauam operationem. Rex excæcatur per prauam consuetudinem: vincitur per obstinationem: ducitur in Babylonem per impœnitentiam finalem. De quarto vinculo habetur Oseę 11. In funiculis Adę traham te in vinculis charitatis. Præsentes miseriæ funiculi dicuntur, quia illis ad Deum reducimur. De hoc vinculo legitur. 2. Paral. vltimo. Incuruatus sum multo vinculo ferri & non est respiratio mihi quia excitaui irā tuam. Circa secundum notandum quòd Ioannes propter auditum operum non verborum ad Iesum mittit: quia secundum Bern. Efficacior est vox operis quam vox sermonis.

Ecclesi.29. Quæ in manus habes, ciba cæteros. Soluator etiam operibus potius quàm verbis certificat discipulos Ioannis. Circa tertium notandũ quòd Ioannes in carcere Herodis quasi dubitans quærit quod in deserto asseruit. sic Petrus Matt.16. plenam confessus est veritatem, dicẽs, Tu es Christus filius Dei viui. Quem negauit introductus in domum pontificis, Matth.26. Sic multi scolares dũ sunt in deserto paupertatis & in scholis cum sociis suis, aperte confitentur veritatem verbo & exemplo: sed ditati vel ad dignitates promoti mutant opinionem. Rom.1. Qui com mutauerunt veritatem Dei in mendacium. Prouer.17. Qui vertit linguam, incidit in malum. Non sic erat apostolus qui dicebat 2. ad Thim.2. Verbum Dei non est alligatum. Circa quartum notandum quòd sicut aduentum domini in carnem multi nuncij præcesserunt, videlicet primo Abraham patriarcha, Postea prophetæ, Deinde Ioannes Baptista: Sic aduentum in mentẽ multi nuncij præcedent. Primo fides quæ est princeps virtutum: sicut Abrahã princeps fuit aliorum patrum, ex qua alia bona nascuntur. Ad eam enim pertinet illud Gene.30. Da mihi liberos, alioquin moriar. Fides enim sine operibus mortua est. ex ea nascuntur velut duo prophetæ, scilicet, timor futuri supplicij, & spes præmij. Sed quidam hos prophetas occidunt. Matth.23. Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis prophetas & lapidas eos. Primùm, scilicet timorem occidit qui absque timore peccat. Luc.23. Dixit bonus latro malo, Nec tu Deum times, &c. In Psalm. Non est timor Dei ante oculos eorum. In illis bene occisus est ille propheta qui nec Deũ timent, nec homines reuerentur. Lucæ 23. Timor est velut quoddam frenũ homines à malo cohibẽs. Exo.1. Timuerunt obstetrices Deum & pepercerunt pueris ne interficerent eos. Spes vero æternorum transitoria facit contemni. Illa enim est quæ dicit, Quid enim mihi est in cœlo & a.te.&c. Ioannes Baptista tunc præmittitur, cùm gratia lacrimarũ alicui datur: quod nõ potest fieri absque gratia gratum faciente. Et tunc frequenter accidit quòd Iesus venit & diabolus fugit. Hanc aquam benedictã diabolus sustinere non potuit. 3. Regum 18. Iunge currum & fuge, ne te occupet pluuia, dictum est Acab. Duo discipuli qui à Ioanne mittuntur certitudinem saluatoris quęrẽtes, sunt

sunt duæ discussiones conscientiæ. Prima est an aliquod peccatum sit adhuc in conscientia, de quo nondum doleat,& confiteri non proponat. Alia est vtrum firmum habeat propositum cauendi omne mortale. His enim duobus concurrentibus spem probabilem habet anima quòd filius dei in eam venerit: pro certo enim eius aduentum scire non potest. Iob 9. Si venerit ad me, non videbo eum. Ecclesiast. 9. Nescit homo vtrum amore an odio dignus sit. 1. Corinth. iiij. Nihil mihi conscius sum: sed in hoc iustificatus sum.

Sermo secundus de eodem.

QVid existis in desertũ videre? Arundinem vento,&c.

In arundine peccator significatur, eo quòd arundini in multis assimiletur. Primo in hoc quòd arundo radicem habet in luto & fluido, non in terra solida: sic peccator nõ habet radicem intentionis vel amoris in terra viuentium, sed in trãsitoria, quod est principium omnium malorum. Amor enim mundi secundum Aug. est totum & solum malum hominis. Radicem in solido figi noluit dominus cum dixit, Primum quærite regnum dei. Matthei. vj. Radix ostendit de qua terra sit arbor.

Tria sunt hoĩ multũ timenda.

Tria multum sunt timenda homini qui inuenit radicem cordis suis fixam in re transitoria. Primũ est si nimis profundè fixa sit vt scilicet res transitoria deo præponatur: & debet multum dolere: pro illa enim re deum negauit. Hoc enim ab homine colitur quod præ ceteris diligit. Res illa gladius est quod diabolus eum ad mortem vulnerauit. Ideo bene dicitur Matth. 5. Beati pauperes spiritu, qui scilicet parum fixerunt spiritum in terrenis. Secundum est si radicem cordis in multis rebus transitoriis posuit. Sicut ille qui multas habebat possessiones. Matth. xix. Difficile diues intrabit in regnum cælorum. Funiculus triplex difficile rumpitur, Ecclesiast. iiij. sed multo difficilius funiculus decuplex. Tertiũ est si diuturnitate temporis radices corroboratæ sunt. Non transfertur arbor postquam senuit. Ideo dominus voluit primum quæri re-

gnum Dei, Actuum 6. Secundo arundo habet exterius nitorem & pulchritudinem. Interius vero vacuitatem. sic secundum Augustinum, Cum iniquis omnia sunt pulchra: & ipsi sunt turpes. Tertio arundo habet debilitatem: vnde non est securum ei inniti, de facili enim frangitur, & innitens læditur: Sic non est tutum confidere in peccatore, licet potens esse videatur. Hiere. xvij. Maledictus qui confidit in homine, &c. Esa. 36. Ecce confidis super baculum arundineum confractum istum super Aegyptum: cui si innisus fuerit homo intrabit in manu eius & perforabit eam. Debilitas potestatis terrenæ designata est in arundine posita ad illusionem in manu Christi pro sceptro. Matthei. 27. Ecclesiastici. 10. Omnis potentatus vita breuis: & rex hodie est, & cras morietur. Quarto arundo de facili mouetur: sic peccator ad omnem ventum tentationis. Ecclesiastici. 27. Stultus vt luna mutatur. Eiusdem 5. Non te ventiles in omnem ventum, &c. Quinto arundo habet lanuginem pro fructu: sic peccator in fine non inuenit fructum operum suorum. Sapientiæ 5. Spes impij quasi lanugo quæ à vento tollitur. Rom. 6. Quem fructum habuistis in illis, in quibus nunc erubescitis?

Nota ergo quòd omnia ista Ioannes non fuit. Non fuit arundo: nam radicem amoris in mundo non habuit, sed in deo. Fuit enim perfectæ temperantiæ: quæ temperantia est amor integrum se præbens ei quod amatur, vt dicit August. Non fuit vanus: immo spiritu sancto repletus ab vtero matris suæ, vt prædixit Angelus Luc. j. Non fuit flexibilis ad malum: quia nec mors eũ à veritate deuiare fecit: nec gloria, qua Christus reputari potuit. Elegit enim solide subsistere in se vir, ne inaniter raperetur supra se, vt dicit Gregorius. Non fuit etiam sine fructu: fuit enim terra ferens fructũ centesimum cum habeat aureolam tribus de causis, scilicet quia fuit virgo: quia prædicator: & quia martyr.

Vir iustus etiam arundo non est quia mentem habet fixam in cælo secundum illud Phil. 3. Conuersatio vestra in cælis est. j. Corinthio. xv. Gratia dei in me vacua non fuit. Non est etiã flexibilis ad diuersos ventos tentationũ. Ecclesia. xv. Firmabitur in illo, & non flectetur. Fiducia in deo firmat sanctos. Esa. xl. Qui sperant in domino mutabunt

bunt fortitudinem, scilicet in diuinam. Et notãdum quòd sicut ille qui pontem transit vel alium locum periculosum forti vento flante descendit ad terram: sic salubre consilium est homini contra ventum detractionis vel adulationis descendere per cõsiderationem terrenitatis & fragilitatis. Tunc enim cognoscet non esse mirũ si sibi detrahatur: & ad laudẽ sui erubescet quia qui falso prædicatur, necesse est vt suis laudibus erubescat, vt dicit Boëtius. Itẽ vir iustus non est sine fructu. Sap.iij. Bonorum laborum gloriosus est fructus. Vel in arundine peccator designatur. Quia in luto habet radicem per luxuriam: vacuus est per auariciam. Agitatur per superbiam. Itẽ per arũdinem potest figurari specialiter, hypocrita, quia exterius lucet per decorem exterioris conuersationis, intus vacuus est: quia non habet veritatem virtutis, qui ad modum arundinis ad ventũ detractionis & adulationis in diuersas partes flectitur. In hac arundine diabolus dormit, iuxta illud Iob.xl. Sub vmbra dormit, in secreto calami, in locis humentibus. Quis enim excitet eum ibi dormientem, cum credatur Christus ibi dormire? Hec est etiam arundo illa quæ Christum sitientem aceto potat. Matth. 27. Sitit ille salutem nostram & bonitatem: sed hypocrita speciem bonitatis ei propinat, sicut acetum similitudinem habet boni vini, & tamen non est bonum vinum. Arundo ista dulcem sonum quandoque emittit: sed dulcedinem illam non percipit. Multa enim dulcia verba hypocritæ proferunt: sed illam dulcedinem non sentiunt. Sunt enim velut æs sonans & cymbalum tinniens. j.Corinth.13.

Sermo tertius de eodem.

ILlis autem abeuntibus cepit dicere ad turbas de Iohanne.

In hoc tempore recitantur in ecclesia quæ pertinẽt ad laudem regis venientis. Et quia laus præcursoris laus regis est: gloriosus enim est Deus in sanctis suis. Ideo hodie legitur euangelium cõtinens commendationem Iohannis in qua quatuor virtutes cardinales nobis insinuantur. Primo fortitudo cum dicitur dissimilis arundini. Secundo

temperantia:cum mollicies vestium ab eo remouentur. Tertio prudentia:cùm dicitur plus esse quam propheta. Quarto iusticia: cum dicitur angelus missus ad præparãdam viam ante faciem Christi. Ad iusticiam enim pertinet humile & fidele ministerium. Matth.3. Sic decet nos implere omnem iusticiam: perfectam humilitatem. Aug. Ad Macedonium, Iusticia est, à diligendo nulla auelli superbia. Idem. Iusticia est amor soli amato seruiens. Hæ virtutes in hac vita vtilissimæ sunt. Sap.8. Sobrietatem & prudentiam docet & iusticiam & virtutem quibus vtilius nihil est in vita. Et nota quòd fortitudo custodi hominem vt non noceant mala mundi. Temperantia vt non noceãt ei bona. Prudentia ne fallatur. Iusticia vero eum custodit ne ipse alium fallat & ei noceat. Quia minus periculosum est fallere & nocere quàm falli vel damnum recipere. Hæ virtutes veræ sunt diuiciæ, non aurum & argentum & similia. Virtutes veræ sunt diuitiæ. Primo quia non possunt auferri ab homine. Seneca, Hoc disce beatum esse non quod vulgus vocat, sed cui omne bonum in animo est. Idem, Incipit fortunæ subiectus esse, si quis partem sui extra quærit. Sapiens bonum intra se esse terminabit. Secundo, quia ab his habet homo bonitatem & preciositatem suam: vnde se habent in homine sicut virtutes in lapidibus preciosis. Plus valet vnicus modicus lapis præciosus, quàm multi magni communes. Sic vnus habẽs virtutes istas quam multi non habentes. Eccle. 16. Melior est vnus timens deum, quam mille filij impij. Tertio, quia ab his habet homo quod bona temporalia sunt ei bona. Sen. Nihil est homini bonum sine se bono. Ecclesiastici. xiij. Bona est substantia cui non est peccatum in conscientia. Temporalia ei qui non habet gratiam, materia sunt infirmitatis. Vnde non sunt bona ei: sicut non est sanguis bonus homini quãdo est materia infirmitatis. Donationem harum diuiciarum retinuit Deus ad manum suam. Iacob. 1. Omne datum optimum & omne donum perfectum de sursum est, &c. Donum perfectum est donum nullo indigens; quod ipsi animo infunditur. Frumentum & vinum & similia sunt dona imperfecta, indigent enim vase vel cellario: Prudentia tantum bonum est, vt sine ea nihil boni videatur haberi. Prouerb. 19. Vbi non est scientia animæ,

mæ,non est bonum.Sap.xiij.Vani sunt omnes homines in quibus non subest scientia dei.Fortitudo vero hic intelligitur non corporis sed animi. Vnde hanc potest habere qui paraliticus iacet in lecto Sapiens.Non tantum in bello & mari,sed etiam in lecto apparet. Virtus hec facit vt non possit homo vinci,& si possit occidi.August. Inuictus est cui nõ potest auferri quod amat.Sen.Facilius est gentem vnam,quàm virum solum vincere. Hæc virtus valet contra infirmitatem.Matth.vlt.Et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Venenata enim reddit salubria. Sen.Doce eum bonum esse qui mala in bona vertit.Temperantia custodit hominẽ ne bona transitoria ei noceant. In magno periculo sumus in mũdo isto: impugnãt enim nos & bona & mala. Sap.14. Creaturæ dei in odium factæ sunt,&c.Sine hac virtute quod sumitur ad sustentamentum,est homini mortiferum.Eccle.xxxvij. In multis escis erit infirmitas.Propter crapulã multi perierunt. Sen.Maior pars corporum voluptatibus perit. Si tantum amatur lapis preciosus de quo creditur quòd habeat virtutẽ seruandi hominem ne vinum ei noceat:quãtum amanda est virtus temperantiæ quæ hominem custodit ne aliquid carni delectabile ei noceat.Iusticia custodit hominem ne sit proditor vel in deum, vel in proximum. Qui deo vel proximo iniuriatur,proditor est,cum hoc faciat patri vel fratri.Ideo dignus est morte, à qua iusticia liberat. Prouer.xj.Nil proderunt diuitiæ in die vltionis. Iusticia autem liberabit à morte.

Sermo quartus de eodem.

QVid existis in desertum videre,&c. Primo videndum est:quare claustrũ dicitur desertum.Deinde quæ debeant quæri & inueniri in hoc deserto.Circa primum notandum quòd claustrum dicitur desertum,quia ad modũ deserti est,mediũ inter Ægyptũ huius mundi & terram promissionis. Per illud est recta via de mundo in cælum.vnde Canti.iij. Quæ est ista quæ ascendit de deserto,deliciis afflués,&c.item. Quæ est ista quæ ascendit de deserto sicut virgula fumi quæ recte tendit in altum? Iu hoc deserto videtur ignis in rubo, idem,

deitas humanæ naturæ associata dum consideratur beneficium incarnationis. Et serpens in palo. Nu. xxj. Dum cōsideratur beneficium passionis. Ibi inuenitur māna spiritualis consolationis Nu. xj. Ibi est lignum dulcorās aquas Marath. Exod. xv. Lignum inquam crucis. Ibi est rubus ardens qui nōn consumitur: quia vir iustus in fornace tribulationis perficitur. Vel potest claustrum dici desertum, eo quòd à mundo desertum reputetur. Cum in veritate paradisus sit deliciarum Hiero. Oppidum mihi carcer est, solitudo paradisus. Sic dominus cælum vocat desertum. Lu. xv. Nonne dimittit nonagintanouem in deserto, &c. eo quòd homines nolunt ibi habitare acsi esset desertū. Causa autem quare aliquibus claustrum desertum reputatum sit est hæc: quia illam respiciunt tātum exterius. Claustro enim conuenit illud psalm. Qui videbant me foras, fugerunt à me. Ibi sub deformitate latet pulchritudo, secundùm illud, Omnis gloria filiæ regis ab intus. Sub asperitate victus iocunda refectio. Deut. viij. Afflixi te penuria & dedi manna. Sub solitudine iocunda familiaritas dei & angelorum. In deserto locutus est dominus cum Iudæis. Exo. 20. De cælo locutus sum vobis. Ibi angelus eos præcessit. Exod. 22. Præcedet te angelus meus. Ber. Cum quo Deus est, nunquam minus solus est, quàm cum solus est. Oseæ, ij. Ducam eam in solitudinē, & loquar ad cor eius.

Sequitur videre quid quærendum sit & inueniendū in deserto claustri. Et sunt tria quæ solent homines in deserto videre. In deserto solent homines videre tria scilicet Flores, magnas arbores, & feras. Similia in deserto claustri videri deberēt. De primo Hiero. Desertū Christi floribus vernans, est eremus familiarius deo gaudens. Pietas, Virginitas, Caritas, Patientia, Mansuetudo, Humilitas, & eorū opera. Ecclesiastici. xxiiij. Flores mei fructus honoris & honestatis. Ad ista maxime prouocauit nos Christus exēplo suo. His floribus debet redolere desertū claustri. Odorem istum debet sentire qui accedit nisi mortuus sit aut fœtidus. Ber. Qui non sentit odorem tuū Christe, aut mortuus aut fœtidus est. Immo quandoque mortui odorē isto suscitātur. 2. Cor. 2. Christi bonus odor sumus deo in hiis qui salui fiūt: & in hiis qui pereūt aliis odor mortis in mortē, aliis odor vitæ in vitā. Itē, in deserto isto inueniūtur

Flores Christi.

tur magnæ arbores. Nemus iuxta ciuitatē extirpatur frequenter: & vinea iuxta viam à pertrāseuntibus vindemiatur. vnde Dauid, Vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam. Arbores etiam iuxta viam damnificantur & in foliis & in fructibus. Sic qui sunt in mundo & in foliis verborum & in fructu operum iacturam magnam patiuntur. Vix potest aliquis esset iuxta ciuitatem huius modi, quin per mortale sæpe succidatur, nisi homo se abscōdat. Se. Absconde te in ocio: immo ipsum ocium abscōde, &c. Itē, In hoc deserto fere debent inueniri professi. vnde. Ber. Ad fratres de monte dei: Aliud nomen professioni vestræ imponite. feras potius indomitas & incaueatas, quæ à cōmuni hominum more domari non poterunt, vos existimate & appellate. Feram se reputat ille qui indomabilitatem suam recognoscit per humilitatē: & corpus suum negligit: & homines fugit. Hominis tanta est indomitas, quòd nec vnum membrum domari potest. Iac. iij. Omnis natura bestiarum & volucrum & serpētium & cæterorum domātur, & domata sunt à natura humana: linguā autem nullus hominum domare potest. Negligere etiam debent qui sunt in claustris corpus suum, & naturalibus desideriis attenti esse. Sen. Nescis te opinione laborare non re. Pauper es, quia videris: nihil deest auibus. Feris in alimentum solitudo sua sufficit. ij. Mac. v. Iudas secesserat in desertū locum, ibique cum suis inter feras vitā in mōtibus agebat & fæni cibo vescentes demorabātur, ne participes fierent coinquinationis. Gen. j. Assignauit Deus eandē escā hominibus & iumētis. Ecce inquid dedi vobis omnē herbā, &c. vt sint vobis in escā, & omnibus animātibus terræ, &c.

Item Claustrales etiā debent fugere homines. Se. Quotiens inter homines fui, minus homo redij. Idē. Fuge multitudinem: fuge paucitatem: fuge vnum; fuge teipsum. Ecclesiastici. xviij. Ne oblecteris in turbis, nec in modicis: assidua enim est commissio illorum.

Ex hoc quòd claustralis quasi siluester est: tria bona proueniunt: videlicet, Decor exterioris conuersationis, sicut animalia siluestria pulcriorem habent pellē quàm domestica. Et quòd libentius ab hominibus videntur: libentius videtur onager quàm asinus domesticus. Tertium est dei familiaritas: quam non habet qui est mundo familia-

ris. Inimici enim ſunt Deus & mundus. Iaco. iiij. Adulteri an neſcitis quia amicitia huius mundi inimica eſt deo? Omnis ergo qui voluerit amicus eſſe huius ſeculi, inimicus dei conſtituitur. Bern. O anima, ſola eſto vt illi ſoli te ſolam ſerues, quem ex omnibus elegiſti. Idem, Dei filius verecundus amator eſt: non vult ſponſæ ſuæ ſecreta reuelare in publico. Et notandum quòd non minus periculoſum videtur venire inter homines, quàm inter lupos. vnde interrogatus quidam philoſophus quid eſſet inimiciſſimum homini: reſpondit, alter homo. Veniens inter homines debet timere: Occidere & occidi: Lædere & lædi: Videre & videri: Audire & audiri. Ber. Detrahere an detrahentem audire quod horum eſt damnabilius nō facile dixerim. Sen. Quo maior eſt populus cui miſceris, hoc periculi plus eſt: nihil tam damnoſum bonis moribus, quàm in aliquo ſpectaculo reſidere. Sæpe auarior, luxurioſior, ambitioſior redeo. Idem, Vnum exemplum luxuriæ vel auariciæ multum malum fecit. Solo ore lupus nobis nocet: homo non ſolo ore. Nec minus etiã ore quàm lupus. Quaſi enim ignis exit ab hore hominis. Iac. 3. Lingua noſtra ignis eſt, &c. Eccleſiaſtici 28. Plaga linguæ comminuet oſſa. Præcipuè timendum eſt venire inter homines cum ſint plures. Seneca: Subducẽdus eſt populo tener animus, & parum tenax recti. Nemo noſtrum impetum vitiorum tam magno comitatu venientium ferre poteſt. Specialiter vero imminet periculum oculo intentionis, cum homo venit inter homines. Qui oculus theſaurus vocatur ſuper illud Matth. 12. Homo de bono theſauro ſuo profert bona. De facili enim proiicit homo intentionem ſuam in hominem ſibi proximum.

Dominicæ quartæ in Aduentu,

SERMO PRIMVS.

EGo vox clamantis in deſerto, &c. Deſertum in quo Deus clamat poteſt intelligi mundus iſtæ qui in multis deſerto aſſimilatur. Deſertum eſt locus hominibus vacuus: Abũdans beſtiis: Trãſeuntibus horribile: Deficiẽs bonis. Quod

Quod vacuus est hominibus,ideo dicitur solitudo. Deut. viij.Ductor tuus fuit dominus in solitudine magna.Sic in mundo isto pauci sunt vere homines: & si multi exterius sint similes hominibus.Multæ sunt simiæ in mundo isto. ecclesiastes.i.Pauci in ea viri.Hiere.4.Intuitus sum, & nõ erat homo.Pauci sunt qui animi rectitudinẽ seruẽt. Figura animi est rectitudo corporis. Philosophus, Cetera animalia natura deiecit ad pastũ,hominẽ vero erexit ad sidera.Ber.Puto iumenta dicerent si loqui fas esset, Ecce Adã quasi vnus ex nobis. Idẽ Bernar. Rectus dominus,& non est iniquitas in eo. Rectus igitur dominus rectũ hominẽ fecit.Homini staturam dedit deus rectam, forsitan vt ista corporea rectitudo exterioris, viliorísque figmenti, hominem illum interiorem, qui ad imaginem dei factus est spiritualis, suæ seruandæ rectitudinis admoneret, & decor limi deformitatem argueret animi. Quid indecentius quam curuũ recto corpore gerere animũ? Aug.in lib. de doctrina Christiana:Beluinus est homo amando talia qualia beluæ.Item in eodem, Non discordet cor tuum à facie tua. Non habeas faciem sursum & cor deorsum. In deserto autem huius mundi multæ sunt bestiæ,multa sunt ibi venenata animalia per malignitatem.Deuter.8.In qua erat serpens flatu adurens,& scorpio ac dipsas, Psalmus. Furor illis secundum similitudinem serpentis.Eccle. 9. Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit. Multi sunt ibi vrsi & leones per rapacitatẽ. Prouer. 28. leo rugiens & vrsus esuriens princeps impius super populũ pauperẽ. Desertum etiam huius mundi terribile est hominibus transeuntibus,trãseuntes sunt mundi huius contẽptores qui dicunt illud ad Hebre.vlti. Non habemus hic manentẽ ciuitatẽ, &c. In Psalmis, Aduena ego sum apud te&c.& ad Hebre. 11. dicitur de Abraham quòd expectabat fundamenta habentẽ ciuitatẽ: & subditur de antiquis patribus:Cõfitentes quia peregrini & hospites sunt super terram.Et Deut. 10. dicitur quòd deus amat peregrinum,& dat ei victum & vestimẽta.Transeunti terribile est desertum huius mundi: timet enim quicquid videt in hoc mundo: scit enim quòd creaturæ in odium factæ sunt & in tentationem animæ h. &c. Sapien. 14.Ecclesiastici,18. Homo sapiens in omnibus metuit.

c 5

Tunc magis timet mundum cùm ei blanditur:sciens illud esse verum de mundo, Quencunque osculatus fuero ipse est tenete eum.Matthei 27.Ecclesiastes, 7. Melior est ira risu.Prouerbiorum 27. Meliora sunt vulnera diligentis: quam fraudulenta oscula odientis.Desertum etiam huius mundi multum est deficiens bonis veris, vnde Deute.8. dicitur de deserto per quod transierunt filij Israel, quòd nullæ omnino ibi erant aquæ.Sic in deserto huius mundi nec vna gutta graciæ est nisi de cælo veniat. Etiam prouer.vlti.dicitur de muliere sapiente, quòd de longe portat panem suum.Nonne defectus est bonorum vbi necesse habemus quotidie panem nostrum mendicare? Augu. Qui panem quotidianum petit, diues non est. Clamans in deserto est deus. In hoc mundo deus clamauit & clamat & clamabit. Triplici clamore iam clamauit. Primus fuit generalis. Secundus specialis.Tertius singularis.Generalis fuit clamor quo clamauit in vniuersitate creaturarum:qui clamor multum mouebat homines vt auctorē eorum esse verum deum cognoscerent, & vt maximum benefactorem diligerent. De cognitione tangit Augu.in lib.de ciuitate dei. Exceptis inquit propheticis vocibus mundus ipse ordinatissima sua mutabilitate & mobilitate & omniumvisibilium pulcherrima specie quodam modo tacitus & factum se esse & non nisi à deo ineffabiliter fieri se potuisse proclamat.Idem.10.lib.confes.Interrogaui de deo meo cælum,solem,lunam,stellas:neque nos sumus deus quē quæris, inquiunt. Et dixi omnibus qui circunstant carnem meam:Dicite de deo meo aliquid:& exclamauerūt voce magna,Ipse fecit nos.Flores & alia quæ producit terra quæ est infimum elementorum & pedibus omnium conculcatur, speciem talem nobis ostendunt qualem homo qui est dignissima creaturarum non posset facere, vnde ostēsione eiusdem speciei apparet maiorem homine esse qui talia facit, & quod terra per se talia non potest facere.De dilectione tangit Augusti.11.lib.confessionum dicens,Domine, cælum & terra & mare & omnia quæ in eis sunt:ecce vndique mihi dicunt vt amem te,nec cessant dicere omnibus vt sint inexcusabiles. Ad amādum deum monent creaturæ cùm sint dei beneficia. Ad incitandum enim ad amandum aliquem alium efficacior est

dona

donatio quàm locutio. Specialis clamor fuit per viros à deo doctos, qui clamabant quòd mundus transibat. Hunc transitum clamauit Moyses figuraliter. Eductio enim de Ægypto, & inductio in terrã promissionis ad cõtemptum mundi & amorẽ cælestiũ, singulariter inuitabant. Idẽ clamauerũt prophetæ. Esaiæ 40. Vox domini dicẽtis, Clama. & dixi, Quid clamabo? Omnis caro fænũ, & omnis gloria eius quasi flos fæni. Idẽ clamauit Salomon, Ecclesiastes 1. Vanitas vanitatũ, dicit Ecclesiastes, & omnia vanita. s. Idẽ clamauit apostolus 1. Corin. 7. Præterit figura huius mundi. Et Ioã. 2. Transit mũdus, & eius concupiscentia. Singularis clamor fuit clamor Christi dissimilis clamori aliorũ. Illi clamabãt ne homines tẽporalia concupiscerent cõtra clamorem concupiscentiæ: sed non poterant dare id quo sitis concupiscentiæ sedaretur, quod Christus potuit: vnde sitientes transitoria ad se vocauit Ioannis septimo, Si quis sitit, veniat ad me & bibat. Eiusdem quarto, Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet inæternum. Augustinus, Qui biberit de fluuio paradisi, cuius gutta vna maior est oceano: restat vt in eo sitis huius mundi extincta sit. Clamat etiam deus nunc in mundo isto in membris suis. Ad quem clamorem multi obturant aures suas: non attẽdentes illud Prouerbiorũ 21. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperum, clamabit & ipse & non exaudietur. Huius clamoris figura fuit clamor quem emisit in cruce. Matthei, 27. Deus meus, vt quid me dereliquisti? In pauperibus derelictus est Christus. Nullum enim habent consolatorem. Ecclesiastes quarto, Vidi calumnias quæ sub sole geruntur, & lachrimas innocentium, & neminem consolatorem. Clamabit etiam in futuro deus. Vnde clamor erit per angelos præcursores iudicij. Matthei 25. Qui alios clamores dei audire noluerunt, adminus tunc audient. Amos tertio, Leo rugiet, quis non timebit? Clamor ille tonitruum vocatur. Iob 26. Cùm paruam stillam sermonis eius vix audierimus, tonitruum magnitudinis eius quis poterit intueri? Vox dei clamantis prædicator est: qui ad populum clamores prædictos habet deferre. Clamor iudicij deferendus esset ad iniquos iudices qui ita iudicant acsi nunquam essent iudicandi. Eis esset dicendum illud Iob, 19. Scitote esse iudicium. Et ne credãt

eis

eis esse parcendum sicut iudices iniqui qui gratiam faciũt diuitibus frequẽter,esset eis dicendum verbum illud,Sap. 6.Iudicium durissimum in his qui præsunt fiet. Item oppressoribus pauperum dicendum esset illud Iob 36. Iudicium pauperibus tribuet.Tunc stabunt iusti in magna cõstantia ad æ.q.se ang.&c. Et notãdum quòd in hoc quòd Ioannes qui prædicator fuit vocem se esse dicit per spiritum sanctum:ostendit tria. Primo ostendit prædicatoris auctoritatem. Secundo monet prædicatorem ad fidelitatem.Tertio monet ad doctrinæ fidelitatẽ. Circa primum notandum quòd eadem est actio instrumenti & vtentis instrumento.Et qui audit vocem alicuius,audit ipsum: sic qui audit prædicatorem , audit Christum. Luc 10. Qui vos audit,me audit:& qui vos spernit,me spernit.Hiere.5. Si separaueris preciosum à vili quasi os mirifice eris.Circa secundum notandum quòd vox indicat animum loquentis. Voces enim secundum philosophum sunt notæ earum passionum quæ sunt in anima. sic prædicator non se debet ostentare,sed Christũ glorificare exemplo Christi,Ioan.8.Ego gloriam meam non quæro : aliter est infidelis.Circa tertium notandum quòd partes vocis voces sunt vt syllabæ:sic quæ sunt in prædicatione omnia debẽt esse prædicantia : aliter doctrina eius non est integra 1. Ti. 4. Exemplum esto fidelium in verbo & conuersatione.Titum, 1. In omnibus te præbe exemplum bonorum operũ.Hier. super Exo. vbi loquitur de veste sacerdotali, Omnia inquit sacerdotis debẽt esse vocalia, vt veritatem, quam mente concipit, habitu resonet: vt quicquid agit, quicquid loquitur,de æternis sit. Dirigite viam domino. Mat.3.sic habetur.Parate viam domini:rectas facite in solitudine semitas eius. Esaye.40. sic habetur, Parate viam domini:rectas facite in solitudine semitas dei nostri. Via paratur cùm praua abiiciuntur.Hiere 50.Tollite de via lapides.Semita recta fit,cùm consilia seruantur. Et notandum quòd est via domini, & via diaboli. Via diaboli est triplex,Laboriosa:Infructuosa: Periculosa. Et ideo derelinquenda est.Esa. 55. Derelinquat impius viam suam &c. Ecclesi.32.Non credas te viæ laboriosæ.

Duplex via.

Ad hoc quòd via sit laboriosa,sex faciunt. Primum est viæ longitudo seu infinitas : propter quam mali continue

laborant & de die & de nocte. Hierem. 16. Seruietis diis alienis,qui non dabunt vobis requiem die ac nocte. Gulosus de die laborat delicias parando: de nocte vero nimia repletione vexatur.Ecclesi. 5.Saturitas diuitis non sinit eum dormire. Secundum est viæ tenacitas. Gene.14. vallis siluestris multos habebat puteos bituminis. Eccle-si. 13.Qui tetigerit picem,inquinabitur ab ea.picem vocat temporalia propter tenacitatem.Tertiū est oneris grauitas.Psalmus Iniquitates meæ sicut onus gra.&c. Non habet veram quietem qui est in peccato. Esa. 8. Solue fasciculos deprimentes. peccatum onus est quòd celum non sustinuit Nec terra ad vltimum sustinebit,imo necessario ad inferna descendet.Quartum est viæ arduitas,ascendēdo enim mali incedūt,querunt enim apparentiam.Chrysosto. Tolle hoc vicium vt non velint homines hominibus apparere,& sine labore omnia vicia resecantur.Quintum est ventorum vehementium varietas: vndique percutitur peccator ventis tentationum. Ab oriente percutit eum ventus superbiæ procedens ex nobilitate generis. Eccle.5.Non te ventiles in omnem ventum.Iob 21.Erunt sicut paleæ ante faciem venti. Et licet adeo sit laboriosa via diaboli:tamen mali non sentiunt quia inebriati sunt. Trenorum 3.Inebriauit me abscynthio.Greg.Abscynthio ebrius est qui præ amore præsentis seculi à sensu mentis alienus quicquid pro mundo sustinet, leue putat,& laboris amaritudinem,quem tolerat,ignorat. Sed quoniā modo non intelligunt mali:in inferno intelligent. vnde Sap. 5.dicent damnati, Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis &c.Via etiam diaboli infructuosa est.Sap. 13. Vacua est spes illorum,& labores sine fructū.Psalmus. Confundantur omnes iniqua agentes superuacuè.Ber. Iniqua agit qui non solum fructuosius, sed etiam iocundius potuit deo seruire quàm mundo. Roma. 6. Quem fructum habuistis tunc in illis in quibus nunc erubescitis? Merito erubescunt qui de seipsis tam vile forum fecerunt: & qui tantum thesaurum pro tam vilibus mercibus commutauerunt.Infructuositatem istam recognoscunt damnati in inferno, Quid nobis profuit superbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? transierunt omnia tanquam vmbra. Sapientiæ 5.Maris huius mundi arena terminus

est

est,quæ infructuosa & ponderosa est.Sine fructu enim est via mundana & in fine inuenit se homo oneratum peccatis.Item periculosa est via diaboli.Hoc enim magis tolerabile esset,si solum esset infructuosa. Ber. Tolerabilius esset insudare labori perituro,quam perempturo.

Septē faciunt ad hoc quòd via diaboli sit periculosa

Septem vero faciunt ad hoc quòd via diaboli sit periculosa.Primum est tenebrositas. Prouer. 4. via impiorum tenebrosa:nesciunt vbi corruant.Secundum est latronum multitudo.Iob 19.Simul venerunt latrones eius, & fecerunt sibi viam per me. Tertium est sociorum infidelitas. Oseæ 4.Non est misericordia:non est veritas &c. Hiere. 9.Vnusquisque à proximo suo se custodiat &c. Micheæ 6. Nolite credere amico.Ecclesiastici 6.Est amicus qui conuertitur ad inimicitias. Quartum scandalorum multitudo.Matte.18.Væ mũdo à scandalis.Ecclesiasti.21.Via peccantium complantata lapidibus &c. Quintum viæ lubricitas.Tren.4.Lubricauerunt vestigia nostra in itinere platearum nostrarum. Psalmus, Fiat via illorum tenebræ & lubricum.Preter lubricitatem est via diaboli ruinosa. Ecclesiasti.32.In via ruinæ non eas. Grego. Peccatum quod per pænitentiam non diluitur,suo pondere mox aliud trahit.Matth.26.vbi legitur de Petro, quòd Primò simpliciter negauit:Secundò cum iuramento:Tertiò detestando. Dicit glosa:Perseuerare in peccato dat incrementum scelerum:& qui minima spernit,cadit in maiora.Sextũ, quia diabolus est ductor cęcus & infidelis.Ecclesiastici 18.Post concupiscentias tuas non eas:& à voluntate tua auertere. Si præstes animæ tuæ concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis.Septimum, quia hæc via ad malũ locum ducit.Ecclesiastici 21.In fine illorum inferi & tenebræ & pœnæ.Econtrario via domini est suauis.Mat.11.Iugum meum suaue est,& onus meum leue.Hiero. Insuauẽ & asperam fecit nobis viam virtutum longa peccãdi consuetudo.Fructuosa, Sap.3. Bonorum laborum gloriosus est fructus &c.Secura,Prouer. 3. Custodi legem atque cõsilium &c. Tunc ambulabis fiducialiter in via,& pes tuus non impinget. Si dormieris non timebis &c. via diaboli via est mortis:via domini via vitæ. Hiere.21. Ecce ego do coram vobis viam vitæ & viam mortis. Ecclesiastici 15. Ante hominẽ vita & mors &c. Via domini est benedicta.

Psalmus

Psalmus, Beati immaculati in via: via vero diaboli maledicta. Ecclesiastici 2. Væ illis qui dereliquerũt vias rectas, & diuerterunt in vias prauas. Via domini parata fuit, quia arduitate remota complanata est secundum illud Esaiæ 40. Omnis mons & collis humiliabitur. Exsiccata est etiã lubricitate delitiarum remota. Spinæ etiam diuitiarum amotæ fuerunt ab ea, & lapides scandalorum: quia non tolerabãtur manifestè peccata in ecclesia. Sed nũc reparanda est via: nunquam enim fuerunt homines magis superbi, vel cupidi, vel auari, vel voluptuosi, quam sunt hodie in ecclesia dei. Et multa sunt in ea scandala. Et nota quòd via quantum ad vitam prelatorum tripliciter est preparanda: scilicet, Quantum ad conuersationem eorum reprehensibilem 1. Tim. 3. Oportet enim episcopum irreprehensibilem esse. Et quantum ad subditorum prouisionem, vnde 1. Petri 5. Pascite qui in vobis est gregem dei, prouidentes &c. Et quantum ad iudicij æquitatem, Exod. 1. Quodcunque iudicaueritis in nos redundabit, &c. Via etiam coniugatorum tripliciter est præparanda, videlicet, Quantum ad fidelitatem 1. Corin. 7. Nolite fraudari adinuicem. Et quantum ad hospitalitatem Hebre. 13. Hospitalitatem nolite obliuisci. Et quantum ad filiorũ instructionem 1. Timo. 2. Saluabitur mulier per filiorum generationem. Semita etiam claustralium reparanda est. Primo quantum ad deuotam obedientiam. Hebri. vlti. Obedite præpositis vestris &c. Secundo quantum ad voluntariam paupertatem. Luc. 14. Qui non renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Tertio quantum ad corporis & cordis mundiciam, prouer. 22. Qui diligit cordis mudiciam, propter gratiam labiorum suorum, habebit amicum regem. Esa. 51. mundamini qui fertis vasa domini. Semita verginum in seculo manẽtium reparanda est quantum ad humilitatis custodiam. Luc. 1. Ecce ancilla domini. Et quantum, ad orationis instantiã 1. Corin. 7. Mulier innupta & virgo cogitat quæ domini sunt. Item per seculi fugam. Tob. 3. Nunquam cum ludẽtibus miscui me &c. Semita etiã viduarũ reparãda est quãtũ ad orationis instãtiã 1. Ti. 5. quæ vere vidua est & desolata, speret in domino & instet obsecrationibus & orationibus die ac nocte. Et quantũ ad ieiuniorũ obseruãtiam.

vnde

vnde Lucæ 2.dicitur de Anna,Hęc vidua erat vsque ad annos octogintaquatuor, quæ non discedebat de templo, ieiuniis & obsecrationibus seruiens die ac nocte. Et quãtum ad bonorum operum frequentiam 1.Tim.5.Vidua eligatur non minus sexaginta annorum,quę fuerit vnius viri vxor:in bonis operibus testimonium habens.

Infra octauas natiuitatis domini

SERMO PRIMVS.

ERant Ioseph & Maria mirantes super hiis quæ dicebantur de puero.Lucæ 2.

Euangelium hodiernum quinque continet.Primò,Ioseph & Mariæ admirationem.Secundò,Simeonis prophetiam terribilem. Tertiò Annæ deuotionem. Quartò,Ioseph & Mariæ reuersionem in Nazareth. Quintò, pueri Iesu commendationem. Occasione primi dicemus aliqua mirabilia.Occasione secundi aliqua terribilia. Occasione aliorum trium aliqua imitabilia.Circa primum notãdum quòd admiranda fuerunt,Quæ dicta sunt de puero? Quæ dicta sunt à puero:Et quæ facta sunt ab eo:vt merito dixerit de eo Esa.9.& vocabitur nomẽ eius admirabilis,& Dauid: Scitote quoniam mirificauit dominus sanctũ suum. Admiranda valde fuerunt quæ dicta sunt de eo à prophetis longè ante incarnationem,vt est illud Esa.7. Et vocabitur nomen eius Emanuel,id est, nobiscum deus, id est, in homine deus.Sed de iis causa breuitatis non prosequimur:sed solum de iis quæ circa eius cõceptionem vel natiuitatem de eo dicta sunt.Notandum ergo quòd valde ad miranda fuerunt quæ per Gabrielem Mariæ dicta sunt de ipso.Lucæ 1. Vocabis inquid nomen eius Iesum. In quo insinuatur eius sapientia & bonitas. Bonitas enim & sapientia principis saluant populum,sicut insipientia & impietas perdunt. Eccle.10. Rex insipiens perdet populum suum.Eiusdem 28.Leo rugiens & vrsus esuriens princeps impius super populum pauperem.Et subditur,Et filius altissimi

tissimi vocabitur: ecce nobilitas, Et dabit illi dominus deus sedem &c. & regni eius nõ erit finis: ecce æterna potestas. Item admiranda fuerunt quæ dicta sunt Mariæ ab Elizabeth, in eodem, Vnde hoc mihi vt veniat mater domini mei ad me? ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in gaudio in vtero meo. Cognouit Elizabeth per reuelationem spiritus sancti dominium pueri adhuc in vtero materno clausi. Ber. Quis tibi indicauit matrem domini, mulier sancta? Vt facta est, inquit, vox salutationis tuæ. &c. Puer etiã in vtero Elizabeth clausus videtur sensisse velut vltra duos parietes in vtero Mariæ dominum. Ber. loquẽs de Iohanne dixit, Ardens erat & vehementer accensus quem sic præoccupauit flamma cælestis, vt iam sentiret Christi aduentũ, qui nondum poterat sentire seipsum. Item admirãda fuerunt quæ dicta sunt per Zachariam Luc. 1. In visceribus misericordiæ visitauit nos oriens ex alto. Illuminare. &c. Filius dei qui ex patre oritur æternaliter, visitauit nos nascens de matre temporaliter. De iis admirandis circa eius conceptionem & natiuitatem loquitur Ber. dicens in sermonibus suis, Angelus nunciat: virtus obumbrat altissimi. Superuenit spiritus: virgo credit. Fidem concepit virgo: parit virgo: manet virgo. Quis non miretur? Nascitur altissimi filius, deus de deo genitus ante secula, nascitur verbum infans: quis vel satis miretur? Admiranda etiam dicta sunt ab eo Lucæ 4. Mirabantur autẽ in verbis gratiæ quæ procedebant de ore illius. Matth. 28. Cũ consummasset Iohannes verba hæc, admirabantur turbæ super doctrina eius. Eiusdem, Et mirati in responsione eius tacuerunt. Item miranda facta sunt ab eo, vt vere possit dici, Tu es Deus qui facis mirabilia. Matth. 8. Porro homines mirati sunt dicentes: quia venti & mare obediunt ei. Et Matth. 7. Quantomagis præcipiebat, eo amplius admirabantur dicentes, Bene omnia fecit: surdos fecit audire & mutos loqui.

Sermo secundus de eodem.

ECce positus est hic in ruinam. Terribile est verbum Simeonis. Duo multum sunt

timenda in mundo isto,scilicet,Causarum ruendi in peccatũ infinitas:Et iudicis qui offenditur seueritas. Ad primum pertinet quod dicitur, Ecce positus est in ruinam, idest,in occasionem ruendi. Ex quo saluator fuit in ruinã multorum,quæ securitas esse potest?ex quo vita potest esse occasio mortis,& salus occasio ęgritudinis?Ideo homo sapiens in omnibus metuit.Ecclesiastici.18. Sap. 14. Creaturæ in odium hominum factæ sunt,&c. Vbicũque sit homo,imminet ei mors culpæ:vnde in vmbra mortis dicitur esse,Luc.1.Illuminare iis qui in tenebris,&c. Ad secũdum pertinet illud,Et in signũ cui contradicetur.Et suam ipsius animam pertransibit gladius, &c,Signum seueritatis & iusticiæ diuinæ est,quòd Deus pater potius voluit vt vnigenitus eius pœnam pro humano genere solueret, quàm vt ipse eam remitteret.Ber.Qui non parcit filio,nunquam parcet figmento:nunquid parcet seruo nequam?Lucæ.23. Si in viridi ligno hec fiũt,in arido quid fiet?In Psalm. Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus.Arcus inquam diuini iudicij.Signum etiam diuinæ iusticiæ est quod filius Dei matri propriæ noluit in hoc parcere:licet enim sciret quòd dolor passionis eius animã matris pertransiret, voluit tamẽ potius penam illam pro humano genere pati cum tanto dolore matris; quàm eam remittere.Item positus est in ruinam viciorum. vnde Esa. 19.Ecce dominus ascendet super nubem leuem, idest, carnem à peccato immunem:& ingredietur Ægyptum,id est mundum,& commouebuntur simulacra Ægypti, idest, vicia ab hominibus amouebũtur. Et resurrectionem virtutum.Esa.4:Apprehendent septem mulieres,idest, septẽ virtutes virum vnum;idest Christum. Et eiusdem 9. Requiescet super eum spiritus domini, &c.Item positus est in ruinam dæmonum,& resurrectionem, idest, ruinæ reparationem angelorum. Colo. 2. Expolians principatus, &c.Lu.11.Cùm fortis armatus custodit atriũ suum. Esayæ 49.Nunquid tolletur à forti præda,&c.Item positus est in ruinam superborum, & resurrectionem humilium. Lucæ 1.Deposuit potentes de sede & exaltauit humiles. Ecclesiastici 10.Sedes ducum superborum euertit:& sedere fecit mites pro eis.Psalm.Suscitans de puluere egenum,&c. Ipse Iudæos superbos humiliauit: & gentiles humiles exaltauit

exaltauit.Ro.11.Cæcitas contigit ex parte Israel: vt plenitudo gentium subintraret.Esa. In lapidem offensionis & petram scandali erit duabus domibus Israel.Eiusdem 60. Pro eo quòd fuisti desolata & derelicta & odio habita, ponam te in superbiam seculorum.Et notandum quòd ille cui saluator est in ruinam,vere videtur esse filius perditionis,cum aliorum saluator sit eius perditor. Quinque genera hominum videntur dici filij perditionis.Primo illi qui salubribus ad sui damnationem vtuntur qualis fuit Iudas,de quo dicit interlin. super Ioan.13. Vbi agitur de vnguento:Iste moritur bono odore, de quo alij viuunt. Ioan.18.Nemo periit ex eis, nisi filius perditionis. Quis locus emundationi relinquitur, quando illud hominem destruit quod eum mundare debuit? Psalm. Destruxisti eum ab emundatione.Grego.Cælestis medicus ægros nō respicit,quos medicamento deteriores fieri videt. Secundi sunt superbi. Gre.Euidentissimum signum superborum est superbia:humilitas electorum.Superbus habet quandam ventosam plenitudinem ex qua indignatur, & omnē escam abominabitur.Dauid, Omnem escam abominata est anima eorum.Tertij sunt immisericordes, qui non timent etiam iniuriari pauperibus.Vnde.2. Regum 12.dicit Dauid de illo qui ouiculam pauperis rapuerat, Viuit dominus!filius mortis est, &c. Quarti sunt per obstinationem obdurati.Ecclesiastici 3.Cor durum male habebit in nouissimo:& qui amat periculum,in illo peribit. Quinti sunt qui habent multa temporalia & multum amant ea. Matthei 19. Amen dico vobis quia diues difficile intrabit in regno cælorum. Facilius enim est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum, &c.Bernardus, Vtinam tantum congregata perirent & non congregator eorum: tolerabilius esset insudare labori perituro, quàm perempturo: Idem, Pereunt miseri dum perituris adhærent: omittentes ea quibus appræhensis saluare possent animas suas.

Sermo tertius de eodem.

ET in signum cui contradicetur.

Cum multifariè multisque modis olim sit Deus locutus patribus in prophetis: nouissime locutus est nobis in filio.Hebræ.1. Docens per eum verbo & exemplo bona transitoria,scilicet delicias,diuitias & honores non esse vera bona,non esse amanda:molestias vero corporis, scilicet paupertatem, contemptum, non esse vera mala, nec esse timenda.Aug.super illud Hebr.2. Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem. Omnia terrena bona contempsit homo Christus vt contemnenda monstraret, & omnia terrena mala sustinuit, quæ sustinenda præcipiebat:vt nec in illis quæreretur felicitas,nec in istis timeretur infelicitas.Bern.in sermonibus, Dei filius in cuius arbitrio erat eligere tempus elegit quod molestius est.Præsertim paruulo & pauperis matris filio: quæ vix pannos habebat ad inuoluendum,præsepe ad reclinãdum. Et certe cum tanta necessitas esset, nullam audio pellium fieri mentionem.Idem Christus qui non fallitur elegit quod carni molestius est.Id ergo melius,id vtilius,id magis eligendum:& quisquis aliud doceat vel suadeat, ab eo tanquam à seductore cauendum. Dictum est pastoribus ab angelo,Luc.2.Hoc vobis signum, inuenietis infantẽ pannis inuolutum,positum in præsepio.Quod dicitur, Infantem:pertinet ad molestiam seu luctum. Puer enim à ploratu incipit vt dicit Augustinus. Sap.7. Primam vocem similem omnibus emisit ploratus.Quod dicitur,Pannis inuolutum,pertinet ad paupertatem. Quod dicitur,& positum in præsepio:ad vtilitatem, seu humilitatem.iis signis à multis hodie cõtradicitur.Ber.in sermonibus,In signum positi sunt panni tui:ô bone Iesu,sed in signum cui à multis hodie contradicitur.Multi quippe vocati,sed nõ multi electi,& ideo non signati.Et nota quòd primo signo contradicunt voluptuosi.Ecclesiastici 21. Audiuit luxuriosus, & displicebit ei. Secundo signo contradicunt auari.Matth. 2.Cum audisset adolescens verba hæc, abiit tristis: erat enim habens multas possessiones. Tertio signo contradicunt superbi.Vnde Ecclesiastici 13. Sicut abominatio est

super

ſuperbo humilitas: ſic execratio diuiti paupertas. Et notandum quòd ſpeciale ſignum Chriſtianorum eſt, paſſionis Chriſti imitatio. Exo. Erit vobis ſanguis iſte in ſignũ. Eiuſdem 13. Erit quaſi ſignum in manu tua: & quaſi monumentum ante oculos tuos. Eze. 9. Omnes qui habebant thau, non ſunt percuſſi. & Ioſue 2. Raab ligauit filum coccineum in feneſtra ſua, & ſaluata eſt. Hoc ſigno ſignatus erat apoſtolus & primi de eccleſia. Galat. 5. Stigmata Ieſu in corpore meo porto. Gloſa. Stigma dicitur punctum vel nota ferro facta. Et in eodem, Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt. Sed hodie mutata ſunt. Dauid, Poſuerum ſigna ſua ſigna. Item, Turbabũtur qui habitant terminos à ſignis tuis. Termini ſunt extrema rei. Terminos ergo habitant qui terrena quæ ſunt extrema & minima diligunt. &, Tuã ipſius animam pertranſibit gladius. Beda, Dominicæ paſſionis, quia non potuit videre dominum crucifigi ſine affectu materni doloris, & ſi ſperaret reſurrecturum. Secundum Chryſoſt. ſic intelligitur, Animam ipſius, ſcilicet, Chriſti, quam tuam reputas, pertranſibit gladius. Hieronymus ſic intelligit, Tuam ipſius, &c. ideſt tuiipſius. Non propter matris dolorem dimiſit Chriſtus aſcendere crucem: nec antequam opus ſalutis noſtræ conſummatum eſſet de ea deſcendit. Exemplo ergo eius & tu non dimittas crucem pænitentiæ aſcendere: nec de ea ante mortem deſcendas pro parentibus. Hieronymus in epiſtolis, Licet paruulus ex collo pendeat nepos: licet ſparſo crine & ſciſſis veſtibus vbera quibus te nutrierat mater oſtendat: licet in limine pater iaceat: percalcatum perge patrem: ſiccis oculis ad vexillum crucis euola. Solum pietatis genus eſt, in hac re eſſe crudelem. Idem, Gladium tenet hoſtis vt me perimat: & ego de matris lacrimis cogitabo?

Sermo quartus de eodem.

ET erat Anna propheteſſa, &c.

Euangelium hodiernum materiam ædificationis miniſtrat multis, Mulieribus ſcilicet & viris: Prælatis & ſubditis: Adultis & paruulis. Mulieribus in Anna quæ ve- *Nota ſingula.*

nerandæ ætatis & laudabilis cõuersationis spiritum prophetiæ habens, domino confitetur, & de puero loquitur hiis qui redemptionem Israel expectant. Et notandum quòd euangelista ostensurus quòd Anna deum laudauerit, primo eam commendat quia non est speciosa laus in ore peccatoris. Ecclesiastici 15. Non est reputanda laus quam facit qui laudabilis non est. Non est ignis frigescere: nec personæ vituperabilis erit laudare. Et attẽde quòd septem tangit euangelista, quæ pertinent ad commendationem Annæ. Primum est, quòd vsque ad matrimonium virginitatem suam seruauit. Secundum quòd post mortem viri licet breui tempore cum eo fuerit, alij copulata nõ fuit. Tertiũ est quòd per tam lõgo tẽpore in viduitate bene se habuit. Quartũ, quòd à tẽplo nõ discessit. Quintũ, quòd in ieiunando corpus suum macerauit. Sextum est, quòd obseruationibus institit. Obsecratio est petitio cum adiuratione, Septimum, quòd donum prophetiæ habuit. Circa primum notandum est quòd virginitas est velut thesaurus. Iob 38. Nũquid ingressus es thesauros niuis?

Et dicitur virginitas, Thesaurus, propter preciositatem: Niueus, propter puritatẽ. Iste thesaurus est impreciabilis: quia nõ est digna põderatio cõtinentis animæ. Ecclesiastici 26. Et si amissus fuerit, erit irrecuperabilis. Licet Deus miracula in terra fecerit: tamen nulli si virginitatem amisisset eam restituit. Iste thesaurus adeo preciosus est quòd celestis gloriæ precium est. Et non solum illius gloriæ quæ communis est omnibus electis, sed etiam gloriæ specialis, scilicet, aureolæ. Quod figuratum est Exo. 25. Vbi preceptum est vt fieret mensa: & super mensam coronam & super coronam coronula quæ figurabat aureolã. Istum thesaurum habemus in vasis fictilibus 2. Corinthiorum 4. Væ illis qui tantum thesaurum cum Dei offensa tanta propter momentaneam voluptatem carnis amittunt. Circa secundum notandum quòd cum mortuo altero coniugum reliquus se debeat semimortuum reputare: erãt enim vna caro: & cũ in aliquibus auibus hoc inueniatur, quòd vna mortua, compar alteri non societur: honestum esset nisi periculum timeretur vt coniuges primis nuptiis essent contenti, Pudet ad negotium honestatis rationem non posse in homine, quod natura possit in volucre. Augustinus.

gustinus.Secundas nuptias licitas omnino concedit Apostolus: De tertiis autem & quartis & de pluribus vltra solent homines mouere quæstionem:si quis audeat diffinire quod nec Apostolus audet diffinire. Ait enim 1. Corinthiorum 7.Si dormiuit eius vir:cui vult nubat. Non dicit primus vel secũdus,&c.Et subdit Aug.Vt breuiter respondeam,Nec illas nuptias debeo damnare: sed eis verecundiam numerositatis auferre. Circa tertium notandum quòd cum difficile sit assuetis carere, valde commendabile est quòd tanto tempore bene in viduitate se habuit. Ad quod multum valere potuit:quòd carnem suam ieiunando macerauit.Hiero. Quandiu Eua in paradiso abstinuit,virgo fuit:quamcito preceptum violauit, corruptionem sensit.Idem ad quandam virginem:O filia si Apostolus castigauit corpus suum & in seruitutem redegit, ne cum aliis prædicasset reprobus efficeretur: quomodo tu iuuencula in feruore iuuentutis posita dapibus & vino plena,de castitate eris secura?Circa quartum nota: quòd secundum Glo. quia circa templum frequens erat, eam non discedere dicit:non quia ad horam non discesserit, Valde commẽdabile est in filiis & filiabus dei libenter esse in domo patris sui Luc.2. Nesciebatis quia in his quæ patris mei sunt oportet me esse, Quod Anna in templo libenter manebat,datum est ei vt videret ibi saluatorem.In hoc etiam quòd à templo non discedebat, datur exẽplum viduis ne sint vagæ sicut meretrix,de qua prouerb.7. Ecce mulier occurrit ei ornatu meretricio, præparata ad decipiendas animas vagas,&c.Nũc in plateis,&c.Circa quintum attende illud 1.Tim.5. Vidua quæ in deliciis est, viuens mortua est.Periculosus est valde status viduitatis, si vidua delicatè viuat.Circa sextum attendendum est illud 1.Tim.5.Quæ verè vidua est & desolata, speret in dominũ & instet obsecrationibus & orationibus nocte ac die. Circa septimum attendendum est illud quod dicit Glo. De Anna quòd longa castitate longisque ieiuniis ad hoc peruenerat, vt spiritum prophetandi acciperet. Vult dominus vas esse in quo balsamum suæ sapientiæ ponit,Sap. 7.Sapientia in animas sanctas se transfert: & amicos dei & prophetas constituit.& Dan.1. Legitur de pueris abstinentibus quòd Deus dedit illis scientiam & disciplinam

in omni libro & ſcientia. Quæ verba dixit Anna deum laudando, vel de puero aliis loquendo, ſcriptum non eſt: quia mulier auctoritatem docendi non accipit, vt tangit Glo.1.Corinthiorum 14. Mulieres in eccleſiis taceãt. Non enim permittitur eis loqui. 1.Tim.2. Docere mulieres non permitto, &c.

Dominicæ infra octa. epiphaniæ domini

SERMO PRIMVS.

CVm factus eſſet Ieſus annorũ duodecim, aſcendentibus illis Hieruſalem, &c. Luc.2.

Secundum conſuetudinem diei feſti præceptum eſt à domino vt omnis maſculus de vniuerſis finibus Iſrael in anno tertio, ſcilicet, in tribus ſolennitatibus ſe preſentarent domino. Exod.23. Et offerre debebant hoſtias determinatas in lege. De mulieribus vero non eſt præceptum: ſi tamen comitabantur viros ſuos bonum erat. Et qui remoti erãt, de duabus ſolennitatibus ſe poterant excuſare in neceſſitate, ſed de ſolennitate paſchæ, non poterant, niſi pro infirmitate.

Cũ factus eſſet annorũ duodecim, &c.

Hiſtoria præſentis euangelij multam materiam ædificationis nobis miniſtrat. Ædificat enim nos in eo mater: ædificat & filius. Duodecim vero ſunt ad quæ mater exemplo ſuo nos monet. Matth.10. Monet nos ad duodecim, ſcilicet. Primo ad peregrinationem ſeu locorum ſacrorum viſitationem: & ſpecialiter ad peregrinationem Hieroſolimitanam. Hæc enim fuit peregrinatio beatæ virginis. Secundo ad filiorum inſtructionem. Adduxit beata virgo ſecum filium ſacra loca viſitans. Quæ filios ſuos verbo & facto debito modo non inſtruunt, videbunt eos duci coram toto mundo ad infernale ſuſpendium. Lucæ 23. Filiæ Hieruſalem, nolite flere ſuper me, &c. Quia ecce venient dies in quibus dicent, Beatæ ſteriles, & ventres qui non

non genuerunt. Tertio monet vt ea quæ ad diuinum cultum pertinent expleamus. In hoc ſcilicet quòd non redit ad propria niſi prius conſummatis diebus ſolennitatis. Econtrario multi faciunt quos diabolus extrahit de eccleſia officio nondum conſummato. Refert Gregorius in dialog. de quodam monacho qui non poterat morari in oratione, quòd beatus Benedictus vidit quendam paruulum nigrum qui eum de eccleſia extrahebat. Quarto monet nos vt turbam fugiamus: quia beata virgo in turba filium amiſit. Zacheus in turba Ieſum non vidit. Lu. 19. Seneca: Quo maior eſt populus cui admiſcemur: hoc periculi plus eſt. Idem: Subducendus eſt populo tener animus & parum tenax recti. Nemo noſtrum impetum vitiorum tam magno veniĕtium comitatu ferre poteſt. Eccleſiaſtici 18. Ne oblecteris in turbis nec in modicis: aſſidua enim eſt commiſſio illorum Quinto vt ſolennitates timeamus. Occaſione ſolennitatis beata virgo amiſit filium ſuum. In magnis ſolennitatibus ſolent latrones ſpoliare domos. Iu feſto herodis Ioannes eſt decapitatus. Matth. 14. In feſto Pharaonis piſtor eſt ſuſpenſus. Gene. 41. Multi ſolennitates quæ inſtitutæ ſunt propter vtilitatem animarum, conuertunt ad voluptatem corporum, vacantes comeſſationibus & ebrietatibus & vanitatibus, ideo dicitur Malach. 2. Diſpergam ſuper vultum veſtrum ſtercus ſolennitatum veſtrarum. Eſayæ 1. Solĕnitates veſtras odiuit anima mea. Tren. 1. Viderunt eam hoſtes, & deriſerunt ſabbata eius. Amos 5. Odi & proieci feſtiuitates veſtras: quaſi dicat veſtræ ſunt, non meæ. Sexto vt ad Ieſum ſemper oculos habentes ſollicite eum cuſtodiamus. Prouer. 27. Qui cuſtos eſt domini ſui, glorificabitur. Beata virgo filium ſuum amiſit, quia oculos ſuos ad eum non habuit. Dauid: Oculi mei ſemper ad dominum. Item In Pſal. Firmabo ſuper te oculos meos, gloſa. Non auferã oculos meos à te, quia tu ſemper leuas oculos tuos ad me. Et notãdũ quòd puer remanſit in Hieruſalem parentibus hoc non agnoſcentibus. Sic à multis amittitur Ieſus ipſis ignorantibus, eò quòd raro conſcientias ſuas ſcrutentur. Credentes eum eſſe in comitatu, amiſerunt illum. Sic aliqui qui ſunt in ſanctis congregationibus confidentes de hoc quòd Ieſus eſt in illorum ſocietate, quantum ad ſeipſos illorum ſo-

cietate, quantum ad seipsos illum amittunt. Septimo vt eum amissum quæramus perseueranter. Post triduum reperit beata virgo filium suum, scilicet post triduum contritionis, confessionis & satisfactionis reperitur Iesus. vnde Exo.8. Eamus viam trium dierum in solitudine, vt sacrificemus domino deo nostro. Vel poterit intelligi primus dies cognitio qua cognoscit mũdum nihil esse. Hierem.4. Aspexi terram, & ecce vacua erat &c. Secundus vero cognitio qua aliquis cognoscit se nihil esse. Galathas sexto, Qui putat se aliquid esse cùm nihil sit, ipse se seducit. Tertius est cognitio qua cognouit se minus quam nihil esse. Cum enim homines peccant nihil sunt, vt dicit Augu. & Qui facit peccatũ seruus est peccati Ioan.8. Seruus vero minor domino est: ergo qui facit peccatum, minus quàm nihil esse videtur. Octauo vt quæramus eum sapienter, voluptuosi in delitiis, cupidi in armentis quærunt eum: ideo non inueniunt. Cant.3. In lectulo meo quæsiui per noctem quem diligit anima mea: quæsiui eum & non inueni eum. Oseæ 5. In gregibus suis & in armentis vadunt ad quærendum dominum, & non inuenient, beata virgo sapienter quæsiuit: quia in templo in medio doctorum aliquando inuenitur, in prædicatione & lectione, qui non est inuentus in oratione. Nono vt quęramus cùm dolore. Pater tuus, inquit, & ego dolentes quærebamus te. Ber. Quomodo bone Iesu inueniam te in gaudio quem mater dolens vix inuenit? Ioan.vl. Maria stabat ad monumentum foris plorans Hiere. 6. Luctum vnige. fac tibi planctum amarum. Decimo vt parentum carnalium obliuiscamur in hoc quòd inter cognatos & vicinos Iesum non inuenit. Ber. Quomodo te bone Iesu inter cognatos meos inueniam qui inter tuos minimè es inuentus? Deuter.33. Qui dixerunt patri suo & matri suæ, nescio vos: hij custodierunt eloquium tuum. Vndecimo ad mansuetudinem in hoc scilicet, quòd inuento filio non conuiciatur nec maledicit sed rationem facti quærit. Fili inquid quid fecisti nobis sic? Dauid: Superuenit mansuetudo, & corripiemur. Ephe. 6. Patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros. Duodecimo ad verbi diuini conseruationē: Maria enim conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Amb. Maria non minus ore quàm corpore pudica

dicta,secreta quæ nouerat nulli diuulgat, sed tacito corde scrutationis congruum tempus quo deus hoc velit diuulgari reuerenter expectat. Ecclesiastici 9. Homo sapiens tacebit vsque ad tempus &c.Ecclesi. 2.; Est tempus tacendi & tempus loquendi.

Filius nos ædificat in sex.

Filius etiam in multis nos ædificat in euangelio hodierno.Primo in hoc quòd volũtarius est ad bonum. Duxerat eum mater visitans loca sacra, & diutius vult ibi morari quam mater.Berna.ad fratres de monte dei: Quicunque bonam voluntatem habebit, secũ habet quicquid ei ad bene viuendum opus est.Bona volũtas est velut materia omnium bonorum,sicut cera mollis materia est formandæ imaginis.Sapientia quæ desursum est, suadibilis est:bonis consentiens &c.Iaco.3.Secundo in hoc quòd inuentus est in templo non in foro:libenter manebat in domo patris cælestis. vnde Chrysosto.dicit de eo,Proprium erat boni filij, vt veniens primo ad domum curreret patris.Tertio in hoc quòd in medio doctorum inuenitur nõ in medio puerorum. Ecclesiastici 8. Ne despicias narrationem presbyterorum sapientium : & in prouerbiis eorũ conuersare:ab ipsis enim disces sapientiam.In eodẽ: Non te prętereat narratio seniorum;ipsi enim didicerunt à patribus suis.Eiusdem 16.In medio cogitantium legem domini assiduus esto. Quarto in hoc quòd patrem spiritualem ostendit præponendum esse carnalibus, dicens: Nesciebatis quia in iis quæ patris &c.Aug. Amandus est genitor:sed præponendus est creator.Matt.23. Patrem nolite vobis vocare super terram : vnus est &c.Quinto in hoc quòd matrem honorat humiliter ei obediendo. Descendit enim cum eis, & venit Nazareth:& erat subditus illis, Ber.Quis quibus?deus hominibus. In quo confunduntur quidam literati nolentes obedire prælatis suis minus literatis.Petrus seruo pontificis amputat auriculam, quia cognitio in multis impedit obedientiam.Ioan.18. Petrus interpretatur agnoscens.Bern.Quis non erubescet obstinatus esse in consilio suo: quando sapientia dei suum deseruit? Sexto in hoc quòd euangelista eum proficere dicit, Proficere inquam ætate & sapientia & gratia apud deum & homines.Exemplo ergo eius & nos proficiamus ætate,

à pue

à puerilitate ad virilitatem transeundo. Sunt aliqui qui semper sunt in conceptione boni propositi, semper bona quæ agant deliberantes, nunquam ea agentes: aliqui etiam semper sunt in infantia lectum conscientiæ semper inquinantes, quorum inquinata est semper & mens & conscientia. Titum 1. Semper edentuli, duris & asperis vti non valentes, lac præsentium delectationum sugentes, qui ad modum infantium quæ eis occurrunt in os ponunt: vt immũdicias alienas sicut patet in detractoribus. Tales enim proficiunt ætate. Exemplo etiam eius, sapientia debemus proficere non quantum ad cognitionem solum, sed quantum ad saporationem: mala magis vt nobis desipiant amplius displicendo, & bona magis sapiant amplius placendo. August. Ad discendum quod opus est nulla mihi ætas sera videtur: quia etsi senes magis decet docere quam discere: magis tamen discere decet quam quid doceant ignorare. Gratia etiam proficere debemus apud deum & homines, vt gratiores simus deo & hominibus 1. Cor. 10. Prouidentes bona non tantum coram deo, sed &c. Mat. 5. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona & glorificent patrem vestrum qui in cęlis est. Non est multum curãdum de gratia beluarum siue simiarum, velut simię sunt homines mali formam humanam exterius habentes, & interius bestiales. Sen. Quosdam ventri obediẽtes loco animalium numeremus non hominum.

Fili quid fecisti nobis sic &c.

Si vis loqui de septem verbis beatę virginis, require de illis in sermonibus sequentis dominicæ, scilicet, vltimo sermone. De iis quæ profectum impediunt vel iuuant: require in sermone illo epistolarum: Si spiritu viuimus, spiritu & ambulemus. Et dominica 15. in tractatu de caritate, cap. de grabibus caritatis.

Sermo

Sermo ſecundus de eodem.

CVum factus eſſet Ieſus annorũ duodecim, &c.

Tria oſtendit nobis Euangelium hodiernum, ſcilicet quòd parentes Ieſu Eum amiſerunt: Quæſierunt: & non inuenerunt. Et notandum quòd Ieſus dupliciter amittitur: Vno modo per mortalem culpam, cùm ſcilicet, deſinit eſſe per gratiam. Secundo modo cùm deſinit eſſe in viris contemplatiuis, quantum ad aliquem ſpiritualem effectum, id eſt, iocunditatem interiorem vel aliam deuotionem. Primus modus non videtur multum competere parentibus Chriſti, cùm dicat Augu. quòd cùm de peccatis agitur, de beata virgine nolo facere mentionem. Ideo de alio modo amiſſionis & de quæſitione & inuentione ei reſpondentibus proſequemur. Et notandum quòd cum viri ſancti attineant Chriſto omni genere attinentiæ, ſecundum illud Mat. 12. Quicunque fecerit voluntatem patris mei qui in &c. recte poſſunt intelligi parentes eius. Modus vero quo amiſerunt parentes Chriſti eum, oſtendit qualiter à viris contemplatiuis amittitur quantum ad deuotionem. Cum parentes eius aſcendiſſent in Hieruſalem ad ſacrificandum in die paſchæ, redeuntibus illis remanſit puer: & ipſi non cognouerunt hoc, exiſtimantes eum eſſe in comitatu. Vnde turba occaſio exiſtit amittendi. Viri ergo contemplatiui aſcendũt in Hieruſalem, quæ interpretatur viſio pacis per meditationem. Sacrificãt per orationem Habentes Ieſum per deuotionem. Ipſis vero recedentibus de Hieruſalem amittitur Ieſus quantum ad deuotionem in turba, videlicet Cogitationum: Affectionum: & locutionum mundanarum. Hæ ſunt turbæ quibus dimiſſis Ieſus in montem aſcendit ſolus orare. Matt. 14. Hæ turbæ impediunt ne Ieſus videatur. Luc. 19. & quãtum ad has turbas dictum eſt de contemplatiuo, Tren. 3. Sedebit ſolitarius & tacebit &c. Illi, qui ſic amiſit Ieſum, attendendus eſt modus quo eum parentes eius quæſierũt: & locus. Modus quærendi fuit quòd cum dolore quæſierunt eum. Pater tuus dicit beata virgo & ego dolẽtes quærebamus te. Cum dolore ergo quærere debent viri contẽplatiui.

Ieſus dupliciter amittitur.

platiui Iesum sic amissum. Dauid. In die tribulationis meæ:deum quæsiui,&c.Anselmus,Consolatio,lætitia, securitas,nolo vos,renuo vos, nisi peccati venia reduxerit vos.Ioan.20. Maria stabat ad monumētum foris plorans, de Iacob legitur Oseæ 12.Fleuit & rogauit eum, & subditur, In bethel inuenit eum. Locus in quo quæritur duplex est, videlicet.Locus in quo quæritur, & non inuenitur:& locus in quo quæritur & inuenitur. Locus in quo non inuenitur à viris contemplatiuis quantum ad consolationem spiritualem,sunt cognati & noti. Quanto enim plures habent familiares, tanto plures collocutiones: & hęc est turba in qua Iesus amittitur.Chrysost.Pro quanta parte maius est ad hanc rem cor tuum:pro tanta parte minus est ad deum. Quidam sanctus dicebat: Tria decent quemlibet religiosum scilicet,Pauca loqui: Paucos habere familiares:Multum orare.

Circa inuentionem Iesu tria attendenda sunt: scilicet, Locus in quo inuentus est:Modus inueniendi: Et ipse Iesus inuētus. Locus vero triplex est:Communis:Specialis: Magis specialis.Locus ergo erat triplex,videlicet, Communis,Hierusalem:Specialis,templum: Magis specialis, medium doctorum. In Hierusalem inuenitur non in Capharnaũ,quod interpretatur,villa consolationis,vbi quærunt eum voluptuosi. Iob.17. Non inuenitur in terra suauiter viuentium. Capharnaum ad litteram maledixit dominus,Matthei 11. Et tu Capharnaum nunquid vsque ad cælum exaltaberis?Vsque ad infernum descendes &c. Veruntamen dico vobis quia terræ Sodomorum remissius erit in die iudicij,quàm tibi.Et eius habitatores sunt maledicti.Lucæ 6.Væ vobis diuitibus qui habetis hic consolationem vestram.Item inuenitur in templo non in palacio vbi quærunt eum ambitiosi.Ibi non est inuentus à Magis. Matthei 2.In palacio illuditur Iesus. Non decet indutum sacco, id est religiosum indutum vili habitu intrare aulā regiam.Hester,4.Item inuenitur in medio doctorum non in medio negociatorum vbi quærunt eum cupidi qui domum dei domum negociationis fecerunt. Ioan.2. Sed in Hierusalem quæ est visio pacis,siue pacifica.Inuenitur ergo Iesus in Hierusalem quæ est visio pacis per exercitium meditationis. In templo quod est domus orationis per exercitium

exercitum orationis. In medio doctorum per exercitium lectionis.Inuenitur autem dominus Ieſus Sedens: Audiēs: & Interrogans. Inuenitur Ieſus ſedens contra inquietos. Audiens contra præſumptuoſos, qui prius volunt dicere quàm audire. Interrogans contra vanæ gloriæ cupidos, qui dedignantur interrogare,ne videantur ignorare. Inuentus eſt autem poſt triduum:quia videlicet quaſi prima die quærere debet contemplatiuus deum in ſe. Si vero nō inuenit eum per ſui conſiderationem: quærat eum extra, conuertendo ſe ad ſpeculum creaturarum & ſacram ſcripturam quaſi ſecunda die.Quod ſi non inuenerit eum ſic, quærat eum ſuper choros angelorum in ſua natura quaſi tertia die.Et poſt triduum inuenitur, ſcilicet Poſt cognitionem Senſibilium:Imaginabilium:Intelligibilium.Cognoſcitur enim in contemplatione eſſe Ieſus ſupra Senſibilia:Imaginabilia:& Intelligibilia.

Dominicæ primæ poſt epiphaniam

SERMO PRIMVS.

NVptiæ factæ ſunt in Chana Galileæ &c.

Sex continet Euangelium hodiernum. Primo determinatur locus vbi miraculum factum eſt, ſcilicet in Chana Galileæ.Secundo perſonæ coram quibus factum eſt ibi:Et erāt ibi mater Ieſu &c. Tertio ea quæ dederunt occaſionem vt fieret miraculum, ſcilicet conuiuarum defectus ſiue miſeria.Mariæ miſericordia, miniſtrorum obedientia.De hoc ibi:Vinum non habēt,&c. Quarto manifeſtatio miraculi, ibi, Haurite nunc & ferte Architriclino.Quinto ordo miraculi ad alia miracula facta à Chriſto,ibi:Hoc fecit initium ſignorum &c. Sexto effectus miraculi,ibi:Et manifeſtauit. Nuptiæ factæ ſunt &c. Notandum eſt quòd triplex eſt matrimonium. Triplex eſt matrimonium,videlicet. Matrimonium carnale inter virum & mulierem,ad quod pertinent nuptiæ, de quibus hic habetur. Et matrimonium ſpirituale inter deum & animam. Et matrimonium quaſi medium inter filium

dei & humanam naturam. Primum matrimonium fidelibus commendandum est vt in honore habeatur: & circa illud instrui debent ne per indiscretionem in illo periclitentur. Et hæc duo facit series huius Euangelij commendans matrimonium, & circa illud fideles instruens. Tripliciter vero illud commẽdat, scilicet, Primo in hoc quòd ostendit dominum honorasse matrimonium, præsentiam suam & matris suæ & discipulorum suorum in nuptiis exhibendo. Secundo in hoc quòd ostendit eum ibi miraculum fecisse. Circa miraculũ vero tria attende. Primo quòd fuit miraculum primum à saluatore publicè factum: vnde dicit Euangelium: Hoc fecit initium, scilicet Iesus. Secundo quòd fuit miraculum singulare: quod nunquam alias in Euangelio ipsum legimus fecisse. Tertio quòd fecit illud miraculum ante Ioannis incarnationem. Non adhuc lucifer, scilicet Ioannes lucebat: & tamen ad honorem matrimonij verus sol splendore tanti miraculi conuiuis illuxit. Tertio Euangelium commendat matrimonium, ostensione virtutis ipsius. Mutatio enim aquæ in vinum virtutem matrimonij indicat. Aqua sordida & lutosa est solatium mulieris viro, si sacramentum matrimonij desit. Hæc est aqua in qua porcini homines volutantur. 2. Pet. 2. Sus lota in volutabro luti: hoc est mare in quo dæmones gregem porcorum præcipitant. Mat. 8. Sed quasi vinum præciosum est, solatium mulieris viro habenti se ordinatè in matrimonio. Ecclesiasti. 31. Exultatio animæ & corporis vinum moderatè potatum. Væ illi qui aquam sordidam vino precioso præfert. Vere honorabile coniugium, vt dicitur ad Heb. vlti. quod dominus sic voluit honorare. Qui matrimonium honorauit in paradiso illud instituendo per se in statu innocẽtiæ in horto delitiarum: honorare voluit illud etiam in hoc exilio de coniugata nascendo. Mat. 1. Et separationem eius prohibendo eiusdem 19. Et presentiã suam in nuptiis exhibendo: & miraculum ibidem faciẽdo. Honorauit etiam matrimonium & mater Christi: quæ & matrimonium contraxit & in nuptiis presentiam suam exhibuit. Et ad faciendum miraculum filium suum incitauit.

Sequitur de instructione: & notandum quòd Euangelium istud tripliciter instruit fideles circa matrimonium.

Ostendit

Ostendit enim quomodo se debeant habere circa illud, quantum ad Deum,& quantum ad proximum, & quātum ad se. Quantum ad deum,ibi,Erat mater Iesu ibi. Vocatus est enim Iesus & discipuli eius ad nuptias. Quantum ad proximum,ibi, *In Chana Galilee*. Quantum ad se, ibi, *Tu autem seruasti bonum vinum,&c.* Cum aliquis contrahit matrimonium,adesse debet Iesus in matrimonio cum discipulis suis:& hoc multipliciter.Primo quia implorandum est consilium & auxilium eorum & fideliter sperandum est quòd ipsi matrimonium dirigent. Si vero matrimonio contracto aliquid aduersitatis accidat, quòd est vinum deficere:recurrendum est ad matrem misericordiæ quæ filium inducat vt aquam tribulationis in vinū exultationis mutet. Tob. 3. Post tempestatem tranquillum facis; & post lachrimationem & fletum exultationem infundis. Tobias & Sara tribus diebus continuis leguntur fuisse in oratione antequam carnaliter conuenirent. Tobiæ 6. Et sicut ibidem legitur in eos qui coniugiū ita suscipiunt, vt deum à se & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent sicut equus & mulus in quibus non est intellectus, In eos potestatem habet dæmonium. Aliter etiam debet Iesus nuptiis adesse,vt desiderio salutis nuptiæ fiāt, vt scilicet habeatur vxor adiutrix salutis. Genes. 2. Non est bonum hominem esse solum. faciamus ei adiutorium simile sibi. Et Matth. 18. Vbi duo vel tres sunt congregati in nomine meo:ibi sum ego in medio eorum, &c. Mater etiam saluatoris debet ibi esse, scilicet timor dei. Vnde Esa. 26. A facie tua domine concepimus, & quasi parturiuimus & peperimus spiritum salutis. Et Tob. 3. Virum cum timore tuo non cum libidine mea consensi suscipere. Solent etiā discipuli Christi esse ibi: discipuli inquam per imitationem. Quatuor specialiter videtur facere discipulos Christi: Mansuetudo: Humilitas. Matth. 11. Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Terrenorum contemptus. Lucæ 14. Qui non renunciauerit omnibus quæ possidet, nōn potest meus esse discipulus. Dilectio. Ioan. 13. In hoc cognoscent homines,&c. Humilitas debet esse in coniugibus, quæ causa est concordiæ: sicut superbia causa discordiæ. Inter superbos semper iurgia sunt. Prouerbiorum 13. Concordia in coniugibus multum placet deo. Ecclesiasti-

ci 25. In tribus beneplacitũ est spiritui meo, quæ sunt probata coram deo & hominibus. Concordia fratrũ & amor proximorum: & vir & mulier sibi consentientes. Mansuetudo etiam necessaria est. Duricies enim viri frequenter est mulieri occasio adulterij. Colossen. 3. Viri diligite vxores vestras: & nolite esse amari ad illas. Inhumanum est, quòd vir male se habeat ad illam quæ patrem & matrem & ceteros cõsanguineos suos pro eo reliquit. Hiere. 2. Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam & caritatem desponsationis tuæ, quando secuta es me in deserto, &c. Item in matrimonio comparatione vxoris bonæ terrena sunt contemnenda. Domus enim & diuitiæ dantur à parentibus: à domino vero proprie vxor prudens. prouer. 20, & ecclesiastici 26. Mulieris bonæ beatus vir, &c. Amare etiam debet vir vxorem. Eph. 5. Diligite vxores vestras sicut & Christus dilexit ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea. Et potest attendi hæc similitudo in duobus. Primo in hoc quòd zelet pro salute vxoris. Christus enim pro salute ecclesiæ mortuus est. Secundo in hoc quòd si adulterat & post peniteat: a viro misericorditer recipiatur. Oseæ 3. Diligite mulierem dilectam ab amico & adulteram, sicut diligit dominus filios Israel, & ipsi respiciunt ad deos alienos. Item ad Eph. 5. Viri debent diligere vxores suas vt corpora sua. Ibidem. Qui suam diligit vxorem, seipsum diligit. Item in eodem: Vnusquisque vxorẽ suam sicut seipsum diligat. In hoc etiam quòd Iesus & mater eius & discipuli nuptiis intersunt insinuatur quòd honestæ personæ ad nuptias sint vocandæ: non hystriones. Ecclesiastici 12. Si benefeceris scito cui benefeceris. & in eodem: Benefac iusto. Item. Da misericordi, & ne suscipias peccatorem. Item in hoc quòd dicitur, & discipuli eius inuitur quòd abundantia nuptiali paupertas pauperum debeat releuari. Pauperes enim erant Iesus & mater eius & discipuli eius. Lucæ 14. Cum facis conuiuium, voca pauperes, &c. Et attende quòd cum abũdantia nuptialis paupertatem ipsorum debuerit releuare: econtrario pauperes indigentiæ nuptiarum subuenerunt. Sic accidit in iis qui sunt vere misericordes: quia à pauperibus sustentantur, cum videantur eos sustentare 3. Reg. 17. Illi viduæ quæ Eliam pauit, farina & oleum non defecerũt donec dominus

nus pluuiā daret terræ. Missus erat Helias ad viduam illam vt pasceretur ab ea: & ipse potius pascebat eam. Prouer. 11. Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt. Luc. 11. Date & dabitur vobis. Nuptiæ debent fieri in Chana Galileæ, vt scilicet, hac intentione vxor ducatur, vt inde proles suscipiatur. Galilea enim interpretatur transmigratio. In Galilea nuptias facit qui intentione consulendi mutabilitati præsentis vitæ vxorem ducit, attendens mundum istum locum esse transmigrationis non mansionis. Vnde vt ipse in hærede permaneat qui in se permanere non potest, qui hæres post eius mortem locū eius teneat & ei subueniat, matrimonium vult contrahere. Tob. 8. Domine tu scis quia non luxurię causa accipio vxorem meam: sed solum posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum, in secula seculorum. In nuptiis bonum vinum seruandum est. Non enim totam mercedem suam hic debent coniuges recipere, sed laborem matrimonij sustinentes, in futuro fructum debent expectare. Hic debent intēdere merito vt in futuro possint frui præmio. Ecclesiastici 1. Timenti Deum bene erit in extremis. Econtrario dicitur de quibusdam, Iob 21. Ducunt in bonis dies suos: in puncto autem ad inferna descendunt. Ecce quod deterius est. Prouer. 5. Fauus distillans labia meretricis, &c. Nouissima eius amara quasi absynthium, &c. Prouer. 14. extrema gaudij luctus occupat. Apocal. 18. Quantum glorificauit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.

Sermo secundus, de eodem.

NVptiæ factæ sunt in Chana Galileæ, &c.

Notandum quòd triplex est matrimonium scilicet, Matrimonium spirituale inter deum & animam. Matrimonium carnale inter virum & mulierem, ad quod pertinēt nuptiæ de quibus hic habetur. Et matrimonium quod medium inter filium dei & humanam naturam. Secundum vltimum matrimonium de Christo dicitur in Psalm. Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Heb. 2. Non enim angelos apprehendit: sed semen Abrahæ ap-

prehendit. Hiere. 31. In caritate perpetua dilexi te ideo attraxi te miserans. Hoc matrimonium iniciatũ fuit in patriarchis & prophetis: beatificatum in angeli salutatione: consummatum in carnis assumptione. Sponsa vero transducta in domum sponsi in assensione. Aqua in vinum mutata est, quia insipiditas litteræ mutata est in dulcedinem spiritualis intelligentiæ: vel aqua timoris mutata est in vinũ amoris. Dominus enim terribilis factus est sponsus amabilis. Canti. 2. Introduxit me rex in cellam vinariam: ordinauit in me caritatem. Matrimonium spirituale: tripliciter contrahitur, scilicet, in baptismo: & per penitentiam: & per religionis ingressum. Ad primum pertinet illud Oseæ 2. Sponsabo te mihi in fide. Nota ad secundum quòd ibidem legitur, Sponsabo te mihi in iusticia & iudicio & in misericordia & miserationibus. Iusticia debet esse ex parte pænitentis: & cum iudicio. secundum illud, Ecclesiastici 33. Sine iudicio nihil graue facias. Rom. 12. Rationale obsequium vestrum. Ex parte vero dei est misericordia & miseratio. Misericordia potest pertinere ad affectum: miseratio ad effectum. Et ostẽditur in hoc magnã misericordia dei quæ est in suscipiẽdo animam peccatricem ad sui coniugium. Hoc coniugium figuratum fuit in cõiugio cum Æthiopissa, de qua Numeri 12. Moyses quidem Æthiopissam duxit in vxorem: sed non potuit eius mutare colorem. Christus vero quàm adamauit adhuc ignobilẽ & fœdam, gloriosam sibi exhibuit non habentem maculam neque rugam. Nuptiæ pertinẽtes ad hoc matrimonium: sunt gaudium supernorum ciuium. Lucæ 15. Gaudium est angelis dei super vno peccatore penitentiam agente. Hoc matrimonium debet habere triplex bonum, videlicet, Fidem, Prolem, & Sacramentum. Matrimonium pænitentiæ debet habere, fidẽ, ne admittat diabolum. Esaiæ 57. Iuxta me discooperuisti te, & suscepisti adulterum. Prolem bonorum operum, 1. ad Timot. 2. Saluabitur mulier per filiorum generationem. Sacramentum, ne anima à deo separetur. 1. Corinthiorum 7. Præcipio non ego, sed dominus, vxorem à viro non discedere. Sex hydriæ quibus purificandi sumus qui post baptismum actuale commisimus, secundum Ber. hæ sunt. Prima est compunctio Ezech. 18. Quacunque hora ingemuerit

muerit peccator, iniquitatum eius non recordabor amplius. Secunda, confeſſio: omnia enim in cōfeſſione lauantur 4. Reg. 5. Vade, lauare ſepties in Iordane. Tertia eſt eleemoſynarum largitio. Lucæ 11. Quod ſupereſt date eleemoſinam: & ecce omnia mūda ſunt vobis. Quarta eſt iniuriarum remiſſio. Matth. 6. Dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus, &c. Quinta eſt corporis afflictio: dealbantur enim ſancti in ſanguine ſuo miræ dei virtute. Apocal. 1. Qui dilexit nos & lauit nos à peccatis in ſanguineo ſuo. Sexta eſt obedientia præceptorum. Io. 14. Vos mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis, quod ideo dixit ſecundum Ber. quia in auditu auris obedierunt illi. Hæ hydriæ dicuntur lapideæ non propter duriciam, ſed propter ſtabilitatem. Duæ metretæ duplex timor, ſcilicet. Timor quo timeo ne forte contingat me in gehennam intrudi, vel ab æterna vita excludi. Secunda metreta eſt timor de amiſſione gratiæ. Vel ſex hydriæ intelligi poſſunt, ſex reliquiæ peccati: & in eo qui iam habet gratiam. Prima eſt, bonorū inſipiditas. Prouer. 25. Anima ſaciata, ſcilicet, peccati acerbitate, calcabit fauū, idest ſpiritualem dulcedinem. Eſa. 5. Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum. Secunda viſus ſpiritualis debilitas. Matth. 8. Dixit quidam à domino ſanatus, Video homines quaſi arbores ambulantes, Pſalm. Lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum. Tertia eſt incertitudo propriæ ſanitatis. Eccleſiaſtes 9. Neſcit homo vtrum amore an odio dignus ſit. 1. Corinthiorum 4. Nihil mihi cōſcius ſum: ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Quarta eſt, debilitas ad facienda bona: & ad ſuſtinenda aduerſa. Dauid. Dereliquid me virtus mea. Quinta eſt: appetitus noxiorum. Prouer. 1. Vſquequo paruuli diligitis infantiam, & ſtulti quæ noxia ſunt cupient? Sexta eſt voluntatum varietas, Eccleſiaſtici 22. Stultus vt luna mutatur. Prouerb. 15. Cor ſtultorum diſſimile erit. Hæ hydriæ aqua lacrimarum ſunt implendæ, vt vinum ſpiritualis lætitiæ habeatur. Vnde Prouer. 14. Cor quod nouit amaritudinem animæ ſuæ in gaudio non miſerebitur extraneus. Vel ſex hydriæ poſſunt intelligi ſex genera meditationum, quibus indiget pænitens. Prima eſt de ſtatu ante conuerſationem. Secunda eſt de ſtatu quem tenemus. Qui licet ſit ab iniquitate

mundus:non tamen à tentatione immunis.Status primus est quasi status filiorum Israel in Ægypto, qui premebantur seruiendo in luto & latere.Exod.1.Secundus status est quasi proficientium per desertum vbi multa fuerunt pericula.Tertia est de occulto dei iudicio qui terribilis est in consiliis super filios hominum.Quod iudicium cum sciatur initum, non debet reprehendi:& quia occultum non valet comprehendi.Quarta est meditatio de exitu nostro ab hac vita.Quinta de æternitate gehennæ. Sexta de æternitate gloriæ.Hæ hydriæ aqua implentur cum dei gratia in his meditationibus demorantes timore magno replemur.Primam hydriam aqua impleo, cum circa præterita peccata attendo, scilicet, Damnū quod ex eis passus sum. Fœditatem qua pollutus sum. Seruitutem qua venundatus sum.Dolorem habens de damno.Pudorem de fœditate. Indignationem de seruitute. Secundā hydriam aqua impleo, cùm considero propriam ad resistendum malo infirmitatem.Et ad agendum bonum tepiditatem. Et cum his tentationum multiplicitatem. Tertiam hydriam impleo cum considero rationem districtissimam reddēdam de omnibus omissis & commissis. Item, operum nostrorum in conspectu dei indignitatem.Isa. 44. Omnes iustitiæ nostræ quasi pannus mēstruatæ.Item illam quam habeo de statu meo cæcitatem. Ecclesiast. 9. Nescit homo finem suum.Quartam hydriam impleo cum considero.Hinc exeundi necessitatem:& horam incertam. Iob 32. Nescio quamdiu subsistam:& si postmodum tollat me factor meus.Item modum incertum exeundi: & incertum locum quo exiturus sum.Et quòd hæc omnia relinquam: incertus quid post hāc vitam reperiam. Hester 8. Vix verbum de ore regis exierat:& operuerunt caput Aman.Sic de illo qui damnandus est, voluntas dei post exitum cito fiet.Matth.26.Dicit Christus, Tristis est anima mea vsque ad mortem:& ego miser horam mortis meæ non expauescam? Quintam & sextam impleo dum timeo, ne hanc incurram, & illam amittam. Multi videntur magni meriti esse, qui gloriam non habebunt. Matth. 6. Multi dicent mihi in illa die, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, &c.Et tunc confitebor illis, quòd non noui vos. Multi etiam nullius meriti videntur esse, qui ad gloriam peru-

peruenient. Eiusdem 21. Publicani & meretrices præcedent vos in regno dei. Hæ hydriæ debent esse lapideæ, idest, fortes & constantes, non debiles & instabiles. Hydriam habet luteam & non lapideam; qui peccata sua recolit ad delectãdum. Nume. 11. Recordamur piscium quos comedebamus in Ægypto, &c. Prima hydria habet tres metretas, si considerans statum tuum ante conuersionem, attendas te in illo statu fuisse bonis vacuum; malis plenum. Item cum consideras quanta sollicitudine debuisti cauere mala quæ deus prohibuit: & facere bona quæ deus precepit. Hydria secunda habet tres metretas, cum attendo mentis meæ instabilitatem, corporis imbecillitatem & ruinam paratam si desit diuinum auxilium. Nota ergo quòd mẽtis instabilitatem hoc indicat quòd cum lingua personat mens huc & illud euagatur: & tunc muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti. Corpus etiam imbecillum est ad bonum: & pronum est ad malum. Ruina propinqua est vt dici possit illud Psal. Nisi quia dominus adiuuit me paulominus habitasset in inferno anima mea. Tertia hydria habet tres metretas dum timeo ne deus ad pœnam mala mea reseruet & ne forte bona mea non acceptet. Ecclesi. 7. Nemo potest corrigere quem ille despexerit. Iob. Si destruxerit nemo est qui ædificet. Item dum timeo de statu meo & in prosperis & in aduersis: ne scilicet prospera arrideant, vel ne sint retributio bonorum si qua egi. In malis ne sint initia dolorum quorum finis sit Defectus indeficiens: Mors viuens: Interitus æternus. Quarta hydria habet tres metretas si pertractatur quam dura sit spiritus & corporis separatio. Ecclesi. 41. O mors quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis &c. Item post mortem; corporis putrefactio: & post putrefactionem vermis. Iob. 25. Homo putredo & filius hominis vermis. Itẽ hora qua cõspectui iudicis sumus præsentandi 2. Corint. 5. omnes astabimus ante tribunal Christi &c. In hac hora tria sunt formidanda scilicet Hostis, Conscientia, Iudex. Formidandus est hostis accusans: conscientia attestans: iudex examinans. Quinta hydria tres habet metretas: si cogitetur ignis futuri exustio. Vermis corrosio. Vtriusque æternitas. Ignis est inextinguibilis: Et vermis immortalis, Esa. vlt. vermis

eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Sexta hydria habet tres metretas si apprehendatur quam beatitudinem habituri sumus quantum ad fortitudinem veræ potentiæ. Suauitatem caritatis sinceræ. Plenitudinem sapientiæ: vt simus plene roborati, inflammati, illuminati. Ad matrimoniū quod contrahitur per ingressum religionis; pertinet illud Oseæ 12. Seruiuit Israel in vxorem, & in vxorem seruiuit. Non suffecit Iacob, qui est Israel dictus, habere Liam nisi haberet & Rachelem. Sic Christus vult habere in suo coniugio & animas actiuorum & animas contemplatiuorum, Bern. Vnde hæc tibi inæstimabilis gratia vt eius sponsa merearis esse in quem desiderant angeli prospicere: vnde tibi hoc vt sponsus tuus sit cuius pulcritudinem sol & luna mirantur? Huic matrimonio bene competit illud Gen. 2. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem &c. Relinquet patrem scilicet mundum. Et matrem id est veterem consuetudinem. Hoc matrimonium in cipitur in mundi desertione: ratificatur in habitus assumptione: consummatur in professione. Parit Lia ante Rachelem: sic exercitium actiuæ præcedit iocunditatem contēplatiuæ. Ecclesiastes 3. Tempus flendi & tempus ridendi. Primo est tempus flendi. Sex hydrias ad nuptias huius coniugij pertinentes distinguit Bern. his verbis: Ego sex hydrias arbitror esse sex obseruationes quas ad purificandum corda sancti patres instituere. Sex sunt hydriæ secundum Ber. Prima est continentia castitatis qua diluitur quicquid ante luxuria inquinatur. Secūda ieiuniū, vt quod maculauit crapula abstinentia mundet. Per segnitiē quoq; & ociositatē multas contraximus sordes contra sententiā dei. Gen. 3. In sudore vultus tui, &c. Propter hoc tertia hydria nobis apponitur: vt sordes in labore manuū diluatur. Quarta hydria obseruatio vigiliarū ponitur: vt nocte surgentes ad confitendū deo: noctes non bonas præteriti tēporis redimamus. Item lingua nos multum inquinauerat: ideo necessaria est hydria quinta quæ est silentium custos religionis in quo est fortitudo nostra. Sexta hydria est disciplina qua non nostro arbitrio, sed alieno viuimus: vt deleatur quicquid indisciplinatē viuendo deliquimus. Aqua qua hæ hydriæ sunt implendæ, est timor domini concupiscentiam extinguens

guens ſicut aqua ignem. Iubentur hydriæ impleri aqua: vt obſeruentur mandata domini in timore. Quæ mutatur in vinum: cùm timor expellitur à charitate: & implentur omnia feruore ſpiritus & iocunda deuotione. Sed quærit Bern. dicens: Quem non moueat quòd in nuptiis ſic reſpondet dominus benigniſſimæ matri ſuæ: Quid mihi & tibi? &c. Nonne ipſa eſt in cuius vtero nouem menſibus moratus eſt? Et ſubdit: Propter nos reſpondet vt conuerſos ad deum iam non ſollicitet carnalium cura parẽtum: & neceſſitudines illæ non impediant exercitium ſpirituale. Quandiu de mundo fuimus, debitores conſtat nos eſſe parentibus: at poſtquam reliquimus noſmetipſos, multo magis ab ipſorum ſollicitudine liberi ſumus. Vnde legimus fratrem quendam in heremo conuerſantem cùm ad eum carnalis frater auxilij gratia aduentaſſet, reſpondiſſe vt adiret alterum fratrem eorum cum ille iam obiiſſet. Cunque admiratus qui venerat reſponderet quòd ille obiit: heremita humiliter ſe obiiſſe reſpondit.

Sermo tertius de eodem.

NVptiæ factæ ſunt in Chana Galileæ &c.

In hoc Euangelio, primo matrimonium commendatur. Secundo Mariæ pietas oſtenditur. Tertio eius poteſtas. Quarto obedientia eccleſiæ inſtruitur. Quinto merces patientiæ oſtenditur. Sexto fides eccleſiæ roboratur. De primo dictum eſt ſuperius in ſermone præcedenti. Ad ſecundum pertinet illud: Vinum non habent. Voluit dominus eccleſiam non ignorare officium beatæ virginis, quod eſt defectus eccleſiæ oſtẽdere ad ſupplẽdum. Eiuſdem eſt, vinum ſolatij deſolatis miniſtrare. Gene. 1. Introduxit me in cellaria ſua, etiã ſubdũt fideles, Exultabimus & lætabimur in te. Bernardus, Quid mirũ ſi pietatẽ exibet viſcera pietatis? Nonne qui pomũ in manu ſua tenuerit dimidia diei parte pomi ſeruabit odorem? Quintum igitur viſcera illa virtus pietatis affecit in quibus nouem menſibus requieuit. Nam ante repleuit mentem quam vẽtrem: & cùm proceſſit ab vtero, ab animo non receſſit. Poteſtas

eius in hoc ostēditur:quòd licet ipsa defectum illum supplere non petierit,sed solum indicauerit:& licet filius defectum illum ad eos non pertinere ostenderit: tamen ad nutum matris ipsum suppleuit.Bernardus,Quando misereri nolet mater misericordiæ: quando misereri non poterit mater omnipotētię?Ad instructionem obedientiæ pertinet illud, Quodcunque vobis iusserit facite. Obedientiæ est,non discernere quod iubetur: sed humiliter adimplere.Diabolica quæstio fuit, Quare præcepit vobis deus vt non,&c.Genes.3. Vtilitas illius præcepti nō apparebat: quam tamen cito experti sunt qui illud humiliter impleuerunt.Ber.Quid sibi vult istud domine?Ministri sollíciti sunt de vini penuria:& tu dicis,Implete Hydrias aqua.Illi de poculis cogitant: & tu præcipis vt purificationis vasa impleant. Merces patientiæ secundum intellectum spiritualem est in hoc quòd aquam in vinum mutat. Sanctis enim mala quæ hic patiuntur in bona conuertentur.Ioan.16.Vos tristabimini:sed tristitia vestra vertetur in gaudiū. Hebre.14.Omnis disciplina in præsenti non videtur gaudij esse sed meroris &c. Fidem ecclesiæ roborat miraculi facti memoria, sicut in discipulis qui affuerunt miraculi præsentia, vnde dicit Euangelista, Hoc fecit initium signorum Iesus &c.& crediderunt discipuli eius. Non obedisset aqua saluatori,si sua non fuisset, vt dicūt Manichei. Qui miraculosè mutauit aquam in vinum:ministri onere simile facit in vite.

Sermo quartus de eodem.

DIcit mater Iesu ad eum, Vinum non habent &c.

In hoc Euangelio duo habentur de verbis beatæ virginis quæ sunt velut folia ligni vitæ: quia protulit nobis illum qui est vita.Ioan.14.Ego sum via,veritas & vita, vnde de verbis eius verum est quod legitur Apoca.vlti.de foliis ligni vitæ quòd sunt ad sanitatem gentium. de ipsa verum fuit illud Psalm. Et folium eius non defluet,non defluxerunt verba eius vt ab ea superfluè dicerētur, nec nobis debent defluere vt à nobis negligantur.Tria vero nobis

bis attendenda sunt circa illa videlicet, Eorum paucitas: Breuitas: & Vtilitas. Pauca sunt verba eius quæ in Euāgelio continentur: quia septem tantū. Sciebat illud Prouerb. 10. In multiloquio non deerit peccatum. ideo multioquio vsa non est. Breuia etiam fuerunt verba eius. Nullum prolongauit excepto illo quod ad laudem dei protulit illud scilicet, Magnificat anima mea dominū &c. Luc. 1. in quo multi dissimiles sunt laudem dei abbreuiantes. Vel ex parte principij vel ex parte finis, vel ex parte medij. Dauid, Benedicam dominum in omni tempore: semper laus eius in ore meo. Mirum est quomodo homo semper deum nō laudat cum omnis creatura ad eum laudandum semper inuitet. Circa vtilitatem notandum quòd tria prima pertinent ad propriam vtilitatem. Tria vltima ad vtilitatem proximi. Medium ad laudem. Tria prima dixit Angelo Lu. 1. Primum fuit verbum discretæ interrogationis, scilicet, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? &c. Secundum humilis responsionis, ibi, Ecce ancilla domini, &c. Tertium fidelis orationis, Fiat mihi secundum verbum tuum. Discreta interrogatio est quæ est cum ratione, qualis fuit illa, vnde dixit: quoniam virum non cognosco. Verbum discretę interrogationis valde necessarium est homini, vnde Auge. in lib. de doc. Christiana, Nulla res memoriæ magis mandanda est quam illa verborum & locutionū genera quę ignoramus, vt cum peritior occurrerit quæri possint. Specialiter hæc verba necessaria sunt religiosis. Licet enim beata virgo exemplar sit omnium fidelium, perfecta enim fuit & in vita actiua & in vita contemplatiua: specialiter tamē est exemplar contemplatiuorum. Ipsa enim in carne præter carnem vixit: etiam vt perfectius deo vacaret: suum cor ad hæc mundana diuidere noluit. Cum aliquis in religione de nouo aliquid est facturus, primo debet circa illud diligenter instrui. Semel enim bene instructus, bene decetero illud facere poterit. vnde ad nouitiū pertinet dicere illud, Quomodo fiet istud? Bernar. Virtus vult cū humilitate doceri. Item religiosus debet de se humilia sentire & fateri: ita tamen quòd humilitas illa obedientiā non excludat. vera est enim humilitas, quam non deserit communis obedientia vt dicit glosa super Mat. 3. Ad humilitatem

Tria verba B. virginis.

tem pertinet illud, Ancilla: ad obedientiam illud quod dicitur, Ecce ancilla domini &c. Tertio qui se insufficiétem reputat, paratus tamen ad id quod potest, fideli oratione impetrare debet vt possit. Ad quod pertinet illud, Fiat mihi secundum verbum tuum. Postulet autem in fide nihil hesitans. Iaco. 1. Fiduciam magnam debet habere quòd deus iuuet eum in eo quod ab eo per suum vicarium exigit Augu. Domine da quod iubes, & iube quod vis. Cum tria necessaria sint volenti bene operari videlicet, Nosse, Velle, Posse: Discreta interrogatio acquirit cognitionem. Humilis ratio iudicat bonam voluntatem. Fidelis oratio acquirit potestatem. Ad proximi vtilitatem pertinet verbum Correctionis, Suffragij & Consilij. Et notandum est quòd correctio ab errore reuocat. Consilium, reuocatum dirigit. Etiam hæc pertinent ad instructionem. Præter hoc debemus proximo auxilium ad quod pertinet verbū suffragij. Verbum correctionis est illud Lucæ 2. Fili quid fecisti nobis sic? ego & pater tuus dolentes quærebamus te. Ibi nomen filij præmittitur vt ex amore correctio procedere non dubitetur. Deinde responsum requiritur ne indiscrete increpetur. Ecclesiasti. 11. Priusquā interroges, ne vituperes quē quā: & cū interrogaueris corripe iuste. Deinde ratione reuocatur ab eo in quo errasse videtur cum dicitur, Ego & pater tuus dolētes &c. Verbū suffragij est illud, Vinū non habet. Beata virgo suffragatur indigentibus non habūdantibus. Item suffragatur statū indicando: non importune instando. Si boni essent suffragātes & maiores ecclesiæ in hoc suffragio, sufficeret vt status eius cui suffragātur iudicaretur, scilicet quòd indiget & dignus est. Bernard. Vbi non licet quod volo facere, quis locus est roganti? Verbum cōsilij est illud, Quod eum iusserit &c. Circa quod attende humilitatem, non enim suum consilium alieno prætulit, sed ad alienum potius misit quod est contra obstinatos in consiliis suis. Bernardus. Quis non erubescat obstinatus esse consilio suo quando sapientia ipsa cum matre sua in Nazareth suum deseruit? loquitur de Christo qui cum esset in iis quæ patris sui erant: tamen descēdit cum matre sua in Nazareth: & erat subditus illis. Lucæ 2.

Dominicæ secundæ post Epiphaniam sermo 1.

CVm descendisset Iesus de monte &c. Mat.8.

Euangelium hodiernum continet duo miracula, videlicet; Mundationem leprosi: & sanationem cẽturionis paralitici. In parte vero illa in qua ponitur primum miraculum, primo ostenditur quando illud factum est, ibi, Cum discendisset Iesus &c. Secundo cum quibus, ibi, Sequutæ sunt eum turbæ multæ, &c. Tertio qualiter se habuerit leprosus salutem petens, ibi, Leprosus veniens adorabat eũ. Quarto qualiter se habuerit saluator salutem conferens ibi, Et extendens &c. Circa primum notandum quòd cum descendisset de monte vbi fecerat sermonem de beatitudinibus quibus omnis lepra spiritualis mundatur, lepra scilicet peccati, vnde circa hæc duo nobis videnda sunt, scilicet, Quare peccatum lepra dicatur: & Quomodo beatitudinibus species lepræ sanantur. Primo quia lepra corporalis est membrorum corruptio ex humorum putrefactione effecta: velut membra animæ sunt eius potentiæ quæ ex inordinatis affectionibus velut prauis humoribus corrumpuntur. Corrumpitur vis rationalis cùm delectatur cogitationibus ociosis, vel voluptuosis, vel terrenis, vel gulosis, vel maliciosis, vel cum erroribus seducitur falsa de deo sentiendo, vel magna de se, vel mala de proximo. Corrumpitur irascibilis, trepidando vbi timendum non esset. Psal. Trepidauerunt timore vbi non erat timor. &c. Vel naturæ seu personæ irascendo, cùm irasci deberet vitio. Vel de viribus propriis præsumendo. Vel altitudinem transitoriã inordinate appetendo. Corrumpitur concupiscibilis, delectationes quæ sunt secundum sensum libidinose appetendo, vel spirituales negligendo. Secundo peccatum lepra dicitur, quia ad modum lepræ, traducitur per contagium & quasi hereditarie. Per contagium transducta est lepra peccati in Euam, quia per serpentis colloquiũ à qua quasi hereditariè traducta est lepra originalis peccati in nos. Rom. 5. Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors: ita & in omnes homines mors pertransiit. Per contagium etiam

Triplici ratione peccatum lepra dicitur.

etiam exempli peccatum in multos traducitur: Ecclesiastici. 13. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Sene. Vnum exemplum auaritiæ vel luxuriæ multum mali fecit. Vicinus diues cupiditatem irritat: & conuictor delicatus paulatim eneruat & emollit. Malignus comes cuidam candido & simplici rubiginem suam affricuit. Peccatum etiam rapinæ quasi hereditarie traducitur in filios. He. 19. Tulit vnū de leunculis, & factus est leo, & didicit prædā capere. A matre etiam meretrice peccatum luxuriæ quasi hereditarie transit ad filiam: qualis enim mater, talis filia frequenter, scilicet luxuriosa. Tertiò peccatum dicitur lepra quia lepra morbus est qui multum timetur, dicunt aliqui, Aliam infirmitatem det mihi dominus si ei placuerit: sed à lepra me custodiat. Et de peccato, Ecclesiastici. 21. Quasi à facie colubri fuge peccatum &c. Dētes eius dentes leonum &c. quasi rumphea bis acuta hominis iniquitas, &c. Timendum est ergo peccatum vt coluber, vt leo, vt gladius. Quinque de causis timetur lepra corporis: In quibus omnibus à lepra peccati superatur. Prima est quia multum damnificat hominē, humanæ societatis solatium auferendo: lepra vero peccati non solū separat à cōsortio hominū, sed etiā à consortio dei & angelorum. Hęc lepra eiecit Angelū de celo, Adam de terrestri paradiso: ad vltimum peccatores eiiciet de mūdo isto & includet in infernο velut in quadam domo leprōsoria. In præsenti separat eos à bonis quantum ad meriumt. In futuro vero separabit eos quantum ad locum. Matte. 13. Exhibuit Angeli & separabunt malos de medio iustorum. Qui habet lepram mortalis peccati, solus reputatur: quia non est in consortio bonorum, quantum ad meritum. Vnde væ illi. Ecclesiastes 4. Væ soli. Secunda est quia multum molestat æstu & siti. Ecclesiasti. 23. Anima calida quasi ignis ardens &c. eiusdē. 14. Non satiabitur oculus visu nec auris auditu, donec consumet iniustitiam. Prouer. 30. Sanguisugæ duæ filiæ dicentes, Affer, affer. &c. Sanguisuga est concupiscentia, cuius duæ filiæ sunt, scilicet Amor habendi temporalia bona: & amor fruendi. Esa. 5. Multitudo eorum siti aruit. Adeo sitiunt vt venenata bibere non timeant: vt patet in raptoribus, furibus, & vsurariis. Etiam se ipsos bibendo submergunt. Ioan. 4. Qui biberit ex aqua

aqua,quam ego dabo ei, non fiiet inætetnum. Augusti. Qui biberit de fluuio paradisi cuius gutta vna maior est oceano:restat vt in eo sitis huius mundi extincta sit. Tertia est quia multum vilificat.Facit enim hominem deformen ad videndum: abominabilem ad cohabitandū. Reddit etiam anhelitum fœtidum,& aëra inficit:sed lepra peccati amplius hoc facit.Dauid,Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in iniquitatibus suis.Item sepulchrum patens est guttur eorum 1. Corinthiorum 15. Corrumpunt bonos mores colloquia praua.Oseæ 9. Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt. Quarta quia multum durat. Si vero tria prædicta videlicet Damnificatio, molestia,& vilificatio modicum durarent:tolerabilis esset infirmitas.Sed morbus lepræ corporalis vix vel nunquam curatur.De lepra vero peccati hoc constat quòd apud homines eius curatio impossibilis est.Apud deum vero omnia possibilia sunt.Matth.19.Esaiæ 43. Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me. Quinta est quòd lepra est morbus crescens.Primo enim parum apparet,sed crescendo procedit donec totum corpus occupauerit: sic lepra peccati corrumpit primo cor,deinde os,deinde oculos & alia exteriora.Ecclesiast.11.A scintilla vna augetur ignis, &c. Sequitur videre quomodo beatitudinibus species lepræ spiritualis mundetur.Sciendum ergo quòd octo sunt corruptiones ipsius animæ: quæ sunt velut octo species lepræ.Prima est cupiditas, quæ est appetitus immoderatus habendi bonum temporale.Hanc sanat paupertas spiritus. Et quia radix omnium malorum est cupiditas,1. Tim.6.conuenienter primo eam extirpat saluator,securim prædicationis ponēs ad radicem maliciæ, scilicet cupiditatem. Secunda est ira, quæ est appetitus vindictæ quam sanat mansuetudo,quæ nec nocet nec nocere desiderat.Ira est velut ignis in corde hominis omnia bona consumens: ideo multum conandum est ad eius remotionem.Ecclesiastes 11.Aufer iram à corde tuo,&c.eisdem 7.Ira in sinu stulti requiescit. Prouer. 6. Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo,&c.Tertia est seculi lætitia,quæ est appetitus fruendi bonis transitoriis.Hanc lepram habebant qui dicebant Sap. 2. Venite & fruamur

Octo species lepræ spiritualiter curātur per octo beatitudines.

mur bonis quæ sunt &c. lætitia seculi se habet in amatoribus mundi vt risus in freneticis. Hanc sanat gratia lugendi quæ se habet vt dolor in infirmo sanæ mentis. Melius est habere se sanæ mentis dolĕrem: quam freneticum ridentem. Grego. Inter duos ægros medicus aderat: sed vnus æger in febre integrum sensum tenebat; alter vero sensum mentis perdiderat. Loquitur de Christo & Magdalena & Pharisęo. Quarta est accidia quæ magna bona modicum amat: quæ est velut fastidium veri boni, & est infirmitas morti appropinquans. Dauid, Omnem escam abominata est anima eorum: & appropinquauerũt vsque ad portas mortis. Hanc sanat esuries iustitiæ: vt iustitiam intelligamus bonum gratiæ sicut ibi, Primum quærite regnum dei & iustitiam eius &c. Mat. 6. Quinta est inuidia quæ gaudet de alieno malo, & dolet de alieno bono: quæ putredo ossium dicitur. Prouer. 14. Hanc sanat misericordia, quæ condolet alieno malo. Sexta est cordis immundicia que est cordis laxitas sordes peccati sustinens. Hanc sanat cordis mundicia quæ est puritas animi omnem immundiciam aborrens. Qui habent hanc corruptionem sunt velut sus lota in volutabro luti 2. Petri. 2. Cum quidã stultus diceret audiente Pythagora, malle se cum mulieribus quam cum philosophis conuersari: Et sues, inquit, libentius in cæno quam in aqua pura versantur. Septima est discordia quæ est in hominibus proprij sensus & propriæ voluntatis, que diabolo multum assimilat: cuius est dispergere, & similitudinem dei multum dissipat: cuius est colligere. Lucæ 11. Qui non colligit mecum dispergit. Augustinus, Nihil similius est actibus dæmonum quam litigare. Hanc corruptionem sanat gratia pacificandi: quæ filio dei specialiter assimilatur, vt dominus insinuat dicens: Beati pacifici, quoniam filij dei vocabuntur. Octaua est nimia passibilitas à malo pœnæ, vel à malo presenti, & vocatur impatientia, vel à malo futuro; & vocatur pusillanimitas seu nimia timiditas, quam remouet philosophus à forti; dicens, Fortis est intimidus mali. Seneca, Vir bonus ab honesto nulla re deterrebitur: ad turpia nulla re mutabitur. Contra hanc corruptionem dicit dominus, Beati qui persequtionem patiuntur propter iusticiam &c. Et notandum quod istæ octo corruptiones sunt ipsius

ipsius affectus, scilicet quatuor respectu boni, & quatuor respectu mali. Duę sunt respectu boni quod est infra nos, scilicet immoderatus appetitus habendi bonum transitorium, & appetitus fruendi illo. Tertia est respectu boni quod est supra nos, scilicet accidia, quæ est fastidiũ boni. Quarta est respectu eius quod est iuxta nos, scilicet discordia. De iis quatuor nota quòd prima respectu mali est, si malum proximo velis inferre, ira scilicet. Secunda si malum quod patitur nolis misericorditer auferre, immundicia, scilicet inuidia. Tertia si malum culpæ in te velis sufferre, immundiciam, scilicet. Quarta est si malum pœnæ loco & tempore nolis ferre, impatientia scilicet. Item notandum quòd corruptionem in affectu concomitatur corruptio in intellectu. vnde Zacha. 5. dicitur de impietate quòd hec est oculus eorum in vniuersa terra. Prouerbiorum 21. Lucerna impiorum peccatum. De facili intellectus sequitur affectum. Dauid, Transierunt affectum cordis. Notandum ergo de his octo speciebus lepræ spiritualis: quòd nimium amorem altitudinis concomitatur frequenter presumptiò qua homines de se alta sentiunt. Ideo dicitur, 1. Timo. 6. Præcipe diuitibus huius seculi non sublime sapere. Iram concomitatur cæcitas vel obtenebratio. Impedit enim ira animũ, ne possit cernere verum. Dauid, Supercecidit ignis, & non viderũt solem &c. Seculi lætitiam concomitatur fatuitas. vinum enim est gaudium temporale, faciens homines quasi furere. Oseæ 7. Ceperunt principes furere à vino. Hoc vinum infatuauit salomonem. Accidiosi ponunt dulce in amarum & prophetiis falsis deluduntur. Esaiæ. 5. Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. Ipsi fastidiunt manna. Prouerbiorum 22. Dicit piger, Leo est in via, in medio platearum occidẽdus sum. Inuidiam concomitatur cæcitas. Hæc excæcauit Iudæos. Sapien. 2. Excæcauit eos malitia eorum. Iob. 5. Per diem incurrent tenebras & quasi in nocte sic palpabunt in meridie vbi dicit Gregorius, Mẽs inuidi cum de alieno bono affligitur, de radio lucis obscuratur. Immundi corde nares habent & non odorabunt. Ruminant enim fætentia, ac si essent aromata. Discordes vero in quibus proprius sensus habundat, putantes se esse sapiẽtes stulti facti sunt.

Non ſolū ſtulti; ſed quaſi inſani. Neſcire enim quæ eſſent ſcieda ſimplex ſtultitia eſt: ſed credere ſe ſapientem, cùm ſit ſtultus; inſania eſt. Prouerbiorū 26. Vidiſti hominem ſibi ſapientem videri? magis illo ſpem habebit inſipiens. Auguſtinus, Si dicēdo te eſſe ſapientem, ſtultus factus es: dic te ſtultum, & ſapiens eris. Impatientes vero ſunt quaſi homines arreptij. Et ſicut qui patiens eſt multa gubernatur ſapiētia: Prouerb. 14. Sic qui impatiēs eſt; parua vel nulla. Puſillanimis vero eſt velut inimicus eius. Iuxta illud Geneſis 4. Quicunque inuenerit me occidet me. & Iob. 15. Sonitus terroris ſemper in auribus eius & cum pax ſit ille ſemper inſidias ſuſpicatur. Leuitici 26. Ipſum terrebit ſonitus folij volantis.

Sermo ſecundus de eodem.

CVm deſcendiſſet Ieſus de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ, &c.

Quòd coram turbis leproſus dicitur ſanari; facit ad certitudinem miraculi. Notabile eſt etiam quòd turbæ ſequuntur non principes. Chryſoſt. Non ſequūtur principes. Per totum enim euangeliū vides eos eſſe fixos. Turba cum ſilentio audiuit: phariſæi vt calumniarentur. Item, in hoc quòd poſt deſcenſum mōtis turbæ ſequuntur, inſtruuntur prælati vt de monte contemplationis deſcendant vt fructum in populo faciant. Iob. 29. Cum ſederem quaſi rex circunſtante exercitu eram: tamen mœrentium conſolator. Periculoſa eſt nimia mora prælati in monte contemplationis. Exo. 32. Videns populus quòd morā faceret Moyſes deſcendere de monte, congregatus ad Aaron ait: Fac nobis deos qui nos præcedant.

Et ecce leproſus, &c. Circa modum quo ſe habuit leproſus ſalutē petens: tria attēde, videlicet Quod venit: Quod adorat: Quod poteſtatē Chriſti profitetur. In quibus tria nobis oſtenduntur valde neceſſaria ad ſanationem lepræ ſpiritalis. Primum eſt appropinquatio, vt ſcilicet appropinquet deo greſſu deſiderij & operis. Iac. 4. Appropinquate deo: & appropinquabit vobis. Aug. in lib. de baptiſmo paruulorum. Adiutor noſter dicitur deus. Nec adiuuari

uari potest nisi qui aliquid sponte conatur. Idem in lib. de perfectione iustitiæ hominis, Non adiuuatur nisi qui & ipse aliquid agit. Secundum est humilitas in oratione, quę valde efficax est ad impetrandam salutē. Ecclesiastici 35. Oratio humiliantis se nubes penetrabit. Dauid, Respexit in orationem humilium, &c. Iacobi 4. Deus superbis resistit: humilibus autem dat gratiam. Tertium est fides, quę multum valet ad impetrationem salutis. Mat. 8. Vade, & sicut credidisti fiat tibi. Interlinearis: Cuique sicut creditur ita fiet. Sequitur, Domine, si vis potes me mundare: Iste leprosus tenet figuram humani generis, quod in aduentu Christi erat leprosum, quod potentiam dei per pœnam inflictam nouerat: sed bonitatem volūtatis eius non ita. Sed iam non debet alicui esse dubium quin velit nos à lepra spirituali mundare: cum ad hoc sanguinem suum fuderit & tot fontes gratiæ in ecclesia posuerit. Apoc. 1. Qui dilexit nos & lauit, &c. Tim. 2. Qui dedit semetipsum pro nobis vt nos redimeret ab omni iniquitate, mundaret sibi populum acceptabilē &c. Esa. 12. Haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris.

Et extendens manum, &c. Circa modum quo se habuit saluator salutem cōferens, septē attende: Primo Christus manum extendens leprosum tangit in quo notatur humilitas Secūdo dicit volo: in quo apparet eius magna pietas. Eius potestas. Tertio quòd dicit mundare, idest mūderis, & confestim mundata est lepra: in quo appatet maiestas. Quarto quòd dicit vt nemini dicatur &c. in quo iactantia hominum condemnatur. Quinto quia mittendo ad sacerdotes; in hoc eos honorat. Sexto quòd in eodem confessionem commēdat, qua leprosi spiritualiter sacerdotibus suis se ostendunt. Septimo quia munus pręceptum in legē iubet offerri: in quo legem veterem approbat. *Et extendens manum, &c.* Notandū quòd dominus manum suam multipliciter extendit. Extendit dominus manum suam, Ad percutiendum Esa. 9. Ad huc manus eius extenta. Ad amplexandum vt apparet in statu crucis. Ad largiendum. prouer. 1. Extendi manum meam & non fuit qui aspiceret. Ad viam ostendendum. Esa. 46. Tota die expandi manum meam ad populum qui graditur via non bona. Ad adiuuandum: Dauid; Tenuisti manum dexteram meam, & in

voluntate tua deduxisti me. Ad sanandum: vt hic Tetigit eum. Et nota singula. De prima extensione notandum quòd vibrauit dominus gladium suum. Et innuitur in hac extensione quòd etiam remotos percutiat. In Psal. Si ascendero in cælũ, tu illic es, &c. Item quòd percutiet etiam superiores. Sap. 6. Iudicium durissimum in iis qui præsunt fiet. Item quòd fortiter percutiet. Manus enim que altius extenditur, grauius percutit. Timent porci videntes securim super se eleuatam: & non timent fatui homines propter quos dei iusticia gladium eleuauit. Et notandum quòd Deus manum ad percutiendum extendit In celo; In terrestri paradiso: In mundo: In purgatorio: In inferno. Extendit dominus manum suam In cœlo; ad percutiendum superbum apostatam. Esa. 51. Nunquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem. Iob. 26. Prudentia eius percussit superbum. In paradiso ad percutiendum primos parentes. Quæ percussio transiuit ad posteros. Hier. 30. Plaga inimici percussi te. In mundo vero quosdam percutit ad conuersionem. Isa. 19. Percutiet dominus Ægyptum plaga, & sanabit eam. Alios ad indurationem. Hier. 5. Percussisti eos & non doluerunt, &c. In purgatorio ad expiandum Iob. 19. Miseremini mei; miseremini mei: quia manus domini tetigit me. In inferno ad æternaliter puniendũ. Prouer. 19. Parata sunt derisoribus iudicia & mallei percutientes stultorum corporibus. Item extendit manum suam ad amplexandum, vt apparet in statu crucis vbi fuit paratus quasi ad amplexandũ peccatores: & sic se habet in tempore gratiæ. vnde Luc. 15. legitur de patre familias, quòd occurrens cecidit super collum filij. Item ad largiẽdum. Prouer. vltimo, Manum suam aperuit inopi: & palmas suas extendit ad pauperem. Adeo extendit deus pater manũ suam, quòd brachium suum, scilicet filius in duo frusta diuisum est, scilicet anima descendẽte ad inferos vt captiuos extraheret; & corpore remanente in sepulcro. ecclesiastici 4. Non sit manus tua ad accipiendum porrecta, & ad dandum collecta, &c. Item ad ostendendum viam. Esa. 65. Tota die expandi manus meas, &c. Manum hoc modo Christus extendit, dum formam recte viuendi hominibus ostendit. Sed multi facto dicunt ei, Recede à nobis: scientiam viarum tuarum nolumus.

Item

Item ad adiuuandum. David, Tenuisti manum dexteram meam, &c. Maxime vero si manum suam extendit: iis qui in proximo eum sequuntur. Psal. Adhæsit anima mea post te: me suscepit dextera tua. Iob. 14. Operi manuũ tuarum porriges dexteram. Item, Ad sanandum: vt hic, Tetigit eum. Magna dignatio maiestatis quæ leprosum tangit. Glo. Tetigit propter humilitatem, vt nos doceret nullum spernere pro aliqua corporis maculatione: quod est contra quosdam qui leprosos abominantur. Refert cantor Parisiensis de quodam sacerdote leprosorum, quòd in muro fecerat foramen, per quod audiebat confessiones eorum, & porrigebat corpus domini: quòd parte illa remanẽte sana, quam vertebat ad eos; alia facta est leprosa. Et quidam seruus qui adeo aborrebat leprosos; quod nolebat eis eleemosynam ferre: factus est leprosus. De illis vero qui leprosos spiritualiter despiciunt; dicitur Esa. 65. Qui dicunt; recede à me, non appropinques mihi, quia immundus es. Isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die. Non aborruit Christus peccatricem. Luc. 7. Si esset hic propheta, &c. Dicens volo, vult siquidem mundare Christus, sed nolunt homines mundari. Væ qui non vult mundari: qui libentius habitat cum leprosis quàm cum sanis: cum lepra morbus sit infectiuus. Si enim esset sanus, posset ipse ex cohabitatione fieri leprosus. Item, Non vult fieri sanus qui nec consilium medici vult audire quo sanetur. Non enim vult audire prędicationẽ. Prouer. 24. Erit salus vbi multa consilia sunt. Item. Qui non vult reddere alienum pro curãda lepra spirituali. Pro curanda enim lepra carnali daret suum. Item, Non vult mundari qui non vult lepram peccati ostendere medico vt curetur. Vnde 4. Regum 5. Dictum est Naaman à seruis suis: Si grandẽ rem dixisset tibi, pro certo facere debuisses: Quanto magis, Mundare. Et cõfestim mundatus est &c. Sciendum est quòd quinque modis fit mundatio lepræ, scilicet Ablutione: Ostensione: Separatione: Inclusione: Tactu. Ablutione: vt Naaman, qui mundatus est in Iordane 4. Regum 5. Apocalyp. 1. Dilexit nos & lauit nos, &c. Ostensione. Lucæ 17. Dictum est leprosis: Ite, ostendite vos sacerdotibus. Qui dum irent, mundati sunt. Et in Psal. Dixi cõfitebor aduersum me iniustitiam meam &c.

Item, Separatione: vt Maria, Numeri 12. quæ fuit extra castra septem diebus. Sic fit mundatio per excommunicationem, vt cauterium, 1. Corinth. 5. Decreui huiusmodi tradere satanæ in interitum, &c. Et Leuit. 6. Eiicite extra castra omnem leprosum, &c. Item, Inclusione: vt manus Moysi quæ extracta de sinu leprosa apparuit: reposita in sinu similis facta est carni reliquæ, Exo. 4. Sic aliqui in seculo leprosi erant spiritualiter: qui in claustro positi à lepra sanantur. Item Tactu: vt hic; sed duplex est tactus domini. Vnus suauis: Alter grauis. Suauis est quo tangit filios suos in præsenti, ad probationem Gen. 27. Accede filij vt tangã te & probem, &c. Grauis in purgatorio. Iob. 19. Miseremini mei, miseremini mei, &c. Hebreorum 10. Horrendum est incidere in manus dei viuentis. Item, Notandum quòd ea quæ fiebant in purificatione leprosi corporaliter, ostendunt qualiter debeat purificari leprosus spiritualiter. De leproso iubetur Leuitic. 14. quòd sumat duos passeres, & lignum cedrinum, & vermiculum, & hyssopum. Et vnum ex passeribus immolet in vase fictili super aquas; alium autem viuum cum ligno cedrino & cocco & hyssopo tingat in sanguine passeris immolati, quo aspergat eum qui mundandus est septies. Nota singula prædicta: quia Cum passer dictus est patiendo: duo passeres sunt, dolor contritionis, quo anima compungitur: & labor satisfactionis quo corpus affligitur. De quibus Micheæ 4. Dole & satage filia Sion. &c. Lignum cedrinum quod est imputribile: est propositum firmum de cætero non peccandi mortaliter, quo incorruptio seruatur, vnde Ioan. 5. Vade, & noli amplius peccare. Idẽ Ioan. 8. Vermiculus seu coccus rubei coloris; est pudor confessionis quo pænitens erubescens de peccatis confunditur. Roman. 6. Quem ergo fructum ha. &c. Hyssopus cuius est tollere tumorem pulmonis, est humilitas pænitentis, qua ceruix prius erecta deiicitur. Aquæ viuæ sunt dona sancti spiritus. Salutans doctrina lacrimarum gratia quibus anima à sordibus peccatorum mundatur. Et nota quòd sicut habetur Leuitici. 14. Leprosus offerebat Duos agnos immaculatos, & ouem anniculam absque macula, & tres decimas similæ, & olei sextarium,

rium, &c. Nota quòd in duobus agnis intelligitur duplex innocentia quam debet offerre peccator. Vna est vt opprimendo nullum miserum faciat. Alia est, vt miserum non deserat: sed subleuando miseriam ei subtrahat. Contra eos qui carent prima innocentia dicitur Isa. 3. Quare atteritis populum meum, &c. Cótraillum qui caret secūda dicit Ambro. Pasce fame morientē: si non pauisti, occidisti. In oue intelligitur mãsuetudo, qua peccator dimittit ei qui eum offenderat. Prouer. 3. Illusores ipse deludet, mansuetis dabit gratiam, &c. Delusor est qui vult sibi dimitti à deo, & non dimittit proximo. Ecclesiastici 28. Homo homini seruat iram: & à deo quærit medelam. Simila est immaculata substantia quæ debet offerri. Ecclesiasti. 34. Immolantis ex iniquo maculata est oblatio. Debet autē simila conspergi oleo: quia ecclesia debet pinguescere deuotione & hylaritate 2. Cor. 9. Hylarē datorem diligit Deus. Rom. 12. Qui miseretur in hylaritate. De simila dãdæ sunt tres decimæ, sicut in veteri testamento de laboribus, videlicet. Prima decima dabatur sacerdoti. Secunda in oblationes solennitatum. Tertia in eleemosynas pauperum.

Sermo secundus de eodem.

CVm autem introisset Iesus Capharnaum, &c.

Pars ista euangelij hodierni in qua ponitur sanatio serui cēturionis: multam habet materiã ædificationis. In ipsa enim triplex datur nobis exemplum, tam in Christo, quam in Centurione, & in eius seruo. Primo humilitatis, in hoc quòd ire ad seruum centurionis consensit. Glo. Magna humilitas quòd seruū dignatur visitare. Ad filiū regis noluit venire, Io. 4. ne diuitias honorare videretur: hic ne seruilem conditionem spernere videatur, mox ire consentit. Sen. Quemadmodum stultus est qui equum tentaturus non ipsum aspicit sed stratum & frenos: sic stultissimus est qui hominem aut ex veste, aut ex conditione quomodo vestis nobis circundata est existimat. Secūdo æquitas in hoc quòd deuotionē gentilis nō despicit

sed laudibus extollit dicens, Non inueni tantam fidem in Israël. Actuum 10. In veritate comperi quoniam non est personarum acceptor Deus: sed in omni gente, qui timet eum & operatur iusticiam, acceptus est illi. Tertio fides in nobis roboratur ex ostensione potentiæ Christi, qui absentem verbo curat. Vade inquit, & sicut credidisti fiat tibi: & sanatus est puer ex illa hora. In centurione vero quatuor nobis commendantur. Primo humilitas in hoc quòd dicit, Non sum dignus vt intres sub tectum meum. Augustinus, Dicendo se indignum, prestitit se dignum non in cuius parietes, sed in cuius cor Christus intraret. Chrysostomus, Quia indignum se fecit suscipiendi in domo: dignus factus est regno. verbum istud, Non sum dignus, &c. Partim ad humiles sacerdotes qui se reputant indignos celebratione: cùm non habeant hospiciũ eburneum regi regum congruum, quale habuit beata virgo de qua potuit dici istud Esaiæ 62. Et vocaberis voluntas mea in ea, &c. Quomodo dignus est: vt Deus intret sub tectum ipsius qui habet vxorem litigiosam, scilicet, conscientiam contumeliosam? Prouer. 19. Tecta iugiter perstillantia & litigiosa mulier comparantur. Item ille in quo de igne cupiditatis fumus tentationis ascendit: & vbi flat ventus superbiæ: licet homo non habeat deuotionem, non debet tamen propter hoc dimittere celebrationem dum solummodo se bené præparet: & faciat quòd in se est, sicut homo non dimittit ferre vas ad aquam, quia vacuum est velut fons gratiæ est sacramentum altaris. Sed quibusdam illuditur à pigritia sub tegmine diuini timoris, qui potius hoc relinquunt ex pigritia quàm ex timore dei. Qui si haberent verum timorem dei, negligentiam preparandi se à se repellerent. Ecclesiasticus, Qui timet deum, nihil negligit. Ibi potius timere deberent dei offensam vbi nulla est vtilitas quàm vbi offensæ remittuntur; & virtus cauendi eas confertur: & captiuis qui sunt in purgatorio subuenitur. Figurã talium tenet piger seruus dicẽs domino, Timui te quia homo austerus es. Lucæ 19. Secundo fidei magnitudo qua credidit quòd dicere Christi esset facere. Vnde ait, Tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Fides ista serui sanitatem meruit. Vnde dictũ est ei, Sicut credidisti, fiat tibi. Glosa, Cuique sicut credit, ita

ita fit. Matthei 17. Si habueritis fidem sicut granum synapis, dicetis monti huic, &c. Marci 9. Nihil impossibile est credenti. Tertio sapientia quæ insinuatur ibi, Nam ego sum sub potestate constitutus. Quarto bonitas quæ innuitur in hoc quòd pro seruo rogat. Et dicitur Lucæ 7. quòd erat illi preciosus. Et vocat eum puerum, in hoc exhibens ei reuerentiam. Sene. Serui sunt: immo homines. Serui sunt: immo humiles amici. Idem contra illos qui seruos dure tractant, potius volentes ab eis timeri quàm amari: Colant te, inquit, potius serui, quàm timeant. Non sit homini parũ, quod domino satis est. Idem, Rideo istos qui turpe existimant cum seruo suo cænare. virga murmur omne compescitur. Tota nocte ieiuni perstant. Sic fit vt ipsi de domino loquãtur, quibus coram domino loqui non licet. At illi quibus non tantum coram dominis, sed cum ipsis sermo erat, quorum os non consuebatur, parati erant pro domino porrigere ceruicem. Idem, Sic cum inferiore viuas, quemadmodum superiorem velis tecum viuere. Ecclesiastici 33. Si est tibi seruus fidelis, sit tibi quasi anima tua: quasi fratrem sic tracta eum. Eiusdẽ 7. Seruus sensatus sit tibi dilectus. De his quatuor dicit Chrysostomus, Humilitatem, an fidem: Sapientiam, an Bonitatem. In seruo vero centurionis insinuantur vobis tria, videlicet, Primo serui bonitas. Sicut habẽt quod imitẽtur domini in centurione: sic serui habent quod imitentur in puero. Qualis putas erat puer qui sic amabatur? Nõ erat possibile vt sine precio bonorum morum talem sibi dilectionem compararet. Domini ergo debent amorem seruis, propter communem naturam. Serui dominis debent timorem, propter ordinationem. Secundo ostenditur ciuitas in qua infirmabatur, scilicet, Capharnaum, quod interpretatur mala pulcherrima, & ager pinguedinis, in quo insinuatur quòd loci amænitas vel rerum abundantia multis sit occasio spiritualis infirmitatis. Hiere. 2. In omni colle sublimi & sub omni ligno frondoso prosternebaris. Hierony. Amæna & excelsa semper idolis cõsecrantur. In Psalm. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorũ. Ezech. 16. Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ superbia, saturitas panis & abundantia, & ociũ ipsius & filiarũ eius. Lucæ 12. Anima mea habes multa bona, &c. requiesc-

Quid primum mitramur in centurione.

ce,&c.Tertio ostenditur genus infirmitatis quo infirmabatur,cùm dicitur,Puer meus iacet in domo paraliticus & male torquetur.In delitiis fit homo quasi paraliticus, impotens videlicet ad agendum,& ad sustinendum. Sen. Quis hostis in quemquam tam contumeliosus fuit,quàm in quosdam voluptates suæ sunt?Sufficit alicui quòd exercet hostem suum. Voluptates vero voluptuosos non solum excecant,sed etiam impotentes & leprosos & corporaliter & spiritualiter efficiunt. In Capharnaum id est in villa consolationis male torquetur piger. vnde Prouerb. 21.Desideria occidunt pigrum noluerunt enim quicquàm manus eius operari.Tota die concupiscit & desiderat.Seneca, Tractatione bonarum artium occupandi sumus, quotiens male habet inertia impatiens sui. Et nota quòd quidam male torquentur,quidam bene. Bene, idest vtiliter torquetur qui bono labore torquetur:quoniam bonorum laborum gloriosus est fructus, vt dicitur Sap.3. Male torquetur piger, qui paralysi accidiæ torquetur: cum ex tormento suo talem vtilitatem non consequatur.

Dominicæ tertiæ post Epiphaniam sermo primus de epistola.

Scendente Iesu in nauiculam,secuti sunt eum discipuli eius, &c. Matth.8.

Euangelium hodiernum sex continet videlicet,Ascensum Christi & discipulorum in nauiculam. Maris turbationem Christo dormiẽte factam:Christi suscitationem: Discipulorum increpationem : Sedationem tempestatis factam ad Christi iussionem:Hominum super hoc admirationem,vnde dicebant, Venti & mare obediunt ei. Ex hoc dixerũt aliqui hæretici ventũ & mare esse res animatas,quod non est verũ:sed dicuntur obedire,quia ad modũ obedientiũ se habent, dum in illis fit volũtas dei. Similiter intellige & illud,Imperauit vẽtis & mari.Fecit enim ac si imperaret. Imperium est proprie ad res animatas. Ascendente Iesu in nauiculã, &c. Notandum quòd nauicula Iesum & discipulos eius continens,est ecclesia,mare mundus

mundus: vnde quidam dixit in perſona Petri,

Eccleſiam pro nauue rego: mihi climata mundi
Sunt mare: doctrina retia: piſcis homo.

Prouer. vlt. dicitur de eccleſia, Facta eſt quaſi nauis inſtitoris, delongè portans panem ſuum. Eccleſia delongè panem portat: quia de cælo panem ſpiritualem orando impetrat. Item de exilio meritum, vnde in æternum viuat. Et notãdum quòd comparatur naui eccleſia: quia arcta fuit in principio in perſecutione tyrannorum. Arcta etiã erit in fine, ſcilicet in tempore antichriſti. Sed in medio eſt lata, quia multos habes modo credentes. Mũdus etiam mare dicitur, eo quòd mari in multis aſſimiletur. Primo in hoc quòd mare cito de trãquillitate in tempeſtatem vertitur: ſic mundus. Sene. In momento mare euertitur: & vbi modo luſerunt nauigia, ibi ſtatim abſorbentur. Secundo fluctus qui in mari ſunt eleuantur & ſtatim deprimuntur: & cum depreſſi fuerint, iterum ſtatim eleuantur. ſic fit in mundo. Poëta, Tolluntur in altum, vt lapſu grauiore ruant. Pſalm. 36. vidi impium ſuperexaltatum & eleuatum ſicut cedros Libani & tranſiui, & ecce non erat. Item deiecisti eos dum alleuarẽtur. Et Iob 30. Eleuaſti me & ſuper uentum ponens eliſiſti me valide. Tertio quia mare mortuos à ſe eiicit: ſic & mundus eos qui mortui ſunt mundo: Sap. 2. Grauis eſt nobis ad videndum 1. Cor. 4. Tanquam purgamẽta mundi huius facti ſumus omnium peripſima. Peripſima eſt purgamẽtum ferri vel pomi: & quicquid de qualibet abiicitur materia vt purgatior reddatur. Quarto in mari piſces grandiores deuorant minores: ſic in mundo potentiores infirmos opprimunt. Abacuc. 1. Quare taces deuorante impio iuſtiorem ſe? &c. 2. Corin. 11. Suſtinetis ſi quis vos in ſeruitutẽ redigit, ſi quis deuorat, &c. viuunt tamen viri ſancti, licet a tyrannis deuorentur. ſicut Ionas in ventre ceti. Ionæ 2. Et 2. Cor. 6. Quaſi morientes & ecce viuimus. Quinto in mari venti faciunt tempeſtatem commouendo aquam. Sic tyranni in hoc mundo faciunt tempeſtatem & perſecutionem populos concitãdo. Tyranni ſuperiores populis, ſunt velut venti ſuperiores aquis. Aquæ enim multæ populi multi. Apoca. 17. Mare terminum habet arenam quæ eſt ſterilis & grauis. Hieremiæ 5. Qui poſuit arenam terminum mari. Sic finis huius mundi eſt infructuoſitas cum onere peccatorum.

ce,&c. Tertio ostenditur genus infirmitatis quo infirmabatur, cum dicitur, Puer meus iacet in domo paraliticus & male torquetur. In delitiis fit homo quasi paraliticus, impotens videlicet ad agendum, & ad sustinendum. Sen. Quis hostis in quemquam tam contumeliosus fuit, quàm in quosdam voluptates suæ sunt? Sufficit alicui quòd exercet hostem suum. Voluptates vero voluptuosos non solum excæcant, sed etiam impotentes & leprosos & corporaliter & spiritualiter efficiunt. In Capharnaum id est in villa consolationis male torquetur piger. vnde Prouerb. 21. Desideria occidunt pigrum noluerunt enim quicquam manus eius operari. Tota die concupiscit & desiderat. Seneca, Tractatione bonarum artium occupandi sumus, quotiens male habet inertia impatiens sui. Et nota quòd quidam male torquentur, quidam bene. Bene, idest vtiliter torquetur qui bono labore torquetur: quoniam bonorum laborum gloriosus est fructus, vt dicitur Sap. 3. Male torquetur piger, qui paralysi accidiæ torquetur: cum ex tormento suo talem vtilitatem non consequatur.

Dominica tertia post Epiphaniam sermo primus de epistola.

Ascendente Iesu in nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius, &c. Matth. 8.

Euangelium hodiernum sex continet videlicet, Ascensum Christi & discipulorum in nauiculam. Maris turbationem Christo dormiẽte factam: Christi suscitationem: Discipulorum increpationem: Sedationem tempestatis factam ad Christi iussionem: Hominum super hoc admirationem, vnde dicebant, Venti & mare obediunt ei. Ex hoc dixerũt aliqui hæretici ventũ & mare esse res animatas, quod non est verũ: sed dicuntur obedire, quia ad modũ obedientiũ se habent, dum in illis fit volũtas dei. Similiter intellige & illud, Imperauit vẽtis & mari. Fecit enim ac si imperaret. Imperium est proprie ad res animatas. Ascendente Iesu in nauiculã, &c. Notandum quòd nauicula Iesum & discipulos eius continens, est ecclesia, mare mundus

mundus: vnde quidam dixit in perſona Petri,

Eccleſiam pro nauе rego: mihi climata mundi
Sunt mare: doctrina retia: piſcis homo.

Prouer. vlt. dicitur de eccleſia, Facta eſt quaſi nauis inſtitoris, delongè portans panem ſuum. Eccleſia delongè panem portat: quia de cælo panem ſpiritualem orando impetrat. Item de exilio meritum, vnde in æternum viuat. Et notãdum quòd comparatur naui eccleſia: quia arcta fuit in principio in perſecutione tyrannorum. Arcta etiã erit in fine, ſcilicet in tempore antichriſti. Sed in medio eſt lata, quia multos habes modo credentes. Mũdus etiam mare dicitur, eo quòd mari in multis aſſimiletur. Primo in hoc quòd mare cito de trãquillitate in tempeſtatem vertitur: ſic mundus. Senc. In momento mare euertitur: & vbi modo luſerunt nauigia, ibi ſtatim abſorbentur. Secundo fluctus qui in mari ſunt eleuantur & ſtatim deprimuntur: & cum depreſſi fuerint, iterum ſtatim eleuantur. ſic fit in mundo. Poëta, Tolluntur in altum, vt lapſu grauiore ruant. Pſalm. 36. vidi impium ſuperexaltatum & eleuatum ſicut cedros Libani & tranſiui, & ecce non erat. Item deieciſti eos dum alleuarẽtur. Et Iob 30. Eleuaſti me & ſuper uentum ponens eliſiſti me valide. Tertio quia mare mortuos à ſe eiicit: ſic & mundus eos qui mortui ſunt mundo: Sap. 2. Grauis eſt nobis ad videndum 1. Cor. 4. Tanquam purgamẽta mundi huius facti ſumus omnium peripſima. Peripſma eſt purgamẽtum ferri vel pomi: & quicquid de qualibet abiicitur materia vt purgatior reddatur. Quarto in mari piſces grandiores deuorant minores: ſic in mundo potentiores infirmos opprimunt. Abacuc. 1. Quare taces deuorante impio iuſtiorem ſe? &c. 2. Corin. 11. Suſtinetis ſi quis vos in ſeruitutẽ redigit, ſi quis deuorat, &c. viuunt tamen viri ſancti, licet a tyrannis deuorentur. ſicut Ionas in ventre ceti. Ionæ 2. Et 2. Cor. 6. Quaſi morientes & ecce viuimus. Quinto in mari venti faciunt tempeſtatem commouendo aquam. Sic tyranni in hoc mundo faciunt tempeſtatem & perſecutionem populos concitãdo. Tyranni ſuperiores populis, ſunt velut venti ſuperiores aquis. Aquæ enim multæ populi multi. Apoca. 17. Mare terminum habet arenam quæ eſt ſterilis & grauis. Hieremiæ 5. Qui poſuit arenam terminum mari. Sic finis huius mundi eſt infructuoſitas cum onere peccatorum.

Roma.6. Quem fructum habuistis in illis in quibus nunc erubescitis? Sexto mare periculosum est. Sic & mundus iste. Bernardus, Periculum probat transeuntium raritas, & pereuntium multitudo. Augustinus, Amas seculum: absorbebit te. Amatores suos vorare nouit nō portare. Periculosius est mare huius mundi animæ, quā mare Massiliæ corpori. In mare Massiliæ de quattuor nauibus vix perit vna: in mari mūdi de quatuor animabus vix saluatur vna. Septimo in mari multa monstra inueniuntur: sic & in mari huius mundi. Nunquid non monstruosa res est generatio quæ pro dētibus gladios habet? de qua habetur Prouerb. 30. & in Psal. Gladius in labiis eorum. Monstrum etiam est homo habens os bilingue. Prouerb. 18. Os bilingue ego detestor. & eiusdē 18. Verba bilinguis quasi simplicia &c. Monstrum etiam est homo habens duo capita. Tot capita habet quis quot vitia ei dominantur. Augustinus, Malus tot dominorū seruus est quot vitiorum. Octauo, mare non est locus mansionis: ita nec mundus iste. Hebre.13. Non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Augustinus, Nihil aliud est tēpus præsentis vitæ quam cursus ad mortem: in quo nemo vel paululum stare, vel tardius adire permittitur: sed omnes pari motu vrgemur. Nono, in mari non sunt viæ. Sic non est in homine vt per mare huius mundi ad portum salutis perueniat: sed est in deo. Ideo orationi instādum est. Tobiæ 4. Omni tempore benedic deum, & pete ab eo vt vias tuas dirigat. Dauid, Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam Roma.9. Non est volentis neque currentis sed miserentis dei. Decimo mare est amarum licet pisces in eo nutriti eius amaritudinem non refugiant: sic mundus iste amaritudinibus plenus est, licet homines eis assueti non agnoscant. Iob.30. Esse sub sentibus delitias computabāt. Vndecimo mare aquis non redundat: sic mundus bonis transitoriis non habundat, nec concupiscentia carnis satiatur delitiis, nec concupiscentia oculorum diuitiis, nec superbia vitæ honoribus. Omne autem quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis: aut concupiscentia oculorum: aut superbia vitæ 1. Ioan. 2. In hoc quòd discipuli Iesum sequentes, tempestatem sunt passi, insinuatur quòd cùm aliqui ad deum conuertuntur, tunc tentationes pa-

tiuntur

tiuntur: sed ad bonum eorum permittit hoc dominus. Ecclesiastici. 2. Fili accedens ad seruitutem dei, &c. Non nocet tempestas eo quòd præsens sit Christus. Bernardus, Quantuncunque seuiat tribulatio, non putes esse derelictum: sed memineris scriptum esse, Cum ipso sum in tribulatione. Esayæ 43. Cùm transieris per aquam tecum ero, & flumina non operient te. Non est timenda tempestas quam habet pater misericordiarum in manu sua, cohibens eam cum videt hoc expedire. Iob. 38. Quis conclusit ostiis mare? Et subditur, Posui vectem & ostia & dixi, Hucusque venies & non procedes amplius. Et notandum quòd in nauicula ecclesiæ nauta sit prælatus: vnde in multis debet ei assimilari. Primo in hoc quòd verbo doctrinæ debet circunducere populum ad obediendum deo. sicut nauta nauem gubernaculo circunducit. Iacob. 3. Ecce naues cum magnæ sint, & à ventis validis minentur: circunferuntur autem à modico gubernaculo vbi impetus dirigentis voluerit. &c. Secundo in hoc quòd peritia nautæ maxime apparet in tempore tempestatis: sic prudentia & virtus prælati maxime in tempore tribulationis. Ecclesiastici 34. Qui non est tentatus, quid scit, &c. Tertio peritia nautæ est in caligine noctis distinguere stellarum diuersitatem, quantum ad ortum & occasum, & effectus earum. Et precipue signãda est illa stella quæ dicitur stella matutina vel stella maris, scilicet transmontana: sic prudentia prælati est considerare tempore tribulationis sanctos & vocationem eorum & finem & virtutes & miracula: & præcipue beatam virginem quæ est stella nobilissima in firmamento ecclesiæ, & dicitur stella maris. Quarto, nauta aliis timentibus tempore tempestatis confidentiam habet & festinat stabilire nauem proiecta anchora: sic prælatus aliis trepidantibus in aduersis debet esse securus. Prou. 28. Fugit impius nemine persequente: iustus autem quasi leo confidens absque terrore erit. Prælati est figere anchoram spei contra fluctus tentationum. Hebre. 6. Fortissimum habemus solacium qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam. Quinto, nauta nõ timet merces proiicere vt homines saluet: nec hominem illum quem scit esse causam tempestatis ortæ. Ionæ 1. Tulerunt

Nauta debet prælatus assimilari.

lerunt Ionam & miserunt in mare. Sic prælatus non debet timere ista temporalia amittere vt animas saluet. Philosophus, Pessimæ diuitiæ, ego mergam vos ne mergar à vobis. 1. Timo. 6. Qui volunt diuites fieri incidũt in tentationes, &c. Iob. 31. Quasi fluctus tumentes super me timui deum &c. Nautæ cum fluctus tumentes inspiciunt, ea proiiciunt pro quibus ante longa naufragia sumpserunt.

Sermo secundus de eodem.

ECce motus factus est in mari. Aliter mare potest intelligi cor peccatoris triplici ratione. Primo propter inquietudinem. Esa. 57. Cor impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest. Secundo propter profunditatem. Hierem. 17. profundum est cor hominis & inscrutabile: quis cognoscet illud? Ideo fatuum est facile de corde alterius iudicare. Tertio propter salsuginem quæ cor peccatoris sitire facit insatiabiliter. Prouerb. 13. Venter impiorum insatiabilis. In hoc mari quattuor venti flantes tempestatem suscitant. Danie. 7. Videbam in visione noctis, & ecce quatuor venti pugnabant in mari magno, & quattuor bestiæ grandes ascendebant de mari. Primus ventus est ambitionis tentatio. Hic flat ab oriẽte. Nobilitas enim generis huius tentationis occasio extitit. Bestia excitata flatu isto est superbia quæ est quasi leæna habens alas aquilæ. Alæ istæ sunt sublimitas & potestas. Alæ superbiæ auellũtur quãdo superbus à statu suo demittitur. Tũc stat super pedes quasi homo: quia iam non stat vel in equo vel super alios homines. Secũdus ventus est tẽtatio inuidiæ quæ flat à meridiee quia inuidus de prosperitate bonorum dolet. Bestia est inuidia quæ est similis vrso, qui libenter mel comedit. Inuidus enim detrahendo bona aliorum consumit. Bestia ista in parte stetit: quia quandoque inuidus hominem in parte laudat. Tres ordines dentium habuit: quia inuidus tres modos detrahendi habet, videlicet, Mala augendo: Bona diminuendo: Iudicium peruertendo. Hij sunt tres spiritus in modum ranarum de ore draconis

Hi sunt quattuor venti in mari.

exeũtes. Apoc. 16. Tertius ventus est tentatio carnis flans ab occidente, id est à carne quæ quotidie tendit ad occasum. Bestia excitata est concupiscentia carnis, quæ pardo similis dicitur propter varietatem desideriorum. Hæc bestia quattuor habebat capita, quia quattuor sunt quæ pertinent ad concupiscentiam carnis, videlicet Ocium: Suauitas vestium & similium: Epularum delectabilitas: & Carnale opus. Habebat etiam quattuor alas, quia quattuor sunt quæ carnis concupiscentiam erigunt, videlicet Iuuentus: Sanitas: Pulchritudo. Nobilitas. Hæ sunt alæ milui quibus ad sordes volatur: de quibus Zacha. 5. Quartus ventus flans ab aquilone est tentatio crudelitatis, quæ est in potentibus respectu subditorum: ad quam pertinet quarta bestia cæteris crudelior quæ cæteras coniurauit & pedibus conculcat. Cornua ipsius sunt, Præpositi, garciones, & consimiles, qui quos conculcare non præualent, saltem accusando lædere nituntur. His ventis & mari dominus imperat: cum non permittit eos in corde hominis regnare. Notandum quòd in tempestate tentationis tria sunt facienda. Exoneranda enim est nauis conscientiæ per confessionem, sicut Ionæ. 1. Miserunt vasa quæ erant in naui in mare. &c. Altitudo si qua est demittenda est vt velum demittitur surgente tempestate, quia perflant altissima venti tentationum: humilia vero in tuto sunt. Anchora etiam spei figenda est. Hebreo. sexto, Qui confugimus ad te pro salute &c. 1. Corinthio. 10. Fidelis est deus qui non permittet vos tentari &c. Augusti. Anchora spei facit animam stare in loco suo. Ecclesiastes 10. Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris. Item sciendum quòd mare tripliciter legitur deo obediuisse: quia scilicet, à tempestate ad eius voluntatem quieuit, vt hic. Calcabile ei se prębuit Matte. 14. Populo eius viam fecit, vt legitur Exodi 14. Sic peccator qui per mare intelligitur: tripliciter deo obedit. Primo dum à peccato quiescit. Esaiæ 1. Quiescite agere peruerse: discite benefacere. Secundo quando largitione eleemosynarum pedes domini, scilicet pauperes sustentat. Tertio cum per doctrinam & exemplum aliis ad patriam viam parat, vt patet in Paulo.

Peccator tripliciter deo obedit.

Sermo tertius de eodem.

ASCendente Iesu in nauiculam &c.

Habet hoc Euangelium aliquid pertinens ad fidelium terrorem:& aliquid pertinens ad eorum consolationem:& aliquid pertinens ad eorum instructionem. Ad terrorem pertinet quòd discipuli Iesum secuti in nauiculam ipso præsente tempestatem passi sunt. In quo condemnatur temeraria securitas aliquorum qui ita securi sunt in mari ac si essent in portu:& ita securi sunt in bello ac si iam triumphassent. 3. Regum 20. Ne glorietur accinctus æque vt discinctus. Bernardus in sermon. Nusquam est securitas,fratres,neque in cælo, neque in paradiso:multominus in mundo. In cælo cecidit Angelus sub præsentia diuinitatis. Adam de paradiso de loco voluptatis. Iudas in mundo de schola saluatoris. Augustinus, Nemo securus debet esse in via ista, quæ tota tentatio nominatur:vbi erit securitas, ex quo illi qui sunt cum domino Iesu tempestatem patiuntur? Ad consolationem pertinet quod ad imperium domini fit tanta tranquillitas, vt homines mirarentur. Ecclesiastici 43. In sermone eius siluit ventus. Tobiæ 3. Post tempestatem tranquillum facis. Subito dominus ita sedat tempestatem tentationis vt miretur homo & de difficultate quæ prius fuit,& de facilitate præsenti. Bernardus in sermonibus, Turbatur aliquis vehementer seu corporali quouis incommodo seu tribulatione aliqua seculari seu accidia spiritus & animi quadam defectione languescens iam tentari incipit supra quam valeat sustinere:arbitror sane velut quibusdam manibus huiusmodi homines interdum ab Angelis supportari vt quodammodo non sentientes transeant quæ tantopere formidabant: nec parum mirentur post modum tam super posteriore facilitate, quam super priore difficultate. Ad instructionem quattuor pertinent, videlicet. Quòd Iesus dormiebat: & quòd discipuli ad eum accedunt:& quòd clamando eum suscitant: & quòd eorum timiditas increpatur. In quibus quattuor innuuntur quæ sunt valde necessaria in tempestate tribulationis. Primum est fidei viuacitas, quæ per oppositum innuitur ibi:

Quattuor sunt necessaria

Ipse

Ipse vero dormiebat. Vnde glosa, Dormit in nobis dominus, id est fides domini, cum negligentius agimus: & ideo tempestas surgit. Si vero fides resurgat, imperat ventis & fluctibus. Ephesios vltimo, In omnibus sumentes scutum fidei: in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere 1. Petri 5. Cui resistite fortes in fide. Secundum est vt ad deum accedamus, iniquitates nostras quæ inter nos & deum diuidunt dimittendo: cessando scilicet à malis actibus, bonis operibus instemus. Deuteronomi 23. Quãdo egressus fueris aduersus hostes tuos ad pugnam, custodies te ab omni re mala. Et 1. Corinth. 9. Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, &c. Spiritualiter ad deum accedit qui ad ea accedit in quibus gratia solet conferri, vt ad confessionem vel ad prædicationem. Tertium est oratio. Matthei 27. Vigilate & orate vt non intretis in tentationem. Aug. Ideo premuntur iusti in ecclesia vt pressi clament, clamantes exaudiantur, exauditi glorificent dominum. Quartum est fiducia de deo. Vnde 2. Paralipo. 20. Non est vestra pugna sed dei. In eodem, Confidenter state & videbitis auxilium domini super vos. Nume. 14. Dominus vobiscum est, nolite timere. Diffidentia in Petro causa fuit quòd incepit mergi Matthei 14.

ria in tẽ-pestate tribula-tionis.

Sermo quartus de eodem, Ad religiosos.

ASCendente Iesu in nauiculam &c. Per nauiculam potest intelligi status religionis qui saluat à mari huius mundi. Assimilatur autem religio naui in istis. Qui portatur in naui, cõtentus est modico loco: sic religiosus modico contentus debet esse. 1. Tim. vlt. Habentes alimenta, &c. Et Mat. 7. Arcta est via quæ ducit ad vitam. Item qui portatur in naui licet sit magnus non dedignatur sedere ad pedes gubernantis. Sic religiosus non debet indignari si habeat prælatũ se inferiorem. Ecclesiasti. 3. Quanto magnus es, humilia te in omnibus. Mat. 3. Sic decet nos implere omnem iustitiam. Item si nauis sine pondere sit, nutillat: si cum nimio pondere sit, submergitur: si moderatum habeat stabilitur. Sic religiosus si non habeat pondus obseruantiæ & disciplinæ, dis-

etiam exempli peccatum in multos traducitur: Ecclesiastici. 13. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Sene. Vnum exemplum auariciæ vel luxuriæ multum mali fecit. Vicinus diues cupiditatem irritat: & conuictor delicatus paulatim eneruat & emollit. Malignus comes cuidam candido & simplici rubiginem suam affricuit. Peccatum etiam rapinæ quasi hereditarie traducitur in filios. He. 19. Tulit vnũ de leunculis, & factus est leo, & didicit prædã capere. A matre etiam meretrice peccatum luxuriæ quasi hereditarie transit ad filiam: qualis enim mater, talis filia frequenter, scilicet luxuriosa. Tertiò peccatum dicitur lepra quia lepra morbus est qui multum timetur, dicunt aliqui, Aliam infirmitatem det mihi dominus si ei placuerit: sed à lepra me custodiat. Et de peccato, Ecclesiastici. 21. Quasi à facie colubri fuge peccatum &c. Dẽtes eius dentes leonum &c. quasi rumphea bis acuta hominis iniquitas, &c. Timendum est ergo peccatum vt coluber, vt leo, vt gladius. Quinque de causis timetur lepra corporis: In quibus omnibus à lepra peccati superatur. Prima est quia multum damnificat hominẽ, humanæ societatis solatium auferendo: lepra vero peccati non solũ separat à cõsortio hominũ, sed etiã à consortio dei & angelorum. Hęc lepra eiecit Angelũ de celo, Adam de terrestri paradiso: ad vltimum peccatores eiiciet de mũdo isto & includet in inferno velut in quadam domo leprósoria. In præsenti separat eos à bonis quantum ad meriumt. In futuro vero separabit eos quantum ad locum. Matte. 13. Exhibuit Angeli & separabunt malos de medio iustorum. Qui habet lepram mortalis peccati, solus reputatur: quia non est in consortio bonorum, quantum ad meritum. Vnde væ illi. Ecclesiastes 4. Væ soli. Secunda est quia multum molestat æstu & siti. Ecclesiasti. 23. Anima calida quasi ignis ardens &c. eiusdẽ. 14. Non satiabitur oculus visu nec auris auditu, donec consumet iniustitiam. Prouer. 30. Sanguisugæ duæ filiæ dicentes, Affer, affer. &c. Sanguisuga est concupiscentia, cuius duæ filiæ sunt, scilicet Amor habendi temporalia bona: & amor fruendi. Esa. 5. Multitudo eorum siti aruit. Adeo sitiunt vt venenata bibere non timeant: vt patet in raptoribus, furibus, & vsurariis. Etiam se ipsos bibendo submerguut. Ioan. 4. Qui biberit ex

aqua

aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. Augusti. Qui biberit de fluuio paradisi cuius gutta vna maior est oceano: restat vt in eo sitis huius mundi extincta sit. Tertia est quia multum vilificat. Facit enim hominem deformen ad videndum: abominabilem ad cohabitandũ. Reddit etiam anhelitum fœtidum, & aëra inficit: sed lepra peccati amplius hoc facit. Dauid, Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in iniquitatibus suis. Item sepulchrum patens est guttur eorum 1. Corinthiorum 15. Corrumpunt bonos mores colloquia praua. Oseæ 9. Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt. Quarta quia multum durat Si vero tria prædicta videlicet Damnificatio, molestia, & vilificatio modicum durarent: tolerabilis esset infirmitas. Sed morbus lepræ corporalis vix vel nunquam curatur. De lepra vero peccati hoc constat quòd apud homines eius curatio impossibilis est. Apud deum vero omnia possibilia sunt. Matth. 19. Esaiæ 43. Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me. Quinta est quòd lepra est morbus crescens. Primo enim parum apparet, sed crescendo procedit donec totum corpus occupauerit: sic lepra peccati corrumpit primo cor, deinde os, deinde oculos & alia exteriora. Ecclesiast. 11. A scintilla vna augetur ignis, &c. Sequitur videre quomodo beatitudinibus species lepræ spiritualis mundetur. Sciendum ergo quòd octo sunt corruptiones ipsius animæ: quæ sunt velut octo species lepræ. Prima est cupiditas, quæ est appetitus immoderatus habendi bonum temporale. Hanc sanat paupertas spiritus. Et quia radix omnium malorum est cupiditas, 1. Tim. 6. conuenienter primo eam extirpat saluator, securim prædicationis ponẽs ad radicem maliciæ, scilicet cupiditatem. Secunda est ira, quæ est appetitus vindictæ quam sanat mansuetudo, quæ nec nocet nec nocere desiderat. Ira est velut ignis in corde hominis omnia bona consumens: ideo multum conandum est ad eius remotionem. Ecclesiastes 11. Aufer iram à corde tuo, &c. eisdem 7. Ira in sinu stulti requiescit. Prouer. 6. Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, &c. Tertia est seculi lætitia, quæ est appetitus fruendi bonis transitoriis. Hanc lepram habebant qui dicebant Sap. 2. Venite & fruamus

Octo species lepræ spiritualiter curãtur per octo beatitudines.

etiam exempli peccatum in multos traducitur: Ecclesiastici. 13. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Sene. Vnum exemplum auariciæ vel luxuriæ multum mali fecit. Vicinus diues cupiditatem irritat: & conuictor delicatus paulatim eneruat & emollit. Malignus comes cuidam candido & simplici rubiginem suam affricuit. Peccatum etiam rapinæ quasi hereditarie traducitur in filios. He. 19. Tulit vnū de leunculis, & factus est leo, & didicit prædā capere. A matre etiam meretrice peccatum luxuriæ quasi hereditarie transit ad filiam: qualis enim mater, talis filia frequenter, scilicet luxuriosa. Tertiò peccatum dicitur lepra quia lepra morbus est qui multum timetur, dicunt aliqui, Aliam infirmitatem det mihi dominus si ei placuerit: sed à lepra me custodiat. Et de peccato, Ecclesiastici. 21. Quasi à facie colubri fuge peccatum &c. Dētes eius dentes leonum &c. quasi rumphea bis acuta hominis iniquitas, &c. Timendum est ergo peccatum vt coluber, vt leo, vt gladius. Quinque de causis timetur lepra corporis: In quibus omnibus à lepra peccati superatur. Prima est quia multum damnificat hominē, humanæ societatis solatium auferendo: lepra vero peccati non solū separat à cōsortio hominū, sed etiā à consortio dei & angelorum. Hęc lepra eiecit Angelū de celo, Adam de terrestri paradiso: ad vltimum peccatores eiiciet de mūdo isto & includet in infernovelut in quadam domo leprósoria. In præsenti separat eos à bonis quantum ad meriumt. In futuro vero separabit eos quantum ad locum. Matte. 13. Exhibuit Angeli & separabunt malos de medio iustorum. Qui habet lepram mortalis peccati, solus reputatur: quia non est in consortio bonorum, quantum ad meritum. Vnde væ illi. Ecclesiastes 4. Væ soli. Secunda est quia multum molestat æstu & siti. Ecclesiasti. 23. Anima calida quasi ignis ardens &c. eiusdē. 14. Non satiabitur oculus visu nec auris auditu, donec consumet iniustitiam. Prouer. 30. Sanguisugæ duæ filiæ dicentes, Affer, affer. &c. Sanguisuga est concupiscentia, cuius duæ filiæ sunt, scilicet Amor habendi temporalia bona: & amor fruendi. Esa. 5. Multitudo eorum siti aruit. Adeo sitiunt vt venenata bibere non timeant: vt patet in raptoribus, furibus, & vsurariis. Etiam se ipsos bibendo submergunt. Ioan. 4. Qui biberit ex aqua

aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. Augusti. Qui biberit de fluuio paradisi cuius gutta vna maior est oceano: restat vt in eo sitis huius mundi extincta sit. Tertia est quia multum vilificat. Facit enim hominem deformen ad videndum: abominabilem ad cohabitandũ. Reddit etiam anhelitum fætidum, & aëra inficit: sed lepra peccati amplius hoc facit. Dauid, Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in iniquitatibus suis. Item sepulchrum patens est guttur eorum 1. Corinthiorum 15. Corrumpunt bonos mores colloquia praua. Oseæ 9. Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt. Quarta quia multum durat. Si vero tria prædicta videlicet Damnificatio, molestia, & vilificatio modicum durarent: tolerabilis esset infirmitas. Sed morbus lepræ corporalis vix vel nunquam curatur. De lepra vero peccati hoc constat quòd apud homines eius curatio impossibilis est. Apud deum vero omnia possibilia sunt. Matth. 19. Esaiæ 43. Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me. Quinta est quòd lepra est morbus crescens. Primo enim parum apparet, sed crescendo procedit donec totum corpus occupauerit: sic lepra peccati corrumpit primo cor, deinde os, deinde oculos & alia exteriora. Ecclesiast. 11. A scintilla vna augetur ignis, &c. Sequitur videre quomodo beatitudinibus species lepræ spiritualis mundetur. Sciendum ergo quòd octo sunt corruptiones ipsius animæ: quæ sunt velut octo species lepræ. Prima est cupiditas, quæ est appetitus immoderatus habendi bonum temporale. Hanc sanat paupertas spiritus. Et quia radix omnium malorum est cupiditas, 1. Tim. 6. conuenienter primo eam extirpat saluator, securim prædicationis ponẽs ad radicem maliciæ, scilicet cupiditatem. Secunda est ira, quæ est appetitus vindictæ quam sanat mansuetudo, quæ nec nocet nec nocere desiderat. Ira est velut ignis in corde hominis omnia bona consumens: ideo multum conandum est ad eius remotionem. Ecclesiastes 11. Aufer iram à corde tuo, &c. eisdem 7. Ira in sinu stulti requiescit. Prouer. 6. Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, &c. Tertia est seculi lætitia, quæ est appetitus fruendi bonis transitoriis. Hanc lepram habebant qui dicebant Sap. 2. Venite & fruamus

Octo species lepræ spiritualiter curãtur per octo beatitudines.

mur bonis quæ sunt &c. lætitia seculi se habet in amatoribus mundi vt risus in freneticis. Hanc sanat gratia lugendi quæ se habet vt dolor in infirmo sanæ mentis. Melius est habere se sanæ mentis dolentem: quam freneticum ridentem. Grego. Inter duos ægros medicus aderat: sed vnus æger in febre integrum sensum tenebat; alter vero sensum mentis perdiderat. Loquitur de Christo & Magdalena & Phariseo. Quarta est accidia quæ magna bona modicum amat: quæ est velut fastidium veri boni,& est infirmitas morti appropinquans. Dauid, Omnem escam abominata est anima eorum: & appropinquauerũt vsque ad portas mortis. Hanc sanat esuries iustitiæ: vt iustitiam intelligamus bonum gratiæ sicut ibi, Primum quærite regnum dei & iustitiam eius &c. Mat. 6. Quinta est inuidia quæ gaudet de alieno malo,& dolet de alieno bono: quæ putredo ossium dicitur. Prouer.14. Hanc sanat misericordia, quæ condolet alieno malo. Sexta est cordis immundicia que est cordis laxitas sordes peccati sustinens. Hanc sanat cordis munditia quæ est puritas animi omnem immundiciam aborrens. Qui habent hanc corruptionem sunt velut sus lota in volutabro luti 2. Petri.2. Cum quidã stultus diceret audiente Pythagora, malle se cum mulieribus quam cum philosophis conuersari: Et sues, inquit, libentius in cæno quam in aqua pura versantur. Septima est discordia quæ est in hominibus proprij sensus & propriæ voluntatis, quę diabolo multum assimilat: cuius est dispergere,& similitudinem dei multum dissipat: cuius est colligere. Lucæ 11. Qui non colligit mecum dispergit. Augustinus, Nihil similius est actibus dæmonum quam litigare. Hanc corruptionem sanat gratia pacificandi: quæ filio dei specialiter assimilatur, vt dominus insinuat dicens: Beati pacifici, quoniam filij dei vocabuntur. Octaua est nimia passibilitas à malo pænæ, vel à malo presenti, & vocatur impatientia, vel à malo futuro; & vocatur pusillanimitas seu nimia timiditas, quam remouet philosophus à forti, dicens, Fortis est intimidus mali. Seneca, Vir bonus ab honesto nulla re deterrebitur: ad turpia nulla re mutabitur. Contra hanc corruptionem dicit dominus, Beati qui persequutionem patiuntur propter iustitiam &c. Et notandum quod istæ octo corruptiones sunt

ipsius

ipsius affectus,scilicet quatuor respectu boni, & quatuor respectu mali. Duę sunt respectu boni quod est infra nos, scilicet immoderatus appetitus habendi bonum transitorium, & appetitus fruendi illo. Tertia est respectu boni quod est supra nos, scilicet accidia,quæ est fastidiũ boni. Quarta est respectu eius quod est iuxta nos, scilicet discordia. De iis quatuor nota quòd prima respectu mali est, si malum proximo velis inferre,ira scilicet. Secunda si malum quod patitur nolis misericorditer auferre, immundicia, scilicet inuidia. Tertia si malum culpæ in te velis sufferre,immundiciam,scilicet. Quarta est si malum pœnæ loco & tempore nolis ferre, impatientia scilicet. Item notandum quòd corruptionem in affectu concomitatur corruptio in intellectu. vnde Zacha.5. dicitur de impietate quòd hec est oculus eorum in vniuersa terra. Prouerbiorum 21. Lucerna impiorum peccatum. De facili intellectus sequitur affectum. Dauid, Transierunt affectum cordis.Notandum ergo de his octo speciebus lepræ spiritualis: quòd nimium amorem altitudinis concomitatur frequenter presumptiò qua homines de se alta sentiunt. Ideo dicitur,1.Timo.6.Præcipe diuitibus huius seculi non sublime sapere. Iram concomitatur cæcitas vel obtenebratio. Impedit enim ira animũ,ne possit cernere verum. Dauid,Supercecidit ignis,& non viderũt solem &c.Seculi lætitiam concomitatur fatuitas.vinum enim est gaudium temporale, faciens homines quasi furere. Oseæ 7. Ceperunt principes furere à vino. Hoc vinum infatuauit salomonem. Accidiosi ponunt dulce in amarum & prophetiis falsis deluduntur. Esaiæ.5. Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum,ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. Ipsi fastidiunt manna. Prouerbiorum 22. Dicit piger,Leo est in via,in medio platearum occidẽdus sum. Inuidiam concomitatur cæcitas. Hæc excecauit Iudæos. Sapien. 2. Excecauit eos malitia eorum. Iob. 5. Per diem incurrent tenebras & quasi in nocte sic palpabunt in meridie vbi dicit Gregorius,Mẽs inuidi cum de alieno bono affligitur, de radio lucis obscuratur. Immundi corde nares habent & non odorabunt. Ruminant enim fætentia, ac si essent aromata. Discordes vero in quibus proprius sensus habundat, putantes se esse sapiẽtes stulti facti sunt.

Non solũ stulti; sed quasi insani. Nescire enim quæ essent scieda simplex stultitia est: sed credere se sapientem; cùm sit stultus; insania est. Prouerbiorũ 26. Vidisti hominem sibi sapientem videri? magis illo spem habebit insipiens. Augustinus, Si dicẽdo te esse sapientem, stultus factus es: dic te stultum, & sapiens eris. Impatientes vero sunt quasi homines arreptij. Et sicut qui patiens est multa gubernatur sapiẽtia: Prouerb. 14. Sic qui impatiẽs est; parua vel nulla. Pusillanimis vero est velut inimicus eius. Iusta illud. Genesis 4. Quicunque inuenerit me occidet me. & Iob. 15. Sonitus terroris semper in auribus eius & cum pax sit ille semper insidias suspicatur. Leuitici 26. Ipsum terrebit sonitus folij volantis.

Sermo secundus de eodem.

CVm descendisset Iesus de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ, &c.

Quòd coram turbis leprosus dicitur sanari; facit ad certitudinem miraculi. Notabile est etiam quòd turbæ sequuntur non principes. Chrysost. Non sequũtur principes. Per totum enim euangeliũ vides eos esse fixos. Turba cum silentio audiuit; pharisæi vt calumniarentur. Item, in hoc quòd post descensum mõtis turbæ sequuntur, instruuntur prælati vt de monte contemplationis descendant vt fructum in populo faciant. Iob. 29. Cum sederem quasi rex circunstante exercitu eram: tamen merentium consolator. Periculosa est nimia mora prælati in monte contemplationis. Exo. 32. Videns populus quòd morã faceret Moyses descendere de monte, congregatus ad Aaron ait: Fac nobis deos qui nos præcedant.

Et ecce leprosus, &c. Circa modum quo se habuit leprosus salutẽ petens: tria attẽde, videlicet Quod venit: Quod adorat: Quod potestatẽ Christi profitetur. In quibus tria nobis ostenduntur valde necessaria ad sanationem lepræ spiritalis. Primum est appropinquatio, vt scilicet appropinquet deo gressu desiderij & operis. Iac. 4. Appropinquate deo: & approp inquabit vobis. Aug. in lib. de baptismo paruulorum. Adiutor noster dicitur deus. Nec adiuuari

uari potest nisi qui aliquid sponte conatur. Idem in lib. de perfectione iustitiæ hominis, Non adiuuatur nisi qui & ipse aliquid agit. Secundum est humilitas in oratione, quę valde efficax est ad impetrandam salutẽ. Ecclesiastici 35. Oratio humiliantis se nubes penetrabit. Dauid, Respexit in orationem humilium, &c. Iacobi 4. Deus superbis resistit: humilibus autem dat gratiam. Tertium est fides, que multum valet ad impetrationem salutis. Mat. 8. Vade, & sicut credidisti fiat tibi. Interlinearis: Cuique sicut creditur ita fiet. Sequitur, Domine, si vis potes me mundare. Iste leprosus tenet figuram humani generis, quod in aduentu Christi erat leprosum, quod potentiam dei per pœnam inflictam nouerat: sed bonitatem volũtatis eius non ita. Sed iam non debet alicui esse dubium quin velit nos à lepra spirituali mundare: cum ad hoc sanguinem suum fuderit & tot fontes gratiæ in ecclesia posuerit. Apoc. 1. Qui dilexit nos & lauit, &c. Tim. 2. Qui dedit semetipsum pro nobis vt nos redimeret ab omni iniquitate, mundaret sibi populum acceptabilẽ &c. Esa. 12. Haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris.

Et extendens manum, &c. Circa modum quo se habuit saluator salutem cõferens, septẽ attende. Primo Christus manum extendens leprosum tangit in quo notatur humilitas. Secũdo dicit volo: in quo apparet eius magna pietas. Eius potestas. Tertio quòd dicit mundare, idest mũderis, & confestim mundata est lepra: in quo appatet maiestas. Quarto quòd dicit vt nemini dicatur: in quo iactantia hominum condemnatur. Quinto quia mittendo ad sacerdotes, in hoc eos honorat. Sexto quòd in eodem confessionem commẽdat, qua leprosi spiritualiter sacerdotibus suis se ostendunt. Septimo quia munus pręceptum in legẽ iubet offerri: in quo legem veterem approbat. *Et extendens manum, &c.* Notandũ quòd dominus manum suam multipliciter extendit. Extendit dominus manum suam, Ad percutiendum Esa. 9. Ad huc manus eius extenta. Ad amplexandum vt apparet in statu crucis. Ad largiendum. Prouer. 1. Extendi manum meam & non fuit qui aspiceret. Ad viam ostendendum. Esa. 46. Tota die expandi manum meam ad populum qui gradiutur via non bona. Ad adiuuandum: Dauid, Tenuisti manum dexteram meam, & in

voluntate tua deduxisti me. Ad sanandum: vt hic Tetigit eum. Et nota singula. De prima extensione notandum quòd vibrauit dominus gladium suum. Et innuitur in hac extensione quòd etiam remotos percutiat. In Psal. Si ascendero in cælũ, tu illic es, &c. Item quòd percutiet etiam superiores. Sap. 6. Iudicium durissimum in iis qui præsunt fiet. Item quòd fortiter percutiet. Manus enim quæ altius extenditur, grauius percutit. Timent porci videntes securim super se eleuatam: & non timent fatui homines propter quos dei iusticia gladium eleuauit. Et notandum quòd Deus manum ad percutiendum extendit In cælo; In terrestri paradiso: In mundo: In purgatorio: In inferno. Extendit dominus manum suam In cœlo; ad percutiendum superbum apostatam. Esa. 51. Nunquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem. Iob. 26. Prudentia eius percussit superbum. In paradiso ad percutiendum primos parentes. Quæ percussio transiuit ad posteros. Hier. 30. Plaga inimici percussi te. In mundo vero quosdam percutit ad conuersionem. Isa. 19. Percutiet dominus Ægyptum plaga, & sanabit eam. Alios ad indurationem. Hier. 5. Percussisti eos & non doluerunt, &c. In purgatorio ad expiandum Iob. 19. Miseremini mei; miseremini mei: quia manus domini tetigit me. In inferno ad æternaliter puniendũ. Prouer. 19. Parata sunt derisoribus iudicia & mallei percutientes stultorum corporibus. Item extendit manum suam ad amplexandum, vt apparet in statu crucis vbi fuit paratus quasi ad amplexandũ peccatores: & sic se habet in tempore gratiæ. vnde Luc. 15. legitur de patrefamilias; quòd occurrens cecidit super collum filij. Item ad largiẽdum. Prouer. vltimo, Manum suam aperuit inopi: & palmas suas extendit ad pauperem. Adeo extendit deus pater manũ suam, quòd brachium suum, scilicet filius in duo frusta diuisum est, scilicet anima descendẽte ad inferos vt captiuos extraheret; & corpore remanente in sepulcro. ecclesiastici 4. Non sit manus tua ad accipiendum porrecta, & ad dandum collecta, &c. Item ad ostendendum viam. Esa. 65. Tota die expandi manus meas, &c. Manum hoc modo Christus extendit, dum formam rectæ viuendi hominibus ostendit. Sed multi facto dicunt ei, Recede à nobis: scientiam viarum tuarum nolumus.

Item

Item ad adiuuandum. Dauid, Tenuisti manum dexteram meam, &c. Maxime vero si manum suam extendit: iis qui in proximo eum sequuntur. Psal. Adhæsit anima mea post te: me suscepit dextera tua. Iob. 14. Operi manuũ tuarum porriges dexteram. Item, Ad sanandum: vt hic, Tetigit eum. Magna dignatio maiestatis quæ leprosum tangit. Glo. Tetigit propter humilitatem, vt nos doceret nullum spernere pro aliqua corporis maculatione: quod est contra quosdam qui leprosos abominantur. Refert cantor Parisiensis de quodam sacerdote leprosorum, quòd in muro fecerat foramen, per quod audiebat confessiones eorum, & porrigebat corpus domini: quòd parte illa remanẽte sana, quam vertebat ad eos; alia facta est leprosa. Et quidam seruus qui adeo aborrebat leprosos; quod nolebat eis eleemosynam ferre: factus est leprosus. De illis vero qui leprosos spiritualiter despiciunt; dicitur Esa. 65. Qui dicunt; recede à me, non appropinques mihi, quia immundus es. Isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die. Non aborruit Christus peccatricem. Luc. 7. Si esset hic propheta, &c. Dicens volo, vult siquidem mundare Christus, sed nolunt homines mundari. Væ qui non vult mundari: qui libentius habitat cum leprosis quàm cum sanis: cum lepra morbus sit infectiuus. Si enim esset sanus, posset ipse ex cohabitatione fieri leprosus. Item, Non vult fieri sanus qui nec consilium medici vult audire quo sanetur. Non enim vult audire prędicationẽ. Prouer. 24. Erit salus vbi multa consilia sunt. Item, Qui non vult reddere alienum pro curãda lepra spirituali. Pro curanda enim lepra carnali daret suum. Item, Non vult mundari qui non vult lepram peccati ostendere medico vt curetur. Vnde 4. Regum 5. Dictum est Naaman à seruis suis: Si grandẽ rem dixisset tibi, pro certo facere debuisses: Quanto magis, Mundare. Et cõfestim mundatus est &c. Sciendum est quòd quinque modis fit mundatio lepræ, scilicet Ablutione: Ostensione: Separatione: Inclusione: Tactu. Ablutione: vt Naaman, qui mundatus est in Iordane 4. Regum 5. Apocalyp. 1. Dilexit nos & lauit nos, &c. Ostensione. Lucæ 17. Dictum est leprosis: Ite, ostendite vos sacerdotibus. Qui dum irent, mundati sunt. Et in Psal. Dixi cõfitebor aduersum me iniustitiam meam &c.

Item, Separatione: vt Maria, Numeri 12. quæ fuit extra castra septem diebus. Sic fit mundatio per excommunicationem, vt cauterium, 1. Corinth. 5. Decreui huiusmodi tradere satanæ in interitum, &c. Et Leuit. 6. Eiicite extra castra omnem leprosum, &c. Item, Inclusione: vt manus Moysi quæ extracta de sinu leprosa apparuit: reposita in sinu similis facta est carni reliquæ, Exo. 4. Sic aliqui in seculo leprosi erant spiritualiter: qui in claustro positi à lepra sanantur. Item Tactu: vt hic; sed duplex est tactus domini. Vnus suauis: Alter grauis. Suauis est quo tangit filios suos in præsenti, ad probationem Gen. 27. Accede filij vt tangã te & probem, &c. Grauis in purgatorio. Iob. 19. Miseremini mei, miseremini mei, &c. Hebreorum 10. Horrendum est incidere in manus dei viuentis. Item, Notandum quòd ea quæ fiebant in purificatione leprosi corporaliter, ostendunt qualiter debeat purificari leprosus spiritualiter. De leproso iubetur Leuitic. 14. quòd sumat duos passeres, & lignum cedrinum, & vermiculum, & hyssopum. Et vnum ex passeribus immolet in vase fictili super aquas; alium autem viuum cum ligno cedrino & cocco & hyssopo tingat in sanguine passeris immolati, quo aspergat eum qui mundandus est septies. Nota singula prædicta: quia Cum passer dictus est patiendo: duo passeres sunt, dolor contritionis, quo anima compungitur: & labor satisfactionis quo corpus affligitur. De quibus Micheæ 4. Dole & satage filia Sion. &c. Lignum cedrinum quod est imputribile: est propositum firmum de cetero non peccandi mortaliter, quo incorruptio seruatur, vnde Ioan. 5. Vade, & noli amplius peccare. Idẽ Ioan. 8. Vermiculus seu coccus rubei coloris; est pudor confessionis quo pænitens erubescens de peccatis confunditur. Roman. 6. Quem ergo fructum ha. &c. Hyssopus cuius est tollere tumorem pulmonis, est humilitas pænitentis, qua ceruix prius erecta deiicitur. Aquæ viuæ sunt dona sancti spiritus. Salutans doctrina lacrimarum gratia quibus anima à sordibus peccatorum mundatur. Et nota quòd sicut habetur Leuitici. 14. Leprosus offerebat Duos agnos immaculatos, & ouem anniculam absque macula, & tres decimas similæ, & olei sexta-

rium,

tium, &c. Nota quòd in duobus agnis intelligitur duplex innocentia quam debet offerre peccator. Vna est vt opprimendo nullum miserum faciat. Alia est, vt miserum non deserat: sed subleuando miseriam ei subtrahat. Contra eos qui carent prima innocentia dicitur Isa. 3. Quare atteritis populum meum, &c. Cõtra illum qui caret secũda dicit Ambro. Pasce fame morientẽ: si non pauisti, occidisti. In oue intelligitur mãsuetudo, qua peccator dimittit ei qui eum offenderat. Prouer. 3. Illusores ipse deludet, mansuetis dabit gratiam, &c. Delusor est qui vult sibi dimitti à deo, & non dimittit proximo. Ecclesiastici 28. Homo homini seruat iram: & à deo quærit medelam. Simila est immaculata substantia quæ debet offerri. Ecclesiasti. 34. Immolantis ex iniquo maculata est oblatio. Debet autẽ simila conspergi oleo: quia ecclesia debet pinguescere deuotione & hylaritate 2. Cor. 9. Hylarẽ datorem diligit Deus. Rom. 12. Qui miseretur in hylaritate. De simila dãdæ sunt tres decimæ, sicut in veteri testamento de laboribus, videlicet. Prima decima dabatur sacerdoti. Secunda in oblationes solennitatum. Tertia in eleemosynas pauperum.

Sermo secundus de eodem.

CVm autem introisset Iesus Capharnaum, &c.

Pars ista euangelij hodierni in qua ponitur sanatio serui cẽturionis: multam habet materiã ædificationis. In ipsa enim triplex datur nobis exemplum, tam in Christo, quàm in Centurione, & in eius seruo. Primo humilitatis, in hoc quòd ire ad seruum centurionis consensit. Glo. Magna humilitas quòd seruũ dignatur visitare. Ad filiũ regis noluit venire, Io. 4. ne diuitias honorare videretur: hic ne seruilem conditionem spernere videatur, mox ire consentit. Sen. Quemadmodum stultus est qui equum tentaturus non ipsum aspicit sed stratum & frenos: sic stultissimus est qui hominem aut ex veste, aut ex conditione quomodo vestis nobis circundata est existimat. Secũdo æquitas in hoc quòd deuotionẽ gentilis nõ despicit

ſed laudibus extollit dicens, Non inueni tantam fidem in Iſraël. Actuum 10. In veritate comperi quoniam non eſt perſonarum acceptor Deus: ſed in omni gente, qui timet eum & operatur iuſticiam, acceptus eſt illi. Tertio fides in nobis roboratur ex oſtenſione potentiæ Chriſti, qui abſentem verbo curat. Vade inquit, & ſicut credidiſti fiat tibi: & ſanatus eſt puer ex illa hora. In centurione vero quatuor nobis commendantur. Primo humilitas in hoc quòd dicit, Non ſum dignus vt intres ſub tectum meum. Auguſtinus, Dicendo ſe indignum, preſtitit ſe dignum non in cuius parietes, ſed in cuius cor Chriſtus intraret. Chryſoſtomus, Quia indignum ſe fecit ſuſcipiendi in domo: dignus factus eſt regno. verbum iſtud, Non ſum dignus, &c. Partim ad humiles ſacerdotes qui ſe reputant indignos celebratione: cùm non habeant hoſpiciũ eburneum regi regum congruum, quale habuit beata virgo de qua potuit dici iſtud Eſaiæ 62. Et vocaberis voluntas mea in ea, &c. Quomodo dignus eſt: vt Deus intret ſub tectum ipſius qui habet vxorem litigioſam, ſcilicet, conſcientiam contumelioſam? Prouer. 19. Tecta iugiter perſtillantia & litigioſa mulier comparantur. Item ille in quo de igne cupiditatis fumus tentationis aſcendit: & vbi flat ventus ſuperbiæ: licet homo non habeat deuotionem, non debet tamen propter hoc dimittere celebrationem dum ſolummodo ſe benè præparet: & faciat quòd in ſe eſt, ſicũt homo non dimittit ferre vas ad aquam, quia vacuum eſt velut fons gratiæ eſt ſacramentum altaris. Sed quibuſdam illuditur à pigritia ſub tegmine diuini timoris, qui potius hoc relinquunt ex pigritia quàm ex timorē dei. Qui ſi haberent verum timorem dei, negligentiam preparandi ſe à ſe repellerent. Eccleſiaſticus, Qui timet deum, nihil negligit. Ibi potius timere deberent dei offenſam vbi nulla eſt vtilitas quàm vbi offenſæ remittuntur; & virtus cauendi eas confertur: & captiuis qui ſunt in purgatorio ſubuenitur. Figurã talium tenet piger ſeruus dicẽs domino, Timui te quia homo auſterus es. Lucæ 19. Secundo fidei magnitudo qua credidit quòd dicere Chriſti eſſet facere. Vnde ait, Tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus. Fides iſta ſerui ſanitatem meruit. Vnde dictũ eſt ei, Sicut credidiſti, fiat tibi. Gloſa, Cuique ſicut credit,

ita

ita fit. Matthei 17. Si habueritis fidem sicut granum synapis, dicetis monti huic, &c. Marci 9. Nihil impossibile est credenti. Tertio sapientia quæ insinuatur ibi, Nam ego sum sub potestate constitutus. Quarto bonitas quæ innuitur in hoc quòd pro seruo rogat. Et dicitur Lucæ 7. quòd erat illi preciosus. Et vocat eum puerum, in hoc exhibens ei reuerentiam. Sene. Serui sunt: immo homines. Serui sunt: immo humiles amici. Idem contra illos qui seruos dure tractant, potius volentes ab eis timeri quàm amari: Colant te, inquit, potius serui, quàm timeant. Non sit homini parū, quod domino satis est. Idem, Rideo istos qui turpe existimant cum seruo suo cænare. virga murmur omne compescitur. Tota nocte ieiuni perstant. Sic fit vt ipsi de domino loquātur, quibus coram domino loqui non licet. At illi quibus non tantum coram dominis, sed cum ipsis sermo erat, quorum os non consuebatur, parati erant pro domino porrigere ceruicem. Idem, Sic cum inferiore viuas, quemadmodum superiorem velis tecum viuere. Ecclesiastici 31. Si est tibi seruus fidelis, sit tibi quasi anima tua: quasi fratrem sic tracta eum. Eiusdē 7. Seruus sensatus sit tibi dilectus. De his quatuor dicit Chrysostomus, Humilitatem, an fidem: Sapientiam, an Bonitatem. In seruo vero centurionis insinuantur vobis tria, videlicet, Primo serui bonitas. Sicut habēt quod imitētur domini in centurione: sic serui habent quod imitentur in puero. Qualis putas erat puer qui sic amabatur? Nō erat possibile vt sine precio bonorum morum talem sibi dilectionem comparasset. Domini ergo debent amorem seruis, propter communem naturam. Serui dominis debent timorem, propter ordinationem. Secundo ostenditur ciuitas in qua infirmabatur, scilicet, Capharnaum, quod interpretatur mala pulcherrima, & ager pinguedinis. in quo insinuatur quòd loci amænitas vel rerum abundantia multis sit occasio spiritualis infirmitatis. Hiere. 2. In omni colle sublimi & sub omni ligno frondoso prosternebaris. Hierony. Amæna & excelsa semper idolis cōsecrantur. In Psalm. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorū. Ezech. 16. Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ superbia, saturitas panis & abundantia, & ociū ipsius & filiarū eius. Lucæ 12. Anima mea habes multa bona, &c. requies-

Quid primum miramur in centurione.

ce,&c. Tertio ostenditur genus infirmitatis quo infirmabatur,cum dicitur,Puer meus iacet in domo paraliticus & male torquetur.In delitiis fit homo quasi paraliticus, impotens videlicet ad agendum,& ad sustinendum. Sen. Quis hostis in quemquam tam contumeliosus fuit,quàm in quosdam voluptates suæ sunt?Sufficit alicui quòd exercet hostem suum. Voluptates vero voluptuosos non solum excæcant,sed etiam impotentes & leprosos & corporaliter & spiritualiter efficiunt. In Capharnaum id est in villa consolationis male torquetur piger. vnde Prouerb. 21.Desideria occidunt pigrum noluerunt enim quicquàm manus eius operari.Tota die concupiscit & desiderat.Seneca, Tractatione bonarum artium occupandi sumus, quotiens male habet inertia impatiens sui. Et nota quòd quidam male torquentur,quidam bene. Bene, idest vtiliter torquetur qui bono labore torquetur:quoniam bonorum laborum gloriosus est fructus,vt dicitur Sap.3. Male torquetur piger, qui paralysi accidiæ torquetur: cum ex tormento suo talem vtilitatem non consequatur.

Dominica tertia post Epiphaniam sermo primus de epistola.

Scendente Iesu in nauiculam,secuti sunt eum discipuli eius, &c. Matth.8.

Euangelium hodiernum sex continet videlicet,Ascensum Christi & discipulorum in nauiculam. Maris turbationem Christo dormiẽte factam:Christi suscitationem: Discipulorum increpationem : Sedationem tempestatis factam ad Christi iussionem:Hominum super hoc admirationem,vnde dicebant, Venti & mare obediunt ei. Ex hoc dixerũt aliqui hæretici ventũ & mare esse res animatas,quod non est verũ:sed dicuntur obedire,quia ad modũ obedientiũ se habent, dum in illis fit volũtas dei. Similiter intellige & illud,Imperauit vẽtis & mari.Fecit enim ac si imperaret. Imperium est proprie ad res animatas. Ascendente Iesu in nauiculã, &c. Notandum quòd nauicula Iesum & discipulos eius continens,est ecclesia,mare mundus

mundus: vnde quidam dixit in perſona Petri,

Eccleſiam pro naue rego: mihi climata mundi
Sunt mare: doctrina retia: piſcis homo.

Prouer. vlt. dicitur de eccleſia, Facta eſt quaſi nauis inſtitoris, delongè portans panem ſuum. Eccleſia delongè panem portat: quia de cælo panem ſpiritualem orando impetrat. Item de exilio meritum, vnde in æternum viuat. Et notãdum quòd comparatur naui eccleſia: quia arcta fuit in principio in perſecutione tyrannorum. Arcta etiã erit in fine, ſcilicet in tempore antichriſti. Sed in medio eſt lata, quia multos habes modo credentes. Mũdus etiam mare dicitur, eo quòd mari in multis aſſimiletur. Primo in hoc quòd mare cito de trãquillitate in tempeſtatem vertitur: ſic mundus. Sene. In momento mare euertitur: & vbi modo luſerunt nauigia, ibi ſtatim abſorbentur. Secundo fluctus qui in mari ſunt eleuantur & ſtatim deprimuntur: & cum depreſſi fuerint, iterum ſtatim eleuantur. ſic fit in mundo. Poëta, Tolluntur in altum, vt lapſu grauiore ruant. Pſalm. 36. vidi impium ſuperexaltatum & eleuatum ſicut cedros Libani & tranſiui, & ecce non erat. Item deieciſti eos dum alleuarẽtur. Et Iob 30. Eleuaſti me & ſuper uentum ponens eliſiſti me valide. Tertio quia mare mortuos à ſe eiicit: ſic & mundus eos qui mortui ſunt mundo: Sap. 2. Grauis eſt nobis ad videndum 1. Cor. 4. Tanquam purgamẽta mundi huius facti ſumus omnium peripſima. Peripſima eſt purgamẽtum ferri vel pomi: & quicquid de qualibet abiicitur materia vt purgatior reddatur. Quarto in mari piſces grandiores deuorant minores: ſic in mundo potentiores infirmos opprimunt. Abacuc. 1. Quare taces deuorante impio iuſtiorem ſe? &c. 2. Corin. 11. Suſtinetis ſi quis vos in ſeruitutẽ redigit, ſi quis deuorat, &c. viuunt tamen viri ſancti, licet a tyrannis deuorentur. ſicut Ionas in ventre ceti. Ionæ 2. Et 2. Cor. 6. Quaſi morientes & ecce viuimus. Quinto in mari venti faciunt tempeſtatem commouendo aquam. Sic tyranni in hoc mundo faciunt tempeſtatem & perſecutionem populos concitãdo. Tyranni ſuperiores populis, ſunt velut venti ſuperiores aquis. Aquæ enim multæ populi multi. Apoca. 17. Mare terminum habet arenam quæ eſt ſterilis & grauis. Hieremiæ 5. Qui poſuit arenam terminum mari. Sic finis huius mundi eſt infructuoſitas cum onere peccatorum.

Roma.6. Quem fructum habuistis in illis in quibus nunc erubescitis? Sexto mare periculosum est. Sic & mundus iste. Bernardus, Periculum probat transeuntium raritas, & pereuntium multitudo. Augustinus, Amas seculum: absorbebit te. Amatores suos vorare nouit nõ portare. Periculosius est mare huius mundi animæ, quã mare Massiliæ corpori. In mare Massiliæ de quattuor nauibus vix perit vna: in mari mũdi de quatuor animabus vix saluatur vna. Septimo in mari multa monstra inueniuntur: sic & in mari huius mundi. Nunquid non monstruosa res est generatio quæ pro dẽtibus gladios habet? de qua habetur Prouerb. 30. & in Psal. Gladius in labiis eorum. Monstrum etiam est homo habens os bilingue. Prouerb. 18. Os bilingue ego detestor. & eiusdẽ 18. Verba bilinguis quasi simplicia &c. Monstrum etiam est homo habens duo capita. Tot capita habet quis quot vitia ei dominantur. Augustinus, Malus tot dominorũ seruus est quot vitiorum. Octauo, mare non est locus mansionis: ita nec mundus iste. Hebre.13. Non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Augustinus, Nihil aliud est tẽpus præsentis vitæ quam cursus ad mortem: in quo nemo vel paululum stare, vel tardius adire permittitur: sed omnes pari motu vrgemur. Nono, in mari non sunt viæ. Sic non est in homine vt per mare huius mundi ad portum salutis perueniat: sed est in deo. Ideo orationi instãdum est. Tobiæ 4. Omni tempore benedic deum, & pete ab eo vt vias tuas dirigat. Dauid, Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam Roma.9. Non est volentis neque currentis sed miserentis dei. Decimo mare est amarum licet pisces in eo nutriti eius amaritudinem non refugiant: sic mundus iste amaritudinibus plenus est, licet homines eis assueti non agnoscant. Iob.30. Esse sub sentibus delitias computabãt. Vndecimo mare aquis non redundat: sic mundus bonis transitoriis non habũdat, nec concupiscentia carnis satiatur delitiis, nec concupiscentia oculorum diuitiis, nec superbia vitæ honoribus. Omne autem quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis: aut concupiscentia oculorum: aut superbia vitæ 1. Ioan. 2. In hoc quòd discipuli Iesum sequentes, tempestatem sunt passi, insinuatur quòd cùm aliqui ad deum conuertuntur, tunc tentationes patiuntur

tiuntur:ſed ad bonum eorum permittit hoc dominus.Eccleſiaſtici.2.Fili accedens ad ſeruitutem dei,&c. Non nocet tempeſtas eo quòd præſens ſit Chriſtus. Bernardus, Quantuncunque ſæuiat tribulatio, non putes eſſe derelictum: ſed memineris ſcriptum eſſe, Cum ipſo ſum in tribulatione.Eſayæ 43. Cùm tranſieris per aquam tecum ero,& flumina non operient te. Non eſt timenda tempeſtas quam habet pater miſericordiarum in manu ſua, cohibens eam cum videt hoc expedire.Iob.38.Quis concluſit oſtiis mare?Et ſubditur, Poſui vectem & oſtia & dixi, Hucuſque venies & non procedes amplius.Et notandum quòd in nauicula eccleſiæ nauta ſit prælatus:vnde in multis debet ei aſſimilari. Primo in hoc quòd verbo doctrinæ debet circunducere populum ad obediendum deo.ſicut nauta nauem gubernaculo circunducit. Iacob. 3.Ecce naues cum magnæ ſint,& à ventis validis minentur: circunferuntur autem à modico gubernaculo vbi impetus dirigentis voluerit.&c.Secundo in hoc quòd peritia nautæ maxime apparet in tempore tempeſtatis: ſic prudentia & virtus prælati maxime in tempore tribulationis. Eccleſiaſtici 34.Qui non eſt tentatus, quid ſcit,&c. Tertio peritia nautæ eſt in caligine noctis diſtinguere ſtellarum diuerſitatem,quantum ad ortum & occaſum, & effectus earum.Et precipue ſignãda eſt illa ſtella quæ dicitur ſtella matutina vel ſtella maris, ſcilicet transmontana: ſic prudentia prælati eſt conſiderare tempore tribulationis ſanctos & vocationem eorum & finem & virtutes & miracula: & præcipue beatam virginem quæ eſt ſtella nobiliſſima in firmamento eccleſiæ, & dicitur ſtella maris. Quarto,nauta aliis timentibus tempore tempeſtatis confidentiam habet & feſtinat ſtabilire nauem proiecta anchora: ſic prælatus aliis trepidantibus in aduerſis debet eſſe ſecurus. Prou. 28. Fugit impius nemine perſequente: iuſtus autem quaſi leo confidens abſque terrore erit. Prælati eſt figere anchoram ſpei contra fluctus tentationum. Hebre.6. Fortiſſimum habemus ſolacium qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam. Quinto,nauta nõ timet merces proiicere vt homines ſaluet: nec hominem illum quem ſcit eſſe cauſam tempeſtatis ortæ.Ionæ 1. Tulerunt

Nauta debet prælatus aſſimilari.

lerunt Ionam & miserunt in mare. Sic prælatus non debet timere ista temporalia amittere vt animas saluet. Philosophus, Pessimæ diuitiæ, ego mergam vos ne mergar à vobis. 1. Timo. 6. Qui volunt diuites fieri incidũt in tentationes. &c. Iob. 31. Quasi fluctus tumentes super me timui deum &c. Nautæ cum fluctus tumentes inspiciunt, ea proiiciunt pro quibus ante longa naufragia sumpserunt.

Sermo secundus de eodem.

Ecce motus factus est in mari. Aliter mare potest intelligi cor peccatoris triplici ratione. Primo propter inquietudinem. Esa. 57. Cor impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest. Secundo propter profunditatem. Hierem. 17. profundum est cor hominis & inscrutabile: quis cognoscet illud? Ideo fatuum est facile de corde alterius iudicare. Tertio propter salsuginem quæ cor peccatoris sitire facit insatiabiliter. Prouerb. 13. Venter impiorum insatiabilis. In hoc mari quattuor venti flantes tempestatem suscitant. Danie. 7. Videbam in visione noctis, & ecce quatuor venti pugnabant in mari magno, & quattuor bestiæ grandes ascendebant de mari. Primus ventus est ambitionis tentatio. Hic flat ab oriẽte. Nobilitas enim generis huius tentationis occasio extitit. Bestia excitata flatu isto est superbia quæ est quasi leæna habens alas aquilæ. Alæ istæ sunt sublimitas & potestas. Alæ superbiæ auellũtur quãdo superbus à statu suo demittitur. Tũc stat super pedes quasi homo: quia iam non stat vel in equo vel super alios homines. Secũdus ventus est tẽtatio inuidiæ quæ flat à meridie: quia inuidus de prosperitate bonorum dolet. Bestia est inuidia quæ est similis vrso, qui libenter mel comedit. Inuidus enim detrahendo bona aliorum consumit. Bestia ista in parte stetit: quia quandoque inuidus hominem in parte laudat. Tres ordines dentium habuit: quia inuidus tres modos detrahendi habet, videlicet, Mala augendo: Bona diminuendo: Iudicium peruertendo. Hij sunt tres spiritus in modum ranarum de ore draconis

Hij sunt quattuor venti in mari.

exeuntes,

excũtes. Apoc. 16. Tertius ventus est tentatio carnis flans ab occidente, id est à carne quæ quotidie tendit ad occasum. Bestia excitata est concupiscentia carnis, quæ pardo similis dicitur propter varietatem desideriorum. Hæc bestia quattuor habebat capita, quia quattuor sunt quæ pertinent ad concupiscentiam carnis, videlicet Ocium: Suauitas vestium & similium: Epularum delectabilitas: & Carnale opus. Habebat etiam quattuor alas, quia quattuor sunt quæ carnis concupiscentiam erigunt, videlicet Iuuentus: Sanitas: Pulchritudo. Nobilitas. Hæ sunt alæ milui quibus ad sordes volatur: de quibus Zacha. 5. Quartus ventus flans ab aquilone est tentatio crudelitatis, quæ est in potentibus respectu subditorum: ad quam pertinet quarta bestia cæteris crudelior quæ cæteras coniurauit & pedibus conculcat. Cornua ipsius sunt, Præpositi, garciones, & consimiles, qui quos conculcare non præualent, saltem accusando lædere nituntur. His ventis & mari dominus imperat: cum non permittit eos in corde hominis regnare. Notandum quòd in tempestate tentationis tria sunt facienda. Exoneranda enim est nauis conscientiæ per confessionem, sicut Ionæ. 1. Miserunt vasa quæ erant in naui in mare. &c. Altitudo si qua est demittenda est vt velum demittitur surgente tempestate, quia perflant altissima venti tentationum: humilia vero in tuto sunt. Anchora etiam spei figenda est. Hebreo. sexto, Qui confugimus ad te pro salute &c. 1. Corinthio. 10. Fidelis est deus qui non permittet vos tentari &c. Augusti. Anchora spei facit animam stare in loco suo. Ecclesiastes 10. Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris. Item sciendum quòd mare tripliciter legitur deo obediuisse: quia scilicet, à tempestate ad eius voluntatem quieuit, vt hic. Calcabile ei se prębuit Matte. 14. Populo eius viam fecit, vt legitur Exodi 14. Sic peccator qui per mare intelligitur: tripliciter deo obedit. Primo dum à peccato quiescit. Esaiæ 1. Quiescite agere peruerse: discite benefacere. Secundo quando largitione eleemosynarum pedes domini, scilicet pauperes sustentat. Tertio cum per doctrinam & exemplum aliis ad patriam viam parat, vt patet in Paulo.

Peccator tripliciter deo obedit.

Sermo tertius de eodem.

Ascendente Iesu in nauiculam &c. Habet hoc Euangelium aliquid pertinens ad fidelium terrorem:& aliquid pertinens ad eorum consolationem:& aliquid pertinens ad eorum instructionem. Ad terrorem pertinet quòd discipuli Iesum secuti in nauiculam ipso præsente tempestatem passi sunt. In quo condemnatur temeraria securitas aliquorum qui ita securi sunt in mari acsi essent in portu:& ita securi sunt in bello ac si iam triumphassent. 3. Regum 20. Ne glorietur accinctus æque vt discinctus. Bernardus in sermon. Nusquam est securitas, fratres, neque in cælo, neque in paradiso: multominus in mundo. In cælo cecidit Angelus sub præsentia diuinitatis. Adam de paradiso de loco voluptatis. Iudas in mundo de schola saluatoris. Augustinus, Nemo securus debet esse in via ista, quæ tota tentatio nominatur: vbi erit securitas, ex quo illi qui sunt cum domino Iesu tempestatem patiuntur? Ad consolationem pertinet quod ad imperium domini fit tanta tranquillitas, vt homines mirarentur. Ecclesiastici 43. In sermone eius siluit ventus. Tobiæ 3. Post tempestatem tranquillum facis. Subito dominus ita sedat tempestatem tentationis vt miretur homo & de difficultate quæ prius fuit, & de facilitate præsenti. Bernardus in sermonibus, Turbatur aliquis vehementer seu corporali quouis incommodo seu tribulatione aliqua seculari seu accidia spiritus & animi quadam defectione languescens iam tentari incipit supra quam valeat sustinere: arbitror sane velut quibusdam manibus huiusmodi homines interdum ab Angelis supportari vt quodammodo non sentientes transeant quæ tantopere formidabant: nec parum mirentur post modum tam super posteriore facilitate, quàm super priore difficultate. Ad instructionem quattuor pertinent, videlicet. Quòd Iesus dormiebat: & quòd discipuli ad eum accedunt: & quòd clamando eum suscitant: & quòd eorum timiditas increpatur. In quibus quattuor innuuntur quæ sunt valde necessaria in tempestate tribulationis. Primum est fidei viuacitas, quæ per oppositum innuitur ibi:

Quattuor sunt necessaria

Ipse

Ipse vero dormiebat. Vnde glosa, Dormit in nobis dominus, id est fides domini, cum negligentius agimus: & ideo tempestas surgit. Si vero fides resurgat, imperat ventis & fluctibus. Ephesios vltimo, In omnibus sumentes scutum fidei: in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere 1. Petri 5. Cui resistite fortes in fide. Secundum est vt ad deum accedamus, iniquitates nostras quæ inter nos & deum diuidunt dimittendo: cessando scilicet à malis actibus, bonis operibus insistemus. Deuteronomi 23. Quãdo egressus fueris aduersus hostes tuos ad pugnam, custodies te ab omni re mala. Et 1. Corinth. 9. Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, &c. Spiritualiter ad deum accedit qui ad ea accedit in quibus gratia solet conferri, vt ad confessionem vel ad prædicationem. Tertium est oratio. Matthei 27. Vigilate & orate vt non intretis in tentationem. Aug. Ideo premuntur iusti in ecclesia vt pressi clament, clamantes exaudiantur, exauditi glorificent dominum. Quartum est fiducia de deo. Vnde 2. Paralipo. 20. Non est vestra pugna sed dei. In eodem, Confidenter state & videbitis auxilium domini super vos. Nume. 14. Dominus vobiscum est, nolite timere. Diffidentia in Petro causa fuit quòd incepit mergi Matthei 14.

ria in tempestate tribulationis.

Sermo quartus de eodem, Ad religiosos.

Ascendente Iesu in nauiculam &c.

Per nauiculam potest intelligi status religionis qui saluat à mari huius mundi. Assimilatur autem religio naui in istis. Qui portatur in naui, cõtentus est modico loco: sic religiosus modico contentus debet esse. 1. Tim. vlt. Habentes alimenta, &c. Et Mat. 7. Arcta est via quæ ducit ad vitam. Item qui portatur in naui licet sit magnus non dedignatur sedere ad pedes gubernantis. Sic religiosus non debet indignari si habeat prælatũ se inferiorem. Ecclesiasti. 3. Quanto magnus es, humilia te in omnibus. Mat. 3. Sic decet nos implere omnem iustitiam. Item si nauis sine pondere sit, natillat: si cum nimio pondere sit, submergitur: si moderatum habeat stabilitur. Sic religiosus si non habeat pondus obseruantiæ & disciplinæ, dis-

soluitur: si talibus immoderate sit onerata, opprimitur: si mediocritatem obseruet, stabilitur. Matthei 23. Alligant onera grauia & impor. &c. In nauiculam religionis Iesus ascendit, cùm institutę sunt religiones: & tunc secuti sunt discipuli eius, quia vere imitati sunt eum qui fuerunt in religionibus. Et notandum quòd in religionibus quidam sunt discipuli Moysi, qui scilicet ibi temporalia quærunt, quales erant qui dicebant Ioan. 9. Tu discipulus illius sis: nos Moysi discipuli sumus. Moyses enim promittebat terram flentem lacte & melle. Leuit. 20. Esa. 1. Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. Quidam vero simulant se esse discipulos Christi, cùm potius sint ministri sathanæ: vt hypocritæ qui transfigurantur velut ministri iustitiæ 2. Corinth. 11. Item sunt discipuli Christi, sed ad tempus, qui in necessitate negant Christum vt Petrus Mat. 26. Si oportuerit me mori tecũ, non te negabo. Veros vero discipulos Christi ostendunt quatuor, videlicet, Paupertas spiritus. Lucæ 14. Omnis qui non renũciauerit omnibus quæ possidet, &c. Mansuetudo & humilitas. Matth. 11. Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Et dilectio. Ioan. 13. In hoc cognoscent homines quia discipuli mei estis, si dilectionem seruaueritis.

Et ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus. Hoc fuit quando abundantia temporalium religioni data est: secundum illud Apoc. 12. Misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen vt eam faceret trahi à flumine.

Dominica quartæ post epiphaniam

SERMO PRIMVS.

Simile est regnum cælorũ homini qui seminauit bonum semen in agro suo. Mat. 13.

In parabola hodierni euangelij quattuor personæ tanguntur, vidilicet Seminans semen bonum: Superseminans semen malum: Agri custodes: Agri messores.

Nota ergo quòd seminans semen bonum est Christus.

Superseminans semen malum est diabolus. Custodes agri sunt prælati. Messores sunt angeli. Circa primum tria nobis ostenduntur, scilicet Christi Potentia: Bonitas: & sapientia. Potentia ibi, In agro suo. Ager enim iste mundus est secundum domini expositionem, cuius agri Christus dominus est. Ipsius enim est terra & plenitudo eius. Vnde pater ei dixit, Postula à me, & dabo tibi &c. Et ecclesia ei dicit, Tu solus dominus, &c. in Psal. Qui ascendit super oc.d.no.i. Ministerium possunt alij habere: sed non dominiū 1. Cor. 4. Sic vos existimet homo vt ministros Christi. Prouer. 14. Acceptus est regi minister intelligens. Intelligens inquam se solum esse ministrum. Bonitas ostenditur in hoc quòd dicitur seminasse semen bonum. Seminauit semen bonum producendo creaturas in esse bonitate naturæ. Gen. 1. Vidit deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Vel efficiendo creaturas rationabiles bonas infusione gratiæ. Bonitas creaturarum bonitatem creatoris attestatur. Augu. Quia bonus est deus, sumus: & in quantū sumus, boni sumus. Sapientia ostenditur in hoc quòd non vult colligi zizaniam cum damno tritici, expectās si forte zizania conuertatur in triticū: volens vt triticum crescat vsque ad messem. Non enim est perfecta sapiētia vbi non est perfecta patientia. Prouer. 14. Qui patiens est multa gubernatur sapientia. Greg. Tanto quis ostenditur minus doctus, quanto minus patiens conuincitur. Prouer. 14. Impatiens operabitur stultitiam. Circa secundum tria nobis ostendūtur, scilicet Impugnatoris importunitas: Astutia: & Malignitas. Ostenditur autem importunitas ibi, Cum dormirent homines. Quiescentibus hominibus diabolus ab impugnatione non quiescit. Iob. 30. Qui me comedunt non dormiunt. Greg. Assidua tentatione diabolus impugnat nos, vt saltem tædio vincat. Malignitas ibi, superseminauit Zizaniam medio tritici. Ad litteram, Heretici illos attrahunt & peruertunt in quibus bonitatem conspiciunt vt bonos eleemosynarios. Diabolus etiam meliores magis impugnat. Illos enim pulsare negligit quos iure quieto se possidere sentit. Astutia eius ostenditur ibi, Et abiit. Glo. idest, latuit, & occultissimus factus est. Gen. 3. Serpens erat callidior cunctis animalibus terræ. Paulinus Augustino, Hostis noster cui mille nocendi artes, tam

variis expugnandus est telis, quàm variis impugnat insidiis. Circa tertium tria nobis ostenduntur, scilicet prælatorum Negligentia: Ignorantia: & Indiscretus zelus. Primum ibi, Cum dormirent homines, Ex somno pigritiæ prælatorum multa mala proueniunt in ecclesia dei. Nam periculosa est dormitio rectoris. Prouer. 23. Eris sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clauo. Periculosa est etiam dormitio pastoris vnde Gen. 31. Dixit Iacob qui pastor erat: Fugiebat somnus ab oculis meis. in. Psal, Non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel. Cuius rationẽ reddit Ber, dicens, Quia nõ dormitat neque dormiet qui impugnat Israel. Prælatus grauatus somno pigritiæ filios suos opprimit: sicut meretrix illa 3. Regum 4. Quia somnus iste in prælato magis periculosus est. Ideo specialiter dicitur Petro Mat. 14. Symon dormis? Chryso. Miror si quem contigerit saluari de his qui principatur in tantis minis & tanta pigritia. Ignorantia ostenditur ibi, Vnde ergo zizania? Reprehẽsibilis est hæc ignorãtia in prælato, vnde in agro cuius ipse cultor est, sit zizania: cum ex parte hoc sit ex eius negligentia. Tribus de causis est zizania in agro ecclesiæ: Ex inimici nequitia; Ex terræ malitia: Ex cultorum negligentia. Inimicus non cessat seminare malum semen. vnde mirum esset si semen eius in aliquẽ fructum non exurgeret. Gre. Assidua tẽtatione diabolus nos impugnat. vt saltem tædio vincat. Terra etiam maledicta non cessat germinare spinas & tribulos. Gene, 3. Spinas & tri. ger. tibi, Hebr. 6. Terra proferens spinas & tribulos reprobata est & maledicto proxima. Negligentia etiam rectoris vel cultoris causa est zizaniæ: sicut insinuatur ibi, Cum autẽ dormit homo. &c. Prouer. 24. Per agrum hominis pi. tran. &c. Ideo monetur prelatur ad vigilandum. Apoca. 3, Esto vigilans, &c. Prouer. 6. Ne dederis somnum oculis tuis neque dormitẽt palpebræ tuæ. In agrum quem zizania occupauit deberet cultor mittere ignem caritatis exemplo domini, Luc. 12. Ignem veni mittere in terram. Absalon agrum Ioab succendit 2. Reg. 14. Et Samson agros Philistinorum Iud. 15. Zelus indiscretus ostenditur ibi, Vis imus & colligimus ea? Eodem feruore dixerunt: quo Petrus amputauit auriculam Malchi. Marci 14. Et Lucæ 9. Dixerunt Iacobus & Ioan

Ioannes, Vis dicimus vt descendat ignis de cælo, & consumat illos, sicut Helyas fecit? Et cõuersus increpauit illos dicens, Nescitis cuius spiritus estis: filius enim ho. &c. Ad eradicationẽ quæ fit per excõmunicationẽ, valde faciles sunt prælati ecclesię: non attendẽtes quòd excõmunicatio sit abscisio illius membri à corpore illo, cuius Christus est caput. vnde alia remedia essent attendenda ãntequã fieret abscisio à tãm nobili corpore: & tunc etiam cum timore facienda esset: sicut totũm corpus tremit, cũm membrum ab eo absciditur. Circa angelos messores triplex opus eorum respectu reproborũ nobis ostenditur, scilicet Messio: Collectio: & Alligatio. Messio erit in separatione à bonis transitoriis que dilexerũt. Quæ separatio fiet cum magno dolore. Nimij enim amatores temporalium fecerunt ea membrã sua, vt dicit Augũst. Vnde dolebũnt in eorum separatione: sicut corpus dolere solet in membri abscisione. Collectio erit in separatione reproborũ ab electis. Exibũt enim angeli, & separabũt malos de medio iustorũ Mat. 13. eiusdem 20. Separabit eos ab inuicem, &c. In eodem, Discedite à me maledicti, &c. Alligatio erit quia qui fuerunt hic dissoluti ruptis vinculis preceptorum dei: tunc ligati in ignem mittentur æternum. Mat. 22. Ligatis manibus & pedibus &c. Tunc ligatio quã ligauerunt se hic peccatis assuescẽdo, cõsũmabitur. Prouer. 5. Iniquitates suæ capiũt impium, & funibus peccatorum suorũ constringitur. Tale seruitium exhibet diabolo qui peccat, quòd propriis manibus se ligat & se ligatum ei tradit. Tunc ligati erunt ad conburẽdum: qui vinculo consanguinitatis hic ligati sunt ad male agendum vel alia de causa cõcordes sunt ad malum. Esa. 33. Spinæ congregatæ igni comburentur.

Sermo secundus, de eodem.

SImile est regnũm cęlorum homini qui seminauit bonum semen in agro suo.

Notandũ quòd est ager Superior, Inferior, Interior. Superior est paradisus Prouer. vi. Considerauit agrũ &c. Iste est alchedemach, idest ager sanguinis Christi sanguine emptus. In agro illo seminauit dominus angelicã naturã: lucifer vero superseminauit superbiã quã secuta est ruina.

Ager inferior est mundus de quo agro exponit dominus verbũ propositum, vbi Deus hominẽ seminauit, sed diabolus inobedientiam superseminauit. Hãc secuta est pœnalis miseria, vt fames, sitis, &c. Ager inferior est cor humanũ habens duas partes, videlicet Intellectũ, & affectũ. Ad seminandum hunc agrum venit filius dei in mundum afferens duplex bonum semen. Plenus enim gratia & veritate venit. Io. 1.

Notandũ ergo quòd semen veritatis seminatur in intellectu: semen gratiæ in affectu. Semen veritatis cũ terram bonam inuenit, in triplicem fructum exurgit, scilicet In cognitionẽ sui, vnde dolor: In cognitionẽ mundi, vnde timor: In cognitionẽ Dei, vnde amor. De primo ecclesiastes 1, Qui addit scientiam, addit & dolorem. De secundo notantum quòd non est mirũ si ex cognitione mundi timor exurgat: cum omnia quæ in mundo isto videmus sint velut gladij quibus animæ nostræ possunt interfici: vel laquei quibus possunt capi. Sap. 14. Creaturæ Dei in odiũm factæ sunt, &c. Ecclesiastici 9. In medio laqueorũ ingredieris, & super dolentiũ arma ambulabis. Arma dolentium, scilicet, dæmonũ: sunt creaturæ quæ animas concupiscentium eas, occidunt 1. Timo. 6. Qui volunt diuites fieri, incidũt in tentationẽ & in laqueũ diaboli, &c. vnde Gen. 4. Dixit Cain qui tenet figurã auarorũ, Quicunque inuenerit me occidet me. De tertio notandũ: quòd ex cognitione dei bene amor exurgit. Quomodo enim potest agnosci & non amari in quo omnes causæ amãdi cõcurrunt. Ipse enim est optimus, & ideo amore dignissimus. Ipse est nobis propinquissimus quia pater. Ipse est fons totius suauitatis. Ipse est benefactor maximus. Semẽ vero gratiæ seminatum in affectu exurgit in fructũ bonorum operũ 2. Cor. 6. Hortamur vos ne in vacuũ gratiã re. Ge. 47. Dixit Ioseph, Accipite & seminate agros. Quintã partem regi dabitis, quatuor partes reliquas permitto vobis. Quinta pars quæ de bonis operibus deo danda est, est gloria quæ soli deo debetur. Quatuor partes nostræ sunt, Solutio debitorũ: Cordis lætificatio: in custodiendis enim illis retributio multa. Augmentum gratiæ: & meritum vitæ eternæ.

Aliter triplex est ager in quo seminare debemus, scilicet,

tet, In nobis iusticiã: In proximo misericordiam: In deo deuotionẽ. De primo Prouer. 11. Seminãti iusticiã merces fidelis. Quæ merces explicatur Oseæ 10. vbi dicitur, Seminate vobis in iusticia: & metite in ore misericordiæ. Messio hæc fiet cum audietur illud, Venite benedicti patris, &c. Matth. 25. Iustitiã seminãt in falsitate nõ in veritate hypocritæ. Sed in veritate seminauit qui propter deum hic sibi nõ parcunt: quibus merito dei misericordia in futuro parcit. De secũdo 2. Cor. 8. Qui parce seminat, &c. Circa tertiũ notandum quòd in Deo specialiter seminãt qui deuotionem habent ad ea quæ deo appropriantur: vt est pulcritudo altariũ, & laus diuina. Sed de quibusdam conqueritur dominus, Hiere. 2. Nunquid solitudo factus sum Israëli, aut terra serotina? Qui pro perdito habent, quæ in talibus expenduntur, Iudæ similes sunt reputanti vnguentum perditum quo dominus à Magdalena vngebatur. Io. 12. Non est Christus solitudo, nec terra serotina: sed potius terra optima. Gen. 26. Ecce odor, &c.

Dominicæ in lxx. Sermo primus.

Simile est regnum cælorum homini patrifamilias qui exiit, &c.

Cõparatio est negotij ad negotiũ sub hoc sensu. Simile est negotiũ regni cælorũ, idest præsentis ecclesię negotio patrisfam. quod factũ fuit vel fieri potuit. Paterfam. est Deus: operarij sunt prædicatores: vinea, ecclesia. Glo. Pater fami. iste conditor noster est: qui habet vineã vniuersalẽ ecclesiã quæ ab Abel vsque ad nouissimũ electum qui in fine nasciturus erit quot sanctos protulit, quasi tot palmites misit. Hic pater exiit ad excolendã vineam. Mane, Hora tertia, Sexta, Nona, Vndecima. Operarios cõduxit: quia à mundi huius initio vsque ad finẽ ad erudiendũ fideliũ plebẽ prædicatores mittere nõ desistit. Secundum Hieronymũ, Mane fuit vsque ad diluuij inundationem: Operarij Adam, & alij patriarchæ. Hora tertia vsque ad circũcisionẽ: Operarij Noe & ceteri. Hora sexta vsque ad legislationẽ: Operarij Moyses & ceteri. Hora nona vsque ad regũ vnctionẽ: Operarij Dauid & ceteri prophetæ. Hora vndecima: vsque ad Christi & apostolorum

prædicationẽ: Operarij Chriſtus & apoſtoli & ceteri prædicatores. Secundũ Gregoriũ, Mane eſt intelligentia puerorũ, quæ parũ claret, vt lux matutina. Hora tertia intelligẽtia adoleſcentiũ, quæ proficit in calore caritatis & ſplẽdore cognitionis. Hora ſexta intelligentia iuuenum quæ plene calet & lucet ſicut ſol in meridie. Hora nona intelligentia ſenum, quæ incipit decreſcere in calore & ſplendore. Hora vndecima intelligentia decrepitorum, quæ iam iuxta occaſum exiſtit. In omnibus his aliquos vocat dominus ſecundum Chryſoſt. Conductio noſtra eſt promiſſio vitæ æternæ. Simile eſt regnum cælorum, &c. In hac parabola Primo magnitudo diuinæ bonitatis nobis oſtenditur. Secundo negligentia hominis circa propriam ſalutem arguitur ibi, Quid ſtatis tota die, &c. Tertio malitia hominum reſpectu proximi increpatur, ibi, An oculus tuus nequam eſt? Quarto ſpes ſubleuatur, ibi, Erunt nouiſſimi primi. Quinto præſumptio reprimitur, ibi, Et primi nouiſſimi. Sexto timor omnibus incutitur, ibi, Multi vocati: pauci, &c. Circa primum notandum quòd bonitas dei tripliciter in hac parabola nobis oſtẽditur. Primo in hoc quòd paterfamilias dicitur. Prouidet enim in victu & veſtitu ſicut paterfamilias, ſuæ familiæ Diabolus nõ habet feſtucam de ſuo vnde poſſit eis prouidere. Pſalm. Qui dat eſcam omni carni, &c. Item, Qui dat inimicis eſcam ipſorum, & pullis coruorum, &c. idem filiis dæmonum. vnde proditores conuincuntur eſſe qui tenent ſecum inimico eius & deum male viuendo impugnant. De eius bonis veſtiuntur & viuunt. Et dicit Chryſoſt. quòd paterfamilias eſt cui eſt vna domus cælum & terra: familia, omnis creatura. Qui quaſi triſtegam ædificauit, vt ſcilicet eſſent in terra certantes: in inferno victi: in cælo victores. Nota quòd ſuperior regio eſt terra lucis: inferior regio tenebrarum: media regio lucis & tenebrarum. Nota etiam quod in ſuperiori eſt tantum gaudium. In inferiori tantum luctus. In medio miſcentur gaudiũ & luctus. Prouerb. 14. Riſus dolore miſcebitur: & extrema gaudij luctus occupat. Item in ſuperiori tantum dies: in inferiori tantum nox: in media variantur dies & nox. Vbi etiã quidam operantur opera lucis: quidam opera tenebrarum. Rom. 13. Abiiciamus ergo opera tenebrarum & induamur

arma

arma lucis. In hac domo huius patrisfam. quasi vasa vtensilia sunt planetæ vt sol & luna. Ecclesiastici 14. de sole vas admirabile opus excelsi, & de luna in eodem vas castrorũ in excelsis. Secundo ostenditur magnitudo diuinæ bonitatis in sollicitudine quam habet de salute nostra. Quæ insinuatur in hoc quòd mane hora tertia, sexta, nona, vndecima cultores mittit in vineam. Ber. Cogitemus super nos opera trinitatis, & videamus quam sollicita fuerit illa maiestas ne nos perderet inæternum. Tertio in hoc quòd liberaliter remunerat. Pro opere enim horæ vnius premium dat: immo & pro calice aquæ frigidæ. Matth. 10. Aliquando etiam pro duobus minutis. Lucæ 21. Circa secundum notandum quòd specialiter reprehenduntur qui in hora vndecima ociosi inueniuntur. Hora vero vndecima vno modo significat senium: alio modo significat tempus gratiæ. Maxime vero reprehẽsibiles sunt qui in senio non operantur pro propria salute. Gre. Tãto quisque cautior debet esse in suo regimine, quanto prouectior fuerit ætate. Ecclesiastes 11. Mane semina semẽ tuum, & vespere ne cesset manus tua. vespere senij incessanter est operandum. Chrysosto. An nescitis quia qui nõ operatur in hoc seculo non manducat in illo? Item, Qui ociosi sunt in tempore gratiæ multum sunt reprehensibiles. Primo quia ideo habemus formam & exemplum operãdi à domino. Philipp. 2. Exinaniuit semetipsum, formam serui accipiẽs. Intolerabile est quod seruus non dignetur laborare: ex quo videt dominum suum laborantem. Secundo quia iam serui empticij sumus 1. Corinth. 6. Empti estis præcio magno: glorificate & portate deum in corpore vestro. Tertio, quia melius conducti sumus. Antiquitus enim terra promittebatur seruientibus deo: tempore vero gratiæ cælum eis promittitur. Si obiiciatur quòd antiquitus spiritualibus promittebatur etiam cælum: Respondeo quòd pauci erant spirituales tunc. Præterea multum expectabãt, post mortem, solutionem illius præmij. Multum fuit longua via in cælum: quando oportebat ire per infernum & expectare ibi vsque ad passionem Christi. Modo quasi in momento potest homo acquirere cælum. Ber. in persona ecclesiæ, Labor meus vix est vnius horæ: & si amplius est, præ amore non sentio. Sciendum quòd parabola videtur

eſſe dicta ſpecialiter contra ocioſos, qui negligunt ſalutem propriam operari:& ad incitandum tales hodie recitatur. Ad idem etiam incitantur exemplo domini, cuius prima opera in matutinis hodie recitantur. Item exẽplo Adæ, de quo hodie lectum eſt, Tulit Deus hominẽ & poſuit eum in paradiſum voluptatis, vt operaretur. Gen.2. Ad idem monent creaturæ irrationales, quæ in tempore hyemis ceſſauerunt ab opere, quæ nunc incipiunt operari. homines etiam excolicioni vinearum ſuarum nunc intendunt. Circa tertium notandum quòd malicia inuidiæ corrumpit cor & ſenſum peruertit. Prouerb. 14. Putredo oſſium inuidia, oſſium; id eſt viriũ. inuidia ſic viſum peruertit vt bonum bonorum operum videre non poſſit, cùm tamen ſcriptum ſit Eccleſiaſtes 11. Dulce lumen, &c. Iob 24. Ipſi rebelles fuerunt lumini. Augu. Oculis ægris odioſa eſt lux 1. Regum 18. Cum audiſſet Saul quòd Dauid ei præferretur, ait, Mihi dederũt mille, & Dauid decem milia. Inuidia etiam linguam peruertit. vnde Gen. 37. dicitur de fratribus Ioſeph, quòd oderant eum, nec poterant ei quicquam pacificè loqui. Circa quartum notãdum quòd illud, Erũt nouiſſimi primi, multipliciter poteſt intelligi. Primo de gentilibus qui prælati ſunt Iudæis. Deuterõ. 28. Aduena qui tecum moratur aſcendet ſuper te. Ille erit in caput & tũ eris in caudam. Gen. 40. poſuit Iacob dextrã manum ſuper caput Ephraim minoris fratris: ſiniſtram vero ſuper caput Manaſſe, qui erat maior natu. Item nouiſſimi in oculis ſuis, erunt primi in oculis dei 1. Reg. 15. Nonne cum eſſes paruulus in oculis tuis, caput in tribubus Iſrael factus es? Item nouiſſimi iudicio hominũ ſunt primi iudicio dei: quia deus non attendit quantum ſed ex quanto. Non ponderat opera noſtra ad põdus publicum. de quo 2. Regum 14. ſed ad pondus ſanctuarij. de quo Nume. 7. Hoc põdus charitas eſt. Prouer. 16. Spirituũ ponderator eſt dominus: potius ponderat nobis affectum interiorem, quàm operationem exteriorem. Ad hoc pondus ponderauit dominus duo minuta viduæ in Luc. 21. Item nouiſſimi fiunt primi: quantum ad ingreſſum regni: vt latro præceſſit Petrum. Huius vero poſteritatis quandoque cauſa eſt hoc quòd illi qui tarde incipiunt feruentiores ſunt. Sene. Faciamus quod in itinere fieri ſolet: qui tardius

dius exierunt, velocitate compensant moram. Per contrarium intellige quomodo primi erunt nouissimi. Circa sextum notandum quòd multi sunt vocati ad fidem: pauci vero electi ad regnum. Sicut omnes canonici ad electionem, vnus tantum eligitur: item omnes currunt, sed vnus accipit brauium 1. Corin. 11. Multi etiam lapides sunt communes. Lapides vero preciosi sunt pauci. Et multum est de palea in area, sed parũ est de grano. Multi etiã filiorum Israel exierunt de Ægypto: sed pauci de illis intrauerunt terram promissionis Matthei 7. Angusta est porta & arcta est via quæ ducit, &c. Et notandum quòd hoc verbum, pauci electi, magnum timorem potest homini incutere si attendat boni magnitudinem quo priuabitur si de electis non fuerit, & mali magnitudinem quo punietur. Si aliquis de canonicis non eligitur in episcopum solatium habet quia bene sine hoc potest ei esse: sed nulli in futuro bene erit qui electus non fuerit. Ad timoris etiam crementum facit hoc quòd homo in se agnoscit tot causas quare potest non eligi, quarum nulla latet electorem: immo aliquæ latent hominem quæ notæ sunt electori. Timor iste expellere debet negligentiam ab homine. Ecclesiastici 7. Qui timet deum, nihil &c. Negligentia vero expulsa confidendum est de dei misericordia non de propriis viribus. Roma. 9. Non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei.

Sermo secundus de eodem.

Simile est regnum cælorum homini patrifamilias, &c.

Notandum quòd vinea potest hic intelligi ecclesia, vel religio, vel anima. Et primo prosequamur secundum primam acceptionem, scilicet de vinea ecclesiæ, de qua Esa. 5. Vinea domini sabaoth domus Israel est. Et Hier. 2. Ego te plantaui vineam electam &c. In hac vinea Christus est vitis: Electi palmites. Sex sunt in quibus assimilatur vineæ ecclesia. Primum est quòd vitis est arbor humilis: nec videtur esse tanti valoris, præcipue in hyeme, quanti valoris esse conuincitur ex fructus preciositate. Sic fideles in hyeme

Ecclesia vinea assimilatur in sex.

me præſentis aduerſitatis videntur eſſe abiecti: ſed in futuro eorum nobilitas apparebit 1. Ioan. 3. Filij dei ſumus: ſed nondum apparuit quid erimus. Cum enim apparuerit, ſimiles ei erimus. Et eccleſiaſtes 10. Vidi ſeruos in æquis, & principes quaſi ſeruos ambulantes ſuper terram, &c. Secundum eſt quòd palmes dum viti adhæret, vtilis eſt valde: ſeparatus vero à vite minus eſt vtilis ramis ceterarum arborum. Sic fideles per charitatem deo adhærentes magni valoris ſunt: ſeparati verò ab eo nihil valēt igne infernali comburendi. Ezec. 15. Fili hominis quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum quæ ſunt inter ligna ſiluarum? Nunquid tolletur de ea lignum vt fiat opus? Ecce igni datum eſt in eſcam. Tertium eſt quòd vitis putatione & purgatione indiget. Quātumcunque fert fructum, ſi putatio intermittatur, licet multum fructum ferat, deſtruitur: ſic fideles quando faciunt fructum bonorum operum neceſſarium habent putationem & purgationem. Si enim homo ſolum intendat multiplicationi bonorum operum, & negligat purgationem malorum: bona à malis ſuffocantur. Ioan. 15. Omnem palmitem qui fert fructum purgabit eum vt fructum plus afferat. Canti. 2. tempus putationis aduenit. Hiere. 4. Circuncidimini viri Iuda, &c. Et notandum quōd cum in vinea viſibili quæ ſemel in anno dat fructum, ſemel in anno facta ſit putatio: in vinea ſpirituali quæ ſingulis diebus dat fructum, ſingulis diebus facienda eſt putatio. Ber. Extra quotidianum ſacrificium orationum vel lectionis ſtudium conſcientiæ diſcuſſioni, emundationi, compoſitioni pars ſua diei neganda non eſt. Ceſſante vero putatione & purgatione vinea iſta deſtruitur. Eſa. 5. Nunc oſtendam vobis quid ego faciam vineæ &c. Et ſubditur, Non putabitur & non fodietur: & aſcendent ſuper eam vepres & ſpinæ &c. Quarto vitis inſufficiens eſt ad fructum ſuum non ſolum proferendum ſed etiam ſuſtinendum: vnde oportet eam alligari paxillo à quo ſuſtentetur. Sic eccleſia per amorem debet eſſe alligata Chriſto & ſanctis eius, & eis ſuſtentari. Cant. 8. Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum. Exodi. 2. Fulcite me floribus &c. Quinto & ſi fructus vitis de terra exeat: cauendum eſt tamen ne terrā contingat: putreſceret enim: ſic

sic fideles cauere debent ne opera sua terram contingant. quod fit cum terrena intẽtione fiunt. Corrumpũtur enim, nec habent talia opera eternam remunerationem. Ecclesiastici.14. Omne opus corruptibile in fine deficiet: & qui operatur illud, ibit cum illo, &c. Sexto vitis tanto habet fructum minus preciosum, quanto est in terra pinguiori. Tunc fructus eius valde preciosus est, quando plantata est in monte & in loco arenti: vbi à radiis solis fructus sine impedimento percutiuntur. Terra arida est paupertas in qua fideles fructum bonum faciunt. In hac terra plantata fuit viris illa quæ fructificauit suauitatem odoris, Ecclesiastici 24. Scilicet, Beata virgo. Esa. 53. Et sicut radix de terra sitienti. Hiere. 3. Adhuc plantabis vineam in montibus, Samariæ. In monte plantauit dominus vineam ecclesiæ, quando posuit eam à principio in eminentia viæ vt ibi custodiretur: sed iam est in valle in habundantia diuitiarum & delitiarum. Et notandum quòd vinea ecclesiæ, secundum Ber. dei plantata est manu, vnde dicit sic, Vinea ecclesiæ dei plantata est manu, redempta est sanguine, rigata verbo, propagata gratia, fecundata spiritu: vnde cultores eius non deberent esse negligentes circa eius culturam. Item notandum quòd hanc vineam quattuor mala impugnant, videlicet, Astutia hæreticorum. Canti. 2. Capite nobis vulpes paruulas &c. Pressura principum. Psalmus, Exterminauit eam aper de silua, & singularis ferus depastus est eam. Superbia prelatorum. Hiere. 12. Pastores demoliti sunt vineam meam. Quarto habundantia peccatorum, & temporalium, vnde Iezabel vineam Naboth dissipauit, 3. Reg. 31. Iezabel interpretatur fluxus vanus vel sterquilinium: vnde significat abundantiam peccatorum vel tẽporaliũ. In vineam suam. per hoc quòd dicit, suam, alia vinea innuitur quæ non sit sua, quæ est ecclesia malignantium. Deuteron. 32. De vinea Sodomorum vinea eorum &c. Vuæ huius vineæ sunt peccata. Ibidem, Vua eorũ vua fellis. vua propter delectationem, quæ est in peccato: sed fellis propter annexam amaritudinem. Botrus amarissimus erit in tormento futuro quando deuorabunt eos aues morsu amarissimo. Esaiæ 24. Amara erit portio bibentibus illam. Cultores huius vineæ in præsenti bibunt si quid ibi est: sed in futuro bibent feces, Psalmus, fex eius

non

nō eſt exinanita,&c. Et notandum quòd in vinea eccleſiæ non reputantur operarij terrenis tantū intendentes, vnde Chryſoſto. Opera noſtra ſunt opera iuſtitiæ: non vt agros colamus: non vt diuitias acquiramus. Idem, Sicut nemo conducit operarium vt hoc ſolum faciat quòd manducet: ſic nos non ideo vocati ſumus vt hæc ſola operemur quæ ad noſtrum pertinent vſum, ſed ad gloriam dei. Et ſicut mercenarius totam diem impendit circa opus, modicam horam circa cibum: ſic nos omne tempus debemus impēdere circa gloriam dei, modicam partem circa terrenos vſus. Et ſi mercenarius ea die qua opus non fecerit erubeſcit intrare domum & petere panem: quomodo nō confunderis intrare eccleſiam & ſtare in conſpectu domini quando nihil boni geſſiſti? Item, non reputantur operarij qui peccata faciunt. peccatum enim nihil eſt: & qui peccatum non deſtruunt, non conſtruunt. Pſalmus, Forſitā pertranſiſſet anima noſtra aquam intolerabilem. Alia littera dicit, aquam ſine ſubſtantia. Specialiter in vinea eccleſiæ operarij ſunt qui eccleſiam inſtruunt. Mat, 9. Meſſis quidē multa: operarij vero pauci. Rogate ergo dominum meſſis vt mittat operarios in meſſem ſuam. Item vinea poteſt intelligi religio: cui primo neceſſarium eſt vt ad modum vineæ ſepem habeat, qua claudatur, per quam porci & canes arceantur. ſcilicet, qui poſſent eos corrūpere ſuo malo exemplo. Apoc. vl. foris canes & venefici, &c. Penitentia extra religionem eſt quaſi vinea ſine ſepe, quæ diripitur à tranſeuntibus. In Pſalmis, Deſtruxiſti maceriā eius, & vindemiant eam omnes qui &c. Item Diripient alieni labores eius. Eccleſiaſtici. 36. Vbi non fuerit ſepes. Eccleſiaſtes 10. Qui diſſipat ſepē, mordebit eum coluber. Matt. 21. Homo erat paterfa. qui plantauit vineam & ſepem circundedit ei. Eſa. 5. Et nunc oſtendam vobis quid faciam vineæ meæ. Auferam ſepem eius, & erit in direptionem. Prouerb. 24. Per agrum pigri hominis tranſiui, & per vineam viri ſtulti. &c. Secundo vinea odore ſuo fugat ſerpentes: ſic odor religionis infeſtus eſt illis qui ſunt genimina viperarum. Matt. 3. Progenies viperarum quis demonſtrauit vös fugere à ventura ira. Et eiuſdem 23. Serpētes genimina viperarum quomodo fugietis à iudicio gehennæ? 1. Cori. 2. Chriſti bonus odor ſumus &c. Tertio

vinea dum est in flore, cito læditur: sic nouitij qui per flores intelliguntur, cito læduntur bona prima amittendo. Iob.15. lædetur quasi vinea in primo flore botrus eius &c. Quarto fructus vineæ inebriat: sic contemplatio quæ est præcipuus fructus religionis mentes inebriat.2.Corinth. 5.Siue mente excedimus deo, siue sobrij &c. Quinto vinea quantomagis fimo impinguatur, tantominus vinum bonum habet: sic diuitiæ religionis impediunt puritatem & feruorem deuotionis. vnde quidam,

Religio dat opes, paupertas religionem:

Diuitiæ veniunt, rel giòque fugit.

In aliquibus religionibus nimis est de fimo temporalium. vnde potest dici illud Tren. 4. Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora. Abacuch.2. Væ qui multiplicat non sua, vsque quo aggrauat contra se densum lutum? Operarij in vinea domini sunt qui eam fodiunt, de statu ipsius inquirendo: & putant superflua resecando: videlicet quantum ad res, & quantum ad personas. Et dum religio bene se habet, sunt vinitores ex eodem loco. Quando vero negligentes sunt qui sunt de illa religione mittuntur eis vinitores aliunde cum confusione eorum. Esa.61. Filij peregrinorum agricolæ & vinitores vestri erũt. Horæ vero quibus operarij mittuntur in vineã religionis, intelligi possunt diuersæ ætates. Mane est pueritia: mane ergo conducuntur qui in pueritia intrant religionem. Mane colligebatur manna in deserto. Exo.16. Facilius sustinet religionem qui à pueritia ei assuescit. Prouerb. 8. Qui mane vigilauerint ad me, inuenient me. ideo mirrha, quæ significat amaritudinem, Christo infanti oblata est. Tertia hora conducuntur qui in adolescẽtia religionem intrant. Tertia hora incipit calor diei. Ita in adolescentia incipit calor concupiscentiæ qui per lasciuos discursus adolescentem agitat. Prouer.30. Et quartum penitus ignoro, scilicet viam viri in adolescẽtia sua. Attende quod isti inueniuntur in foro non primi vel in nundinis secundum litteram Origenis: quia adolescentes iam incipiunt habere prudentiam mundi quæ cõsistit in contractibus mũdi: Chrysosto. Forum mundus: quia in eo omnia venalia & mutua circunuentio sunt. Oseæ 11. Ephraim circundedit me in negociatione & dolo. Qui veniunt ad adolescentiam

tiam vix euocantur à mundo ad religionem, maxime qui bonis temporalibus ſunt obſeſſi. quod ſignificatum eſt Matte. 19. in adoleſcente cui dictum eſt, Si vis perfectus eſſe, &c. Qui abiit triſtis: erat enim habens multos poſſeſſiones. Tamen quando adoleſcentes religionem intrant: placet deo multum ingreſſus illorum. Hiere. 2. Recordatus ſum tui, miſerans adoleſcentiam tuam, &c. Sexta hora conducuntur qui in virili ætate intrant. Nona qui intrant in ſenectute. Vndecima qui in ſenio vel decrepita ætate. Nec etiam iſtos recuſat dominus, quod figuratum eſt in hoc quòd Ioannes baptiſta natus eſt de ſenibus & ſterilibus. Luc. 1. Magna gratia dei eſt in conuerſione talium quia quod antiquatur & ſeneſcit, prope interitum eſt. Hebre. 8. Prouer. 22. Adoleſcens iuxta viã ſuam etiam cum ſenuerit non recedet ab ea.

Sermo tertius de eodem.

NEmo vos conducit.
Ad literam, ſenes religio vix recipit, quaſi truncos inutiles: non tamen eſt de eis deſperandum. Vnde ſequitur, Ite & vos in vineam meam. Potens enim eſt deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Matt. & Luc. 3. Et de trunco poteſt facere vitulum cornua producentem & vngulas, vnde puer qui ſignificat vitæ nouitatem portatus eſt in brachiis Simeonis ſenis. Luc. 2. & Abrahæ centenario natus eſt filius. Gen. 17. Vinea etiam poteſt intelligi anima. Prouer, 24. per agrum pigri hominis tranſiui, & per vineam viri ſtulti &c. De hac vinea bibitur Primo vinum compunctionis. Deinde vero vinum deuotionis defæcatum in dulce, hoc eſt vinum nuptiarum, vinum præcipuum in conuiuio Aſſueri. Heſter. 1. Hoc eſt vinum germinans virgines. Zacha. 9. Hic eſt calix domini inebrians præclarus: Hoc eſt vinum quod dominus mittit in vtres nouos. Matt. 9. Nemo mittit vinum in vtres veteres, &c. Et notandum quòd in vinea animæ ſecundum Bern. vitis eſt fides: palmites vero virtutes: botrus bonum opus: vinum deuotio. Bernar. Miror audaciam plurimorum, quos videmus de ſuis vineis non colligere niſi ſpinas & tribulos

tribulos.Vineis autē dominicis etiam se ingerere non verentur. Quid hic statis &c. Mirum est quod in foro stat venalis qui venditus est. Aug.Postquam intellexi me sanguine Christi redemptum: nolui membra mea venalia exhibere.quid statis in via tam periculosa: tam longa qui potius currere debuistis? Notandum quòd quatuor sunt quæ specialiter bonis viris timenda sunt.Primo superbia, quæ ex bono nascitur. Quæ est velut vulnus ex sanitate proueniens,quæ hominem corruere facit de ictu proprio. Secundo ira vel impatientia quæ quasi incendiaria est. vnde multum timenda est homini qui est fere cinis, tam ex parte animæ quam ex parte corporis. Ex parte corporis patet cum ad solum calorem febrilem in cinerem redigatur. Ex parte animæ quia ad ardorem prauæ concupiscentiæ cito in cinerem vel in nihilum redigitur.Ecclesiastici 2. Væ illis qui perdiderunt sustinentiam. Tertio proprij oris impetuositas. Prouerb. 25. quasi vrbs patens absque murorum ambitu,&c.Quartū est ociositas de qua hic. & Prouer.12. Qui sectatur ociū,stultissimus est. Bern. Omnium tentationum & cogitationum malarum & inutilium sentina est ocium.Item notandū quòd operari non ociari competit homini secundum naturam. Et de natura destituta hoc manifestum est. In statu enim naturæ destitutæ dictum est Gene.3. In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Iob. 5. Homo ad laborem nascitur. In statu etiam naturæ institutæ tulit deus hominē & posuit in para. vt operaretur. Gene.2. Ad opus nos monēt exēplo suo creaturæ superiores,scilicet angeli: omnes enim sunt administratorij spiritus,&c. Hebr.6.Inferiores Prouer. Vade ad formicam ô piger &c. Dicitur etiam quòd apes non permittunt aliquam viuere ociosam in sua congregatione. Item mediæ creaturę,vt sol & luna & stellæ.Ecclesiast.1.Oritur sol & occidit,&c. Item ad opus etiam monet locus in quo sumus. Micheæ 2. Surgite,quia non habetis hic requiem. Hebræ.vlti.Non habemus hic manentem ci. &c. Ad idem monet tempus, quod est mensura motus rerum mutabilium,& est de numero successiuorum.Gal.vlt. Dum tēpus habemus operemur bonū ad omnes. Ad idē monet naturalis ordo rerū. Operatio enim naturaliter præordinatur quieti.Deus post opera sex dierum septimo die requieuit.

Quatuor specialiter bonis viris sunt timenda.

Angelus prius voluit quieſcere. Eſa. 14. Sedebo in monte teſtaméti in lateribus aquilonis, &c. & de paradiſo cæleſti præcipitatus eſt. Luc. 10. Videbam ſathanam ſicut fulgur de cœlo cadentem. Idem requirit beneficium iam nobis impenſum, & beneficium promiſſum. Iam ſerui empticij ſumus beneficio redéptionis accepto 1. Cor. 6. Empti eſtis prætio magno &c. Iam non poſſumus dicere, nemo nos conducit. Promiſſum enim eſt nobis præmium ſupra omnem laborem. Gene. 15. Ego protector tuus ſum & merces tua magna nimis. Ro. 8. Non ſunt cōdignæ paſſiones &c.

Sermo quartus de eodem.

VOca operarios & redde illis mercedē. Nota quòd non vocantur ocioſi vel verboſi vel mali operarij: ſed operarij fideles & ſtrenui. Ocioſi non vocantur cum ſcriptum ſit, Mat. 3. Omnis arbor quæ non fert, &c. Et 1. Cor. 3. Vnuſquiſque mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem. Qui vicarium poſuit in eccleſia in operatione: vicarium habebit in præmij acceptione. Iob. 31. Si fructus eius comedi abſque pecunia. gloſa, Fructus terrę abſq; pecunia comedere, eſt ex eccleſia ſumptus accipere, & eidem prædicationis precium non præbere. 2. Theſ. 3. Si quis non vult operari non manducet. Greg. Quid ad hoc nos doctores dicemus qui ad aduētum præcurrentes eccleſiaſticum officium ſuſcipimus, & muti panem cōmedimus. Ber. Venient: venient ante tribunal iudicis, vbi pupillorum & viduarū audietur accuſatio grauis, allegatio dura, quorum vixere ſtipendiis, nec diluere peccata. Ibidem etiam audietur querimonia illorum qui in eccleſiis laborauerunt, & alij eis labores illorum abſtulerūt. vnde Iaco. 5. Theſaurizátis vobis iram in nouiſſimis diebus. Ecce merces operariorum veſtrorum qui meſſuerunt regiones veſtras, clamat: & clamor eorum in aures domini ſabaoth introiuit. Tales ocioſi ſunt in eccleſiis vt ydola: pedes enim habent & nōn ambulabunt: non clamabūt in gutture ſuo. Et ſunt vt formidines in hortis, qui habent hominum ſimilitudinem, & non ſunt homines. Sic tales ſunt quaſi prælati: ſed nō vere prælati. De formidinibus habes Baruch vltimo. Verboſi etiam non vocantur ad

mercedē, qui ſunt vt ficus maledicta à domino habēs folia non fructus: De qua Mat. 21. Ipſi etiam ſunt arbores inutiliter terram occupātes. vnde ſuccidendi ſunt. Lu. 13. Item non vocantur ad mercedem operarij mali ſeu operarij iniquitatis qui potius ſunt computandi inter vineæ extirpatores, quam inter vineæ cultores. Philip. 3. videte malos operarios &c. Mat. 7. Diſcedite à me qui operamini iniquitatem, &c.

Dominica in ſexageſima, ſermo primus.

CVm turba plurima conueniret, &c. Lucæ 8.

In euangelio hodierno primo ponitur parabola turbis à domino propoſita. Secūdo oſtēditur quòd ſpiritualiter ſit intelligenda ibi, Hæc dicens cla. Qui habet aures audiendi audiat &c. Tertio à domino requiritur expoſitio ibi, Interrogabant autē. Quarto oſtenditur quòd ad diſcipulos pertineat miniſteriorum cognitio, ibi, vobis datum eſt &c. Quinto expoſitio diſcipulis facta à domino ibi. Eſt autem hæc parabola &c. *Exiit qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum, &c.* Circa hanc parabolam quinque nobis attendenda ſunt pertinentia ad inſtructionem noſtram: videlicet, Quis ſeminet: Quid ſeminet: Vbi ſeminet: Seminis defectus: Seminis profectus. Qui ſeminat, Chriſtus eſt. Aug. in li. de diſciplina Chriſtiana, Quoniā Chriſtus ſeminat: ego quis ſum? vix cophinus ſeminātis. In me ipſe ponere dignatur quod velit ſpargere. Nolite ergo attendere ad vilitatem cophini: ſed ad charitatem ſeminis, & ad poteſtatem ſeminantis. Et licet Chriſtus ſit principalis ſeminator qui princeps paſtorū eſt, exercēt tamen prælati miniſterium ſeminandi. Vnde exemplo filij dei exire debent ſeminare ſemen ſuum. Et ſecūdum hoc in hoc verbo exiit qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum. Quinque nobis commendantur prælato neceſſaria, ſcilicet, in hoc verbo, exiit, commendatur laborioſitas. Cum dicitur, Qui ſeminat, commendatur humilitas. Cum dicitur Seminare, id eſt ad ſeminandum, commendatur intentio recta. Cum dicitur Semen ſuum, commendatur ſcientia & bona vita.

Exiit filius dei de sinu patris quo creaturæ non erat accessus: vt seminaret semen suũ. Venit enim in mundũ vt testimonium perhiberet veritati. Ioan. 16. & 14. A patre veni in mundũ, &c. Mat. 1. Eamus in ciuitates & vicos proximos vt ibi prædicẽ. Ad hoc enim veni. Sic prælatus debet exire non solũ de veteri cõuersatione secundũ illud Eph. 4. Deponite vos secũdũ pristinã, cõuersationẽ veterẽ hominẽ. Col. 3. Expoliantes veterẽ hominẽ &c. sed etiam ab ocio ad operationẽ. A lecto contẽplatiuę in agrum actiuæ. Ber. super Cant. Noli nimis insistere osculis contemplationis: Meliora enim sunt verba prædicationis. Mat. 4. legitur de Christo Circuibat Iesus totã Galileã docẽs in synagogis eorum. Hiero. Predicabat Iesus equaliter in villis & vrbibus. Marc. 6. Circuibat Iesus castella in circuitu docens. Cant. 7. Egrediamur in agrũ, cõmoremur in villis 1. Tim. 4. Predica verbũ: insta &c. Esa. 58. Clama ne cesses &c. Ecclesiastici 11. Mane semina semẽ tuum &c. Prouer. 24. Eos qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses. Humilitas commendatur in hoc quòd dicitur, Qui seminat. seminatorem se debet reputare prælatus, non dominatorẽ. Ber. ad Eugeniũ papam, Non ad dominãdum opinor te elatũ. Nam & propheta cũ similiter eleuaretur, audiuit, vt euellas & des. & Disce ergo sarculo tibi opus esse non sceptro. Rectitudo intentionis cõmendatur ibi, Seminare. Ad seminandũ debet exire prælatus. multi tamẽ potius exeunt ad metendum quàm ad seminandum. Concessit dominus metere carnalia seminanti spiritualia. Matt. 10. dignus est operarius mercede sua. Luc. 10. Edentes & bibentes quæ apud illos sunt. 1. Cor. 9. Nunquid non habemus potestatẽ manducãdi & bibendi? &c. Et post, Si nos vobis spiritualia seminauimus, &c. Sed qua fronte præsumit metere qui nõ seminauit? Matt. xxv. Scio quòd homo durus es: metis vbi non seminasti. Iere. 50. Dispergite satorem de Babylone: & tenentem falcem in tempore messis. Sator Babylonius est prælatus malus qui sibi & aliis seminat confusionem cum deberet esse operarius incõfusibilis. 2. Ti. 2. Sollicite cura teipsum probabilem exhibere deo, operariũ inconfusibilẽ. Talis male seminat & male metet. Iob 4. vidi eos qui operantur iniquitatẽ: & seminant dolores, & metunt eos stante deo perisse, &c. & Oseæ 8. Ventum seminabunt & turbinem

nem metent. Scientia & bona vita cõmendatur ibi, Semen suum. Ille seminat semen suum qui verbum dei per scientiam habet in corde: & per honestam exteriorẽ conuersationem in carne. Alienum semen seminat qui postquã habet vnum quaternũ incipit prædicare. Et si error fuerit in quaterno, errorem prædicat. Similis Pilato, qui postquam quæsiuit quid esset veritas: statim exiit non expectata responsione. Io. 18. Itẽ alienũ semen seminat qui bona exẽpla aliorum hominibus proponit, in se ostendens eis mala exẽpla. Talis serit agrũ diuerso semine contra preceptum domini, Leuit. 19. Circa secundum notandũ quòd semen quod seminatur iuxta expositionẽ domini, est verbũ dei, & ipsum dignatus est seminare, & propter seminationẽ eius in mundum venit, vt prius ostensum est Hiere. 14. Quare quasi colonus futurus es in terra? De germine vno huius seminis idest de vno bono proposito penitentis gaudent chori angelorum. Lucæ 15. Gaudiũ est angelis Dei, &c. Ex vno grano huius seminis fructus colligitur: vnde colligẽs æternaliter reficitur. vnum enim bonum verbum alicui est occasio salutis. Semen istud quãdoque in eo in quo seminatum est post viginti annos fructificat. Et licet hoc semen in terra seminetur: fructus tamen eius in cælo colligitur. Hiero. Discamus in terris quorũ scientia nobis perseueret in cælo. Notandũ quòd verbũ dei semini comparatur in octo. Primũ est quòd in semine puritas magna requiritur. etiã cum semẽ purũ seminatur in messe zizania mixta segeti quandoque inuenitur. Sic circa verbum dei multum seruanda est puritas 2. Cor. 4. Neque adulterãtes verbum dei. Philip. 1. Quidam ex cõtentione Christũ annunciant non sincere. Prouer. 15. Sermo purus pulcherrimus. Secundo semen necessarium est valde ad hoc vt ager fructum ferat. peractis omnibus aliis que ad agriculturã pertinent si seminatio omittatur quasi amissa sunt ea que sunt facta. sic quãtuncũque diligens sit qui excolit terrã ecclesiæ in aliis: si semina desint parum valent cætera. Esa. 28. Nunquid quotidie arabit arans &c. Eiusdem 1. Nisi dominus reliquisset nobis semen quasi Sodoma fuissemus, &c. Ex quo verbo satis ostenditur quantũ am[o]rẽ deberet habere mundus ad verbũ dei: cum ei quodã modo debeat bonitatẽ suam. sine ipso enim fuisset similis Sodomæ & in

Verbum dei semini cõparatur in octo.

culpa & in pæna. Præterea cum deteriores sint qui semen à deo relictũ contemnunt, quàm fuissent si eis relictũ non esset: deteriores Sodoma & Gomorrha esse videntur qui hoc semen sibi relictum contemnunt. Matt. 10. Tolerabilius erit terræ Sodomorum, &c. loquitur de non recipientibus illos quos mittebat ad prædicandum. Tertio semen licet sit modicum quantitate, tamen magnum est virtute: totalem enim agrum facit operari secundũ suam speciẽ. Ager enim qui sine semine spinas & tribulos germinaret, secundum illud Gen. 3. Spinas & tribulos germinabit tibi recepto semine fructum laudabilem profert: Eandem virtutem habet verbũ dei in hominẽ. Væ illis qui pro negligentia seminandi agrum cordis sui: fructu tam precioso priuãtur. Fructus cordis præualet fructui totius terræ. Sẽ. Turpissima iactura est, quæ per negligentiã fit. Quarto semen minutatim spargitur. Sic & verbũ dei minutatim spargendum est. Sen. Plurimum proficit sermo qui minutatim animo irrepit. Disputationes protelatæ & effusæ audiẽte populo plus habent strepitus quàm familiaritatis. Idẽ: Non multis opus est: sed efficacibus. Seminis modo spargenda sunt, quod quamuis sit exiguum cum occupauerit idoneum locum, vires suas explicat. Quinto substractio seminis valde nociua est agricolæ. Similiter se habet & de verbo dei. Ber. Modica sementis detractio non modicũ est messis detrimentum 2. Cor. 9. Qui parce seminat, parce & metet. Sexto semini prodest terræ rigatio. Sic seminãti verbũ dei necesse est & aqua gratiæ & aqua lachrimarũ. In. Psalm. Qui seminant in lachrimis in exultatione metent. Itẽ Euntes ibant & fle. &c. Septimo semen recondi debet ad hoc vt fructum ferat. Sic & verbum dei. In Psal. In corde meo abscondi eloquia tua, vt nõ pecarẽ tibi Prou. 7. Præcepta mea recõde tibi. Semẽ in terra abscõditur, ne ab auibus rapiatur: & vt à terra capiat humorẽ. Semẽ in sacco nec humorẽ capit: nec radicẽ mittit. Sic nec verbũ dei in ore vel quaterno. Ioh. 8. Sermo meus non capit in vobis. Non capit voluntatẽ vestrã sermo dei: nisi in profundo cordis abscondatur. Sermo dei est vt hamus qui capit dũ capitur. vt dicit Interli. Io. 8. Sermo meus non capit. &c. Octauo, semẽ non statim quãdo in terra iacitur fructũ facit: immo fructus eius patiẽter expectatur. Nec

etiam

etiā certū est quòd fructus sequatur. Nihilominus tamē seminatur & semē benedictioni dei cūmendatur,sine cuius operatione seminare est semē perdere. Similiter se habet in verbo dei.Iaco.5.Ecce agricola expectat preciosum fructū terræ patiēter ferens,&c.Ecclesiastes 11. Mane semina semen tuum, & vespere ne cesset manus tua.Nescis enim si magis oriatur hoc vel illud: & si vtrumque tunc melius.Circa tertium notandum quòd locus vbi seminatur hoc semen,quadruplex est,scilicet, Terra secus viam: Terra petrosa?Terra spinosa:Et terra bona.In terra secus viam verbum auditum ab intellectu rapitur. In terra petrosa fructus verbi impeditur,terrente aduersitate. In terra vero spinosa impeditur blandiente prosperitate.In terra secus viā rationalis vanis cogitationibus est exposita. In petrosa irascibilis impatiens est ad aduersa.In spinosa concupiscibilem alliciunt prospera. Et notandum quòd terra iuxta viam si non sit clausa frequenter fit via. Via enim existente lutosa intrant viatores & conculcatione eorum fit via. Terra etiam nō irrigata fit arida,& ad modum petræ duratur. Terra vero inculta spinis repletur. Nota quòd terra iuxta viam intelligi potest cor sine clausura,cor scilicet illius qui non habet diligentiam in custodia sensuum suorum.Terra vero petrosa,cor aridum à gratia & deuotione.Terra vero spinosa,cor incultum hominis negligentis.Vel potest intelligi Terra petrosa,cor superbum & iracundum.Amos 6.Nunquid querūt in petris equi currere?Prædicatores sunt equi, quorū est nomē dei per mundū portare.In petris nō currunt,quia in duris cordibus superborū, inuidorum & iracundorū non proficiunt.Equus currēs super petras deferratur ibi quādoque: & circa duros homines frequēter habēt materiam impatiētiæ,qui in eis volunt proficere.Terra spinosa cor accidiosum vel auarum. Prouerb. 24.Per agrū pigri hominis trāsiui,&c. Abacuch 2.Væ ei qui multiplicat non sua. Nūquid non repente consurgent qui moderant te,& suscitabuntur lacerātes te?Hoc pertinet ad spinas auaritiæ.Terra lutosa:cor luxuriosi vel gulosi.in Psal.Vt lutū platearū delebo eos. Terra etiā secus viā potest intelligi qui familiaris est ei qui est in via lata & spaciosa, quæ ducit ad mortem:& maxime qui est familiaris apertè malo in quo

vestigia diaboli apparẽt.Ecclesiastici 21. Qui odit correctionẽ vestigiũ est peccatoris. Iob 20. Vadent & venient super eum horribiles. Familiaritas talis in multis impedit fructũ verbi 1.Cor.15. Corrumpũt bo. mo.col.praua. Ecclesiasti.30.Qui se iungit fornicariis erit nequàm.In Psal. Cum peruerso peruerteris. Impeditur etiam fructus verbi in aliquibus propter duriciem lapideã vt patet in Pharaone qui multotiens proponebat dimittere populum: & post veniebat contra promissum.Exod.7. & 8.Induratum est cor Pharaonis. Impeditur etiam fructus verbi in hiis qui peccatum suum defendunt, qui ad modum spinarum pungunt eos à quibus corriguntur. Qui similes sunt heritio.Esaiæ 34.Ibi foueam habuit heritius.Circa quartum notandum quòd semen à fructu deficit in terra secus viã, quia conculcatur,& quia ab auibus capitur. Contra conculcationẽ necessaria esset clausura, scilicet diligens sensuum custodia.Ecclesiastici 28. Sepi aures tuas spinis: & linguam nequam,&c.Ad aues abigendas valet timor domini sicut formidines ponuntur in hortis ad abigendas aues.valet etiam ad idem memoria dominicæ passionis. Timent dæmones vexillum crucis, quia in cruce deuicti sunt.In terra petrosa deficit semen non excrescens in fructum perfectum propter defectum humoris & gratiæ vel deuotionis. Ideo necessarium est seminanti & ei qui semen recipit,recurrere ad fontem diuinæ misericordiæ, vt impleat promissionem.Esa.30. Dabitur pluuia semini tuo vbicunque seminaueris in terra.De eadem pluuia legitur Ezechi.34.Pluuiæ benedictionis erunt & dabit lignũ agri fructum,scilicet,& terra dabit germen suum. In terra spinosa spinæ crescentes suffocant verbum.ideo libenter seminandum est in terra sine spinis: id est in pauperibus nõ habentibus spinas diuitiarũ exemplo filij dei.Lu.4.Euangelizare pauperibus misit me.Sumptũ est.de Esa.61. Proficit semen in terra bona, scilicet, in terra studiose clausa habundanter irrigata, diligenter culta. In corde scilicet bono & optimo,cuius videlicet Rationalis à vanis est expedita & salubribus intenta. Irascibilis aduersitate non terretur.Concupiscibilis prosperitate non allicitur. Proficit semen in corde eius:qui à mala societate est elongatus,qui non resistit bono nec nocet proximo.

Sermo

Sermo ſecundus de eodem.

QVi habet aures audiendi audiat.

Triplex auditus hic notatur qui neceſſarius eſt auditoribus verbi dei. Auditus autem primus eſt naturæ, quo verbum ſuſcipitur. Secundus eſt intelligentiæ quo ſenſus verbi diſcernitur. Tertius eſt obedientiæ quo res verbi efficitur. Sunt qui non habent aures audiendi de deo, quaſi excommunicatum habentes eum. Ezechie. 23. Naſum tuum & aures tuas præcident tibi. Tales dominus reputat excommunicatos. Prouerb. 28. Qui declinat aurem ſuam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Alij habent aures ad audiendum, ſed non ad intelligendum. Eſaiæ. 42. Qui apertas habet aures non audiet, &c. Alij habent aures ad audiendum & intelligẽdum: ſed non ad obediendum. Eſa. 6. Execa cor populi huius, & aures eius aggraua, &c. ſequitur, Semẽ eſt verbum Dei. Notandum eſt quòd verbum dei eſt ſemen reſpectu meriti: Bonum opus reſpectu præmij: Malum opus reſpectu ſupplicij. Greg. Semen bonum eſt quicquid boni fecerimus. Semen etiam malum eſt quicquid mali fecerimus. Diligenter videndum eſt homini vbi & quid ſeminat. Noli ſeminare in carne: quia qui ſeminat in carne, de carne metet corruptionem. Gal. 6. Noli ſeminare in aëre vt faciunt illi qui pro vana gloria opera de genere bonorum faciunt. Hiere. 12. Seminauerunt triticum, & meſſuerunt ſpinas. Hoc accidet talibus. Aggei 1. Seminaſtis multum, & intuliſtis parum. Micheæ 6. Tu ſeminabis & non metes. Item, Noli ſeminare ſpinas vitiorum: materiam incendij infernalis. Gala. 6. Quæ ſeminauerit homo, hæc & metet. Eccleſiaſti. 7. Non ſemines mala in ſulcis iniuſticiæ & non metes ea in ſeptuplum. Et notandum quòd eleemoſyna ſemẽ ſpecialiter dicitur eo quòd ſemini in multis aſſimiletur. Primo in hoc quod occultanda eſt Eccleſiaſti. 29. Conclude eleemoſynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. Matth. 6. Te autem faciente eleemoſynã neſciat, &c. Secundo in hoc quod faciẽda eſt de iuſto, vt ſeminatur purum triticum. Tob. 4. Ex ſubſtãtia tua fac eleemoſynam. Eccleſiaſtici 34. Qui offert ſacrificium ex

ſubſtantia pauperum,quaſi qui victimat filium in conſpe-ctu patris ſui.Tertio debet committi terræ purgatæ à ſpi-nis:quia pauperibus danda eſt non habentibus ſpinas di-uitiarum,& bonis non habentibus ſpinas vitiorum. Hie-re.4.Nolite ſerere ſuper ſpinas. Eſa. 58. Frange eſurienti panem tuum,& egenos vagoſque induc in domum tuam. Luc.14.Cum facis conuiuium voca pauperes. Eccleſiaſti-ci 12.Da bono ,& non receperis peccatorem. Quarto ri-gari debet rore compaſſionis & hylaritatis.Iob 29. Com-patiebatur anima mea pauperi.Eſa.58.Si effuderis animã, &c.Eccleſiaſti.35.In omni dato hylarem fac vultũ tuum. Quinto fructus multus expectatur de eleemoſyna in alio anno,ideſt in alia vita.Iacobi 5. Agricola expectat pre-cioſum fructum terræ,&c.Hoc ſemen habet duplicẽ meſ-ſem 1.Tim.4.Ad omnia vtilis eſt:promiſſionem habẽs vi-tæ quæ nunc eſt:& futuræ.Quod autem in ſpinis,&c.glo-ſa.Nota quòd diuitiis duo coniungit, ſcilicet ſollicitudi-nem & voluptatem. Quia & per curam mẽtes opprimũt: & per affluentiam reſoluunt.Et notandum etiã quòd di-uitiæ ſpinæ dicũtur,eo quòd ſpinis in multis aſſimilẽtur.

Diuitiæ ſpinis aſſimilãtur in ſex.

Primo in hoc quòd ſpinæ etiã cum ſunt ſub flore pungũt: ſic diuitiæ & ſi habeant exterius florem gloriæ mundanę, pungunt tamen mentem triplici punctione, videlicet,La-bore in cõgregando:Timore in ſeruãdo:Dolore in amit-tendo.Vnde quidam diues diuitias non cõgregat abſque labore:non tenet abſque metu:nõ deſerit abſque dolore. Secundo diuitiæ ad modum ſpinarum veſtem interioris hominis dilacerant. Immo ipſum cor lacerant. Seneca, Proice quæ ipſum cor lacerant.Quæ ſi aliter extrahi ne-quirent:ipſum cor cum illis auellendum eſſet. Abacuch 2. poſt illud,Væ qui congregat non ſua.Subditur, Nunquid non repente conſurgent qui mordeant te : & ſuſcitabun-tur lacerantes te?Tertio diuitiæ ſunt latibulũ ſerpentium infernalium:vnde qui volunt eas accipere, à ſerpentibus, infernalibus mordentur. .Tim.6.Qui volunt diuites fie-ri incidunt in tentationem,&c. Quarto ſpinæ ſe comple-ctuntur,Naum 1.ita quòd totus faſciculus ſpinarum faci-lius excutitur,quàm ſpinæ abinuicem ſeparentur : ſic di-uitiæ per partes bene diſpẽſantur.Ideo bonum eſt ſecun-dum conſiliũ domini ſe ſemel ab eis exonerare.Matth.19.

Si vis

Si vis perfectus esse, vade & vēde omnia, &c. Quinto spinæ amplectentes se cruentant: sic diuitiæ amatores suos cruentant sanguine peccati. Ecclesiastici 11. Si diues fueris, nō eris immunis à delicto. Greg. in omel. Diuitiæ spinæ sunt: quia cogitationum suarum punctionibus mentem lacerant, & cum vsque ad peccatum pertrahunt quasi si inflicto vulnere cruentant. Sexto quia spinæ sunt materia ignis: sic diuitiæ sunt materia ignis cupiditatis in præsenti, & ignis infernalis in futuro. In Psalm. Exarserunt sicut ignis in spinas. Esaiæ 32. Spinæ congregatæ igni comburētur. Iaco. . Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, &c. & ærugo eorum erit vobis in testimonium, & manducabit carnes vestras sicut ignis. Et notādum quòd Matth. 13. habetur quòd fallacia diuitiarum suffocant verbum. Hac fallacia decipiuntur etiam sapientes. Greg. in Home. Diuitię fallaces sunt, quæ nobiscum diu permanere non possunt. Fallaces quæ mentis nostræ inopiam non expellunt Diuitiæ non soluunt quod promittunt. Promittunt abūdantiā, & efficiunt inopiam. Luc. 1. Et diuites dimisit inanes. Prouer. 10. Qui innititur mendaciis: hic pascit ventos. Idē sequitur aues volantes. Ecclesiasti. 34. quasi qui apprehendit vmbram & sequitur ventum: sic qui attendit ad visa mendacia. suffocant. Greg. Sollicitudines & voluptates & diuitiæ suffocāt: quia importunis cogitationibus suis guttur mentis strangulāt, & dum bonum desiderium intrare ad cor non sinunt, quasi aditum flatus vitalis necant. Exiit qui seminat seminare semē suum. Sed quare ipsemet exiit seminare? Hanc quæstionē videtur tetigisse Hiere. 14. dicens, Quare quasi colonus futurus est in terra? Et potest dici quod tribus de causis ipsemet exiit seminare, scilicet Propter terræ necessitatē: Propter aliorū cultorum prauitatem: & propter agriculturæ spiritualis vtilitatē. Quam necessarium sit semen diuinum mundo insinuat Esa. 1. dicēs, Nisi dominus exer. reli. nobis semē: quasi sodoma fu. &c. Prauitas aliorū cultorū apparet ex hoc quòd mundus erat plenus spinis vitiorum in aduētu filij dei. Prouer. 24. Per agrū hominis pigri trāsiui, &c. & ecce totum repleuerāt vrticæ, &c. Vtilitas culturæ spiritualis ex hoc apparet quòd plus valet vnus fructus cordis humani, scilicet, opus vnū ex charitate procedēs, quam totus fructus quē terra à prin

à principio mũdi vsque nunc protulit. Præterea de fructu oris sui potest homo ditari. vnde Prouerb. 12. De fructu oris suis vnusquisque replebitur bonis. Et aliud cecidit secus viã. Sed quare sapiẽtissimus agricultor in terrã prauã semẽ suũ iecit? Ad hoc potest dici quòd tribus de causis, videlicet. Primo ad nostrã instructionẽ, vt exemplo eius in omni genere hominẽ seminemus. Chrysost. Qui seminat sine diiudicatione mittit semina: sic & prędicator Christi non diuidit diuitem & pauperem: sapientem & insipiẽtem: studiosum aut desidẽ. Rom. 1. Græcis ac barbaris, &c. Secundo ad prædicatorũ consolationẽ vt non impatiẽter ferãt, si in multis semẽ eorũ perit: quia idẽ Christo accidit. Esa. 5. Viginti modij semẽtis faciẽt modios tres &c. Augu. Magna cõsolatio mẽbris ex capite. Tertio quia ille cuius est semen, de terra praua potest facere bonam. Chrysosto. Qualiter habet rationem seminare in spinis & petris? Solutio: In seminibus quidem nullam, in animabus autem multam. Agricola incusaretur merito, quia de petra non potest facere non petram, aut de via non viam, aut de spinis non spinas. In rationalibus autẽ possibile est de petra fieri terrã pinguem. Itẽ aliã moralitatẽ valde bonã dictæ septuagesimæ de seminatore, require in fine libri, Exiit.

Dominicæ in quinquagesima Sermo primus.

ASsumpsit Iesus duodecim, &c.

Lu. 18. Hodiernũ Euangelium duo principaliter ostendit, videlicet Dominicæ passionis prænunciationem, & cuiusdam cæci illuminationem. Circa primum octo nobis consideranda sunt Primum est quare prænunciatio dominicæ passionis in hac dominica recolitur, & potest de hoc triplex reddi ratio. Prima est quia sicut passio erat propinqua secundum veritatem cum dominus dixit discipulis, Eccæ ascendimus Hierosolymam, &c. sic nunc est proxima secundum ecclesiæ repræsentationem. Ideo conuenienter nunc in ecclesia verba illa leguntur: vt etiam illa proximitas quæ est secũdum ecclesiæ repræsentationem ostendatur. Secunda est vt incitentur fideles ad crucem penitentiæ & ad ascensum in cælestem Hierusalem: licet Christianus semper debeat esse in cruce, secundum illud Gal. 5. Qui Christi sunt, carnem

nem suam crucifixerunt,&c.& semper debeant proficiendo ascendere:tamen maxime in quadragesima. & sicut ille qui ingressurus est religionem, prætentat aliqua quæ sunt religionis, & eis ante ingressum assuescit: sic ante quadragesimam aliquid penitentiæ inchoandum esset. E contrario vero homines faciunt qui in comestione carnium & in aliis delitiis hoc tempore excedunt, quasi nesciant quòd quanto talibus magis assueuerunt, tanto difficilius eis postea carebunt. Difficile caret aliquis pelliceo in medio hyemis qui in principio hyemis ei assueuit. Diabolus credens quòd in breui sit eos amissurus, vexat eos in seruitio suo quantum potest, sicut illi qui conducunt equos multum solent eos vexare, quia modicum sunt eos habituri. Apocali .12. Væ terræ & mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet. Tertia ratio est vt ostendatur hominibus quantum malum sit peccatum gulæ,quo tentantur homines tempore isto ex malo quod ex illo peccato secutum est. Mors ènim filij dei secuta est inde. Ex magnitudine remedij apparet magnitudo periculi.Bernar.Ex consideratione remedij,periculi mei æstimo quantitatem. filius dei iubetur occidi: vt vulneribus meis precioso sanguinis illius balsamo medeatur. Agnosce homo quam grauia sunt illa vulnera pro quibus oportuit Christum dominum vulnerari. Ad satisfaciendū pro peccato primorum parentum quod fuit peccatum gulæ passus est filius dei.Secundum est, Cum dominus assumpserit discipulos suos ad passionis suæ prænunciationem, vt hic habetur,& Mat.20.& ad ostensionem gloriæ suæ in transfiguratione.Matte.17.Marci.9.Lucæ 8.quare duodecim assumpsit ad prænunciationem passionis: & tres tantum,scilicet Petrum, Iacobum & Ioannē ad ostensionem gloriæ. Quod ideo factū est vt ostenderetur quod omnes inuitantur ad imitationem passionis: pauci tamen perueniunt ad passionis fructum 1. Pe.2. Christus passus est pro nobis,vobis relinquens exemplum,&c. & 1.Cor. 9. Omnes quidem currunt:sed vnus accipit brauium, scilicet perseuerans.Tertium est quare assumpsit eos secreto,vt dicitur Matt.20. vt daret nobis exemplum ne secreta nostra passim omnibus reuelemus. Quidam enim quæ solum amicis com

cis committenda essent, iis quos habuerunt obuiam narrant, vt dicit Seneca. Ecclesiastici 19. Sagitta infixa femori canis: sic verbum in corde stulti. In eodem, In facie verbi parturit fatuus, parturiens non quiescit donec partum emiserit: nec fatuus donec verbum protulerit. Ecclesiasti. 6. Multi pacifici sint tibi: consiliarius vero vnus de mille. Specialiter in hoc quòd secreto loquitur apostolis de passione sua datur exemplum iis qui ascensuri sunt crucē religionis, vt non passim hoc reuelent. Ecclesiastici 37. Noli consiliari cum socero tuo. Socer enim pater vxoris, id est carnis, est mundus, cui non est reuelandum cum aliquis vult mundum deserere. Iacob fugit insalutato & ignorante Laban. Gene. 31. Bernar. in persona secularium amicorum loquens, Noli inquit, præcipitanter agere: diu considera: diligenter intuere. magnum est quod proponis, & opus habes magna deliberatione. Experire quid possis: amicos consule: ne post factum pænitere contingat. Hæc est sapientia mundi animalis, terrena, diabolica, inimica salutis, suffocatrix vitæ, mater tepiditatis eius, scilicet qui deo solet vomitum prouocare. Cum enim verbū dei esse non dubites: quid opus est deliberatione? vocat magni consilij Angelus: quid ergo ad hoc cōsilium præstolaris? Quis enim sapientior & fidelior illo? Ab ore putei gehennæ eripior: & consilium petam. Amicos consulat qui non legit, Inimici hominis domestici eius. Mat. 7. Quartū est quare scriptura sacra vbi loquitur de aduentu in Hierusalem, vocat eum ascensum: vt hic, & Luc. 2. Ascendentibus illis Hierosolimam, vbi vero loquitur de aduētu in Ægyptum vocat eū descensum, vt Gene. 12. Descēdit Abraham in Ægyptum. Et 27. Dixit dominus ad Isaac, Ne descendas in Ægyptum. & Esa. 31. Væ qui descendunt in Ægyptum, quod ideo fit vt innuatur difficultas quæ est in eundo in cælestem Hierusalem: & facilitas quę est in eundo ad vmbras & mærorem inferni. Act. 14. Per multas tribulationes nos oportet intrare in regnum cælorum. Luc. vlti. Nonne oportuit pati Christum &c. Econtrario facilis descensus auerni. Quintum est quòd dominus futura prædicit: vt agnoscamus eius deitatem & futurorum præscientiam. Sicut enim proprium est diuinæ potentiæ extendere se operando ad illud quod est & ad illud quod nō est: ex nihilo enim

enim potest operari & res redigere ad nihilum: sic diuinæ sapientiæ est videre futura & præterita vt præsentia. Esa.41. Annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dij estis vos. Sexto nobis cõsideranda sunt quæ dominus prædixit se passurum, quæ sunt quinque, scilicet Traditio, Illusio, Flagellatio, Conspuitio, Occisio. Et notandum est quòd traditus est qui erat virtus patris. Illusio facta est dei sapientiæ 1. Cor. 1. Prædicamus Christum dei virtutem & dei sapientiam. Flagellatus est qui peccatum non fecit 1. Pet. 2. Conspuitur dei gloria. In Psalmis, Exurge gloria mea. Hebre. 1. Qui cum sit splendor gloriæ &c. Occiditur qui est vita. Ioan. 14. Ego sum via, veritas & vita. Similia patiuntur viri iusti in mundo isto pro ipso. Ipsi enim traduntur ab iis à quibus amplius deberent amari. Luc. 20. Trademini à parentibus, &c. Deridentur. Iob 12. Deridetur iusti simplicitas, & Sap. 5. Dicũt damnati de bonis, Hi sunt quos aliquãdo habuimus in derisum, &c. prouer. 3. delusores ipse deludet. Flagellantur à maledictis tyrannis. Esa. 10. Væ Assur. virga furoris mei & baculus ipse est. Aug. Quid superbit impius si de ipso facit flagellum pater meus? pater flagello filium corripit, & post in ignem flagellum mittit. Conspuuntur hic contemptu & vilipensione. 1. Cor. 4. Nos ignobiles vsque in hanc horam: esurimus & sitimus & nudi sumus & colaphis cedimur. Tanquam purgamenta huius mundi facti sumus omnium peripsema vsque adhuc. Sic vocatur purgamẽtum pomi vel ferri, vel quòd de alia materia abiicitur. Occiduntur, Psalmus. Propter te mortificamur tota die. Consolatio in iis est memoria eorum dominus passus est pro nobis. Augu. Magna consolatio membris ex capite. Ber. Videntes angustias domini vestri leuius vestras portabitis. Grego. Si passio domini ad memoriam reuocetur, mihi est adeo durum quod non æquo animo toleretur. Si fallit te aliquis de quo confidebas: cogita Christum traditum esse à discipulo suo. In Psal. Homo pacis meæ in quo sperabam: magnificauit super me supplantationem. Si oportet te subditum esse indigno: noli turbari. Cogita deum traditũ fuisse gentilibus, Pilato scilicet, & ministris Romanorum. Si quis te stultum reputat: cogita quòd Herodes Christo in veste alba illuserit. Si quis te percussiat: cogita Christum

pro

pro te fuisse flagellatum vsque ad sanguinem. vnde Hebr. 12. Recogitate eum qui talem &c. Et notandum quòd similia prædictis patitur adhuc Christus in ecclesia in mẽbris suis. Traditur enim gentibus cum regnum ecclesiæ traditur gentiliter viuẽtibus, scilicet aperte malis. Dauid, Deus venerunt gentes in hæredi. tuam &c. A quibus vero traditur, ostenditur Ioan. 18. Gens tua & pontifices tradiderunt te mihi. Post illuditur cum populus eruditione & exemplo bono fraudatur. Hiere. 50. Grex perditus factus est populus meus. Pastores eorum seduxerunt eos. 2. Pe. 3. venient in nouissimis diebus illusores iuxta proprias cõcupiscentias ambulantes &c. Deinde flagellatur dominus quia populus angariis & iniuriis opprimitur. Post conspuitur, quia cultus eius vilipẽditur & cultores eius si qui boni sunt confunduntur. Iob. 30. Faciem meam conspuere non verentur. Glosa. Faciem eius conspuere est: iustos & in præsentia confutare & in eorũ contumelias verba confluxa quasi saliuas fluentes mittere. Postmodum occiditur cum charitas in populo malo exemplo eorum perditur, & fides peruerso dogmate corrumpitur. 1. Ioã. 4. Deus caritas est: & per fidem habitat Christus in cordibus nostris. vnde conuenienter dicitur occidi Christus cum charitas perditur vel fides corrumpitur. Et notandum quòd Christus ter traditus est. Primo à Iuda. Mat. 26. Quid mihi vultis dare: & ego eum vobis tradam? Secundo à Iudeis. Mat. 27. Sciebat Pilatus quòd per inuidiam tradidissent eum. Tertio à Pilato. Lucæ 23. Pilatus adiudicauit fieri petitionem eorum, & Iesum tradidit voluntati eorum. Iudas tradidit eum cupiditate propria. Iudei ex inuidia malicia. Pilatus vero fauore alienæ iniquitatis & Iudæorum gratia. Similibus modis fit traditio prædicta. quidã enim tradunt Christum ex auaritia, vt simoniaci: quidam ex malicia, vt qui inuidia vel odio non dimittunt promouere dignos & promouent indignos. Qui vero non superantur his duobus modis, vincuntur fauore vel gratia magistrorum, promouentes indignos ad preces eorum. Item notandum quòd quattuor modis Christo illusum est, scilicet, in domo sacedotis. Lucæ 22. Illudebant ei cedentes eũ, & percutiebant faciem eius & velauerunt eum, & interrogauerunt eum, dicentes, Prophetiza quis est, &c. Item in

domo

domo Pilati. Mat. 27. Clamidem coccineam circundederunt eum & plectentes coronam &c. Et in domo Herodis. Lucæ 23. Spreuit eum Herodes & illusit eum indutum veste alba. Item in cruce. Mat. 27. Principes sacerdotũ cum scribis & senioribus illudentes dicebant, Si rex Israel est, descendat de cruce. Similibus modis illuditur hodie à sacerdotibus malis. Cum velamine capitis illudunt ei, dum amictum habent in capite, qui significat spem cælestium: qui pro cælestibus in ecclesia non seruiunt, immo pro terrenis: deseruiunt enim ibi diabolo. In veste alba ei illudunt qui albam induunt, cum non habeãt mundiciam quæ in alba designatur. In purpura ei illudũt qui infulam purpuream induunt qua charitatis latitudo designatur, cum non habeãt charitatem sed potius odij caninitatem. In cruce ei illudunt qui bonos in pœnis derident, in quibus eos consolari deberent. Circa flagellationem Christi notandum quòd Christus quater flagellatus est, scilicet In capite, cum acceperunt arundinẽ & percusserunt caput eius. Mat. 27. In facie. Luc. 22. Velauerunt eum & percutiebant faciem eius. In collo, scilicet colaphis. Matth. 14. Ceperunt quidam conspuere eum & velare faciem, & colaphis cedere. Item in corpore. Matth. 15. Pylatus tradidit eis Iesum flagellis cesum vt crucifigeretur. His quatuor modis flagellatur & nunc in ecclesia, scilicet Quasi in capite arundine percutitur cum tyranni potestate accepta ab ecclesia circa maiores de ecclesia abutuntur. In facie flagellatur cum religiosos qui deberent esse pulchrior pars ecclesiæ, seculares persequuntur. In collo cum prædicatores per quos cibus spiritualis debet trãsire in corpus ecclesiæ ab iis quibus cibum porrigunt verbo vel facto læduntur. In corpore flagellatur cùm in minoribus membris ecclesia persecutionem patitur. Circa consputionem notandum quòd Christus conspuitur etiã in facie cum in pulchrioribus membris ecclesiæ vilipenditur. Consputio enim est maxima vilificatio. Esa. 50. Faciem meam non auerti ab increpantibus & conspuentibus in me. Sed consputio ista multos de ecclesia suffocat sicut Hur sororius Moysi sputis Iudæorum traditur fuisse suffocatus. Quidam vero non suffocãtur sputis cum Hur: sed potius cum cæco illuminantur de quo Ioan. 9. Tales erant apostoli, de

Sermo secundus, de eodem.

FActum est autẽ cum appropinquasset Hierico, &c.

In hac parte quæ cõtinet cæci illuminationem quinque nobis ostenduntur. Primo status saluatoris cæcum illuminaturi ibi, Cum appropinquaret Hierico. Secundo status sanandi ibi, Cæcus quidam sedebat secus viam mendicans. Tertio quomodo se habuerit cæcus salutẽ petens, ibi, Cum audisset turbam &c. Quarto quomodo se habuerit Iesus salutem cõferens, ibi, Stans autem Iesus. Quinto quomodo se habuerit cæcus salute obtenta ibi, Et sequebatur eum magnificans deum. Circa primum notandum quòd filius dei propinquus Hierico illuminat cæcum, vt hic habetur: & curat vulneratum qui incidit in latrones, Luc. 10. Hierico enim interpretatur defectus. per cæcum vero & vulneratum significatur humanum genus, vulneratum per concupiscentiam ex parte voluntatis: & excæcatum per ignorantiã ex parte rationis. Secundum quòd dicit Aug. in enchiridio, quòd duo mala sunt nobis inflicta ex peccato Adæ, videlicet, Ignorantia rerum agendarum, & cõcupiscentia noxiarum. Saluator verbo assumens defectus nostræ pænalitatis, & voluntatem sanauit, & ratione illuminauit. Greg. Cum conditor noster appropinquat Hierico, cæcus ad lumẽ redit: quia cum diuinitas defectus carnis nostræ suscepit, genus humanũ lumen quod amiserat recepit. Circa secundum notandum quòd genus humanũ cæcum erat quantum ad vim rationabilẽ: mendicans quantum ad concupiscibilem & defectũ magnum bonorum patiens. Sedebat vero per ignauiam quantum ad irascibilem: timens aggredi & sustinere ardua pro salute propria. Et erat iuxta viam opera habens de generatione bonorum absque fide vera. Ex cæcitate ignorantiæ sequitur mendicitas. Prouer. 10. Qui indocti sunt, in egestate cordis morientur ex cæcitate sequitur ignauia: sicut cognitio eam fugat. vnde Ber. loquens de illo verbo, Non timebis à timore nocturno. Timor inquit afflictionis nocturnus est & plane tenebrosus: quia abscondit ab oculis quòd non sunt condignæ passiones huius temporis ad fu-

turā gloriā, quę reuelabitur in nobis. sed facile hūc radius veritatis exsufflat. Ingerit enim oculis cordis peccata quæ fecimus: nunc æterna supplicia: nūc æterna præmia. Nunc ea quæ pro nobis pertulit Christus. Iuxta viā bene dicitur esse qui habet opera de genere bonorum sine vera fide. vnde super illud Rom. 3. Arbitremur, &c. dicit glossa Aug. Bona opera ante fidē inania sunt. Ita enim mihi videtur esse vt magnæ vires & cursus celerrimus præter viā. Et notādū quòd peccatū causa est cæcitatis interioris. Sa. 2. Excecauit eos malicia eorū. Circa quā cęcitatē quattuor nobis attēdēda sunt, videlicet, Quibus signis agnoscatur, & in quibus deterior sit hæc cæcitas cæcitate corporali, quomodo incurratur, & quomodo sanetur. Circa primū notādū quòd signa interioris cęcitatis sunt Error in eūdo: & casus, Nūc in aquā, nūc in ignē, nūc in foueā. Itē quòd venenatis se pascunt: & quòd dæmones varias illusiones eis faciunt. De Primo Tre. 4. Errauerunt cæci in plateis. Soph. 1. Ambulabūt vt cæci, quia domino peccauerunt. De secundo Mat. 17. Sæpe cadit in ig. &c. & Mat. 15. Cæcus si cæco ducatū præstet, ambo in foueā cadent. Venenatis se pascunt cum prohibitis delectationibus vtūtur: quod non facerēt si venenū viderēt. Iob. 6. An poterit aliquis gustare quod gustatū offert mortē? Illusio quā dæmones faciunt peccatori figurata est Iudicū 16. vbi legitur quòd Philistei fecerunt Sanson adduci de carcere vt luderet coram eis. Diabolus peccatori illudit dicendo illi, Dilata os tuum & implebo illud & nihil in illud ponit. Os animæ affectus est. Io. 8. Si ego quæro gloriā meam, gloria mea nihil est. Hier. 4. Aspexi terrā, & ecce vacua erat &c. Itē illudit diabolus peccatori dicēs ei quòd pulcher erit si pulchras vestes habuerit; ac si vestis esset homo aut pulchritudo hominis. Circa quod dicit Aug. Cū iniquis omnia sunt pulchra: ipsi autē turpes &c. Circa secundū notandum quòd septē sunt in quibus peior est cæcitas mentis cæcitate corporis. Primū est quòd cæci corporaliter ducē habere desiderant. Cæci vero spiritualiter de duce non curāt. Seneca, Cæci ducem querunt: nos sine duce erramus. Secundū est quòd cæci corporaliter cùm eligunt ducem, eligunt eum videntē & fidelē. Peccator vero cæcum eligit pro duce potius exēplum accipiēs à malo quā à bono. Tren. 4. Errauerunt

runt cæci in plateis. Peccator pro duce vult illum habere, qui multotiens eum in foueã peccati præcipitauit, scilicet propriũ sensum & propriã voluntatẽ. Eccles. 18. Post concupiscentias tuas non eas: & à voluntate tua auertere. Si prestes animæ tuæ cõcupiscentias eius, faciet te in gaudiũ inimicis tuis, &c. Libentius sequitur diabolũ ducentẽ ad mortem: quam Christum ducẽtem ad vitam. Tertium est quòd cæcus corporaliter cæcitatẽ suam agnoscit. Cæcus vero spiritualiter non. Ioan. 9. Si cęci essetis non haberetis peccatũ: quia vero dicitis, Videm⁹, peccatũ vestrũ manet. Prouer. 26. Vidisti hominẽ sapientẽ sibi videri? magis illo spem habebit insipiens. Rom. 1. Putantes se esse sapientes, stulti facti sunt. Puta ergo te stultum, & sapiens eris &c. Seneca in epistolis, Vxoris meæ fatuam scis hereditarium onus in domo mea remisisse. hęc fatua subito desiit videre. Incredibilem rem tibi narro sed veram. Nescit se esse cecam: pædagogum suum rogat vt migret. dicit domum tenebrosam esse. hoc quod in illa ridemus: omnibus nobis accidisse liqueat tibi. Nemo se auarũ intelligat esse nemo cupidum. Quartum est quòd cæci corporaliter querunt illuminari. Cæci vero spiritualiter fugiunt id per quod possent illuminari, vt doctrinã sacram David, Præceptum domini lucidum illuminans oculos. Item, Declaratio sermonum tuorum illuminat. Quintum est quòd vix est aliquis ita cęcus corporaliter, quin nesciat in ore suo ponere cibum: sed cæci spiritualiter quod ponendum esset in ore, ponũt in oculo vel in aure, dũ pulchritudinibus exquisitis pascunt oculos suos vel alienos, & multis expensis emunt laudes hominũ vnde aures eorũ pascãtur: cum potius deberent deum pascere in pauperem. Sextum est quòd cæci corporaliter defectum visus tactu supplent. vnde vulgariter dicitur, Qui nõ videt, palpare debet. Gen. 27. Isaac palpauit Iacob, cũ oculi eius caligassent. cæcus vero spiritualiter pœnas futuras quas non videt, experiẽtia quadam tangere nõ vult. Qui oculis cordis nõ videt quã graue sit lingua ardẽte inerternũ sitire, cũ magn⁹ calor est deberet ire per diẽ ad magnũ æstũ sine potu: tunc tactus experiẽtia hanc grauitatẽ agnosceret. Item qui nõ videt quam graue sit ab aquis niuium transite ad calorẽ nimiũ, Iob 24. deberet ponere pedem in aqua frigida quãdo est nimiũ frigus.

Et sic de cæteris penis: vel digitum in igne. Esa. 33. Quis ex vobis poterit habitare cum igne deuorante: vel cum odoribus sempiternis? Septimum est quòd cæci corporaliter felices reputant eos qui vident. Econtrario cæci spiritualiter videntes contemnunt & irrident. Prouer. 14. Ambulans recto itinere & timens deum: despicitur ab eo qui infami graditur via. eiusdem 29. Abominãtur impij eos qui in recta via sunt. Sed contemptus eorum contemnendus est, & irrisio irridenda. Sene. Æquo animo audienda sunt imperitorum conuicia, & ad honesta vadẽti contemnendus est ipse contemptus. Circa tertium notandum quòd septem modis solet visus corporalis impediri: & similibus modis impeditur visus spiritualis. Primo oculorum erutione. sic impeditur in illis de quibus procurat diabolus quòd habeant oculos suos vel in bursa vel in alia re transitoria, vbi amor, ibi oculus. Matth. 6. Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Secundo auersione à lumine. August. in lib. de libero arbi. Væ eis domine qui auertunt se à lumine tuo, & defixi in carnali opere delectantur. Dan. 13. declinauerunt oculos suos ne viderent cælum neque recordarentur iudicio iustorum. Tertio oculorum velatione. sic impeditur visus illorum quos diabolus ducit ad suspẽdium infernale oculis velatis velo culpæ vel sollicitudinis mundanæ: & manibus ligatis praua consuetudine. Ge. 20. Ecce dedi mille argenteos fratri tuo. Hoc erit tibi in velamen oculorum, ait Abimelech vxori Abrahæ. Mundus dedit Christo temporalia, quæ facta sunt in velamen oculis ecclesiæ. De ligatione vero habetur Prouer. 5. Iniquitates suæ capiunt impium, &c. Quarto oculorum consutione, vt in anseribus quibus consuuntur oculi ne multitudine rerum visarum ab impinguatione retardentur: Sic aufertur visus iis qui verbum dei volunt audire, ne delectatio quam habet in malis operibus minuatur. In Psalm. Noluit intelligere vt bene ageret. Quinto modo impeditur visus illis super quorum oculos cadit lutum. Hanc causam docet dominus Ioan. 9. qui expuens in terram lutum fecit de sputo & liniuit oculos cæci: causam ostendens spiritualis cæcitatis. Cum lutum sit aqua terræ admixta significat sapientiam terrenam. per aquam enim sapientia intelligitur. Sapientia terrena multos excæcat.

Visus corporalis & spiritualis similiter septem modis solet impediri.

Rom.1.Putantes se esse sapiẽtes,stulti facti sunt.& 1. Cor. 3.Sapientia huius mundi stultitiá est apud deũ. Sexto aufertur visus infirmitatis magnitudine. Sic spiritualis visus aufertur superbis.vnde Greg.loquens de pharisæo indignante de hoc quòd Magdalena tangebat dominum, Lucæ 7.dicit quòd pharisæus de febre sensum spiritualem perdiderat: sed Magdalena sensum in febre tenebat.sic sensum spiritualem amittunt qui morbi magnitudine obstupescunt.Ecclesiastes 7.Ne obstupescas nec impie agas multum. Ber.Scio longius esse à salute membrum quod obstupuit,& ægrum sese non sentientem periculosius laborare.Idem,Cor durum est quod seipsum non exhorret: quia non sentit.Septimo aufertur visus à calore. vnde visus dicitur excæcari ad peluim ardẽtem.Et Tob.2. Excæcatus est Tobias calidis stercoribus.In Psalm. Supercecidit ig.& non.v.so.Ignis cupiditatis vel alius ardor implendi desiderium multos excæcat.Augu.in lib. cõfessionum, Spargis pænales cæcitates super illicitas cupiditates.Circa quartum notandum quòd triplex est remedium contra spiritualem infirmitatem,vt ex sacra scriptura haberi potest:quorum primum est amaritudo contritionis,quod figuratum est Tob.11.vbi Tobias felle liniuit oculos patris, & visum recepit.Secundum est ablutio confessionis:quod figuratum est Ioh.9.vbi dominus dixit cæco, Vade ad natatoria Siloe.Et subditur,Et abiit,& lauit: & vidit. Siloe interpretatur missus.Aqua ergo Siloe est confessio. Est enim vnum de lauatoriis Christi à patre missi. Tertium est collyrium bonorum operum:quod pertinet ad satisfactionem.Apoc.3,Collyrio inunge oculos tuos, vt videant. Opera quibus pænitens deo satisfacit, multum iuuant visum spiritualem ad modum collyrij.Intellectus enim bonus omnibus facientibus eum.Item,A mãdatis tuis intellexi.Ecclesiastici 1.Fili concupiscens sapientiam serua iusticiam,& dominus præbebit eam tibi.Item Notãdum est quòd quadruplex cæcitas in scriptura sacra inuenitur. Prima est cæcitas superbiæ.Ioh.9. Hanc cæcitatem habẽt qui superbiunt ex nobilitate generis vel aliis bonis naturalibus.vnde Oseæ 9.Gloria eorũ à partu. Sed si quis moribus degeneret:hæc gloria ei in ignominiam commutatur.Eiusdem 5.Gloriam eius in ignominiam commutabo,

Hæc cæcitas curatur appositione luti super oculos, id est, ex consideratione propriæ vtilitatis. Secunda est cæcitas Tobiæ, qui est excæcatus stercoribus hyrundinis. Tob. 2. Quæ significat cæcitatem quam facit luxuria. Hyrundo est auis leuis, quasi depicta, garrula, & luxuriosa: & significat vanam pulchritudinem mũdi, cuius aspectus inquinat & excæcat sicut stercora inquinauerunt & excæcauerunt Tobiã. Hæc cæcitas felle curatur. Tob. 11. id est amaritudine pænitentiæ. Ecclesiastici 11. Malicia vnius horæ obliuionẽ facit luxuriæ magnæ. Tertia est, ex faciei crassitudine. Iob. 15. Operuit faciem eius crassitudo, &c. Hæc est cæcitas quam facit temporalium abundantia. Hæc est cæcitas mendicans de qua habetur in præsenti euangelio. Ber. super Can. Auarus terrena esurit vt mendicus: fidelis contemnit vt dominus. Huic dicitur, respice: quia cæcitas quam temporalium abundantia facit, curatur: cum verba bona per fidem aspiciuntur. Vilescunt enim temporalia cum considerantur æterna. di. Gre. Quarta cæcitas est de qua Apoc. 3. Nescis quia tu es cæcus, &c. & præcedit ibi, Dicis quia diues sum & locupletatus. Hæc est cæcitas præsumptionis quæ collyrio curatur. vnde subditur ibi, Collyrio inunge oculos, &c. Collyrium fit ex frumento, frumentum est Christus. Io. 12. Ex hoc frumento fit collyrium: cum ab eo sumitur humilitatis exemplum. Aug. Medicina tumoris hominis est humilitas Christi. Erubescat homo esse superbus, quia humilis factus est Deus. Circa cæcum salutem petentem sex nobis attendenda sunt. Primum est quòd auditus in eo defectum visus suppleuit, & occasio recuperandi visum fuit. Sic auditus verbi diuini est initium salutis. si habes prauum oculum, habeas bonã aurem. Ecclesiasti. 3. Auris bona cum omni concupiscentia audiet sapientiam. Secundum est quòd interrogauit. Ecclesiasti. 6. Si videris sensatum euigila ad illũ. Sen. primum documentum est vt nullam doctrinam contemnas. secundum est vt à nullo discere erubescas. Tertium est quòd clamauit, Iesu fili Dauid miserere mei. Ambros. Homo pro hominibus factus miserere homini. Chrysost. Qui pedibus non potest, voce sequatur. clamor quem Deus audit est magnitudo desiderij. Hoc clamore clamauit Moyses Exo. 14. & Susanna. Dan. 13. Quartũ est quòd in cla

in clamore perseuerauit cum qui preibant, increpabant eum vt taceret. Multum valet perseuerãtia ad impetrandum quod petitur à deo. Luc. 11. Ille si perseuerauerit pulsare, &c. Secundum Bedam qui Iesum veniẽtem præeunt, significant tumultus carnalium desideriorum vel subiectionem dæmonum, vel turbam persecutorum secundum Ambros. Et notandũ quòd naturaliter est magnus amor ad visũm corporis. vnde si est visus diligenter seruat eum natura. Si ei periculum imminet: manus ei se opponit. Si non est visus, multum desideratur, & quasi nihil reputat quod habet qui visum nõ habet. vnde Tob. 5. Quale mihi gaudiũ erit, &c. nec mirum si multum ametur visus: cum homo sine visu est in periculo & quantum ad se & quantum ad sua. Si habet pecuniã, de facili potest aliquis eam furari ei. Puer paruulus potest eum lapidibus obruere, licet etiam fortis sit. qui eum ducit, potest eum ducere in domum hostis sui vt in propriam, vt patet 4. Reg. 6. in illis qui missi fuerunt à rege Syriæ ad capiendum Elyseum. Quos percussos cæcitate duxit Elyseus in Samariam & posuit in medio hostium suorum. Quintum est vtilis & discreta petitio cum dicit, Domine vt videã, quasi inutilis est homo sine visu. ideo sapiẽter iste cæcus visum aliis prælegit. Similiter se habet de visu spirituali. vnde Salomon cum dixisset ei dominus Pete quod vis & dabo tibi: sapientiam prætulit aliis dicens: Dabis seruo tuo cor docile, &c. Sextum est fides. vnde dictum est ei à domino. Fides tua te saluum fecit. Act. 15. Fide purificans corda eorũ. Matth. 8. sicut credidisti, fiat tibi, &c. Interlin. Cuique sicut credit ita fit. Circa dominum salutem dantem tria nobis indicãtur. Primo eius bonitas ibi, Stans autem Iesus iussit illum ad se adduci. Hiero. Quia cæcus sequi non poterat, stat dominus & vocari iubet ne turba prohibeat. sic debẽt facere magni prælati ecclesiæ vocare ad se pauperes vt audirent eorũ querimonias. Ecclesiastici 4. Declina pauperi sine tristitia aurem tuam, & redde debitum tuum, scilicet iusticiam vel eleemosynam, & responde pacifice in mansuetudine. ad bonitatem etiam pertinet quòd interrogat quid sibi velit fieri ibi, quid vis vt faciam tibi? Secundo potestas in hoc quòd imperat vt respiciat, & imperando potestatem respiciendi dat cum dicit, Respice.

Tertio eius sapientia cum indicat se videre cor eius dicens, Fides tua, te saluum fecit. Fides eius contradicentes clamori ipsius vicerat. vnde Chrysost. Talis est natura fidei: quanto vetatur eo attenditur. propter quod serui dei in persecutionibus non vincuntur. Idem, virtus fidei in periculis secura est: in securitate periclitatur. Circa vltimum notandum quòd cæcus salute obtenta non est ingratus: sequitur enim & laudat. Sequitur benefactorem, laudat mirabilium factorem. Ber. Ingratitudo est ventus vrens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluentà gratiæ. Econtrario multi à deo liberati diabolum sequuntur. Ecclesiastici 29. Ingratus sensu derelinquit liberantem se. Tales inhumani sunt, & immo feris deteriores. feræ enim beneficia sentiunt. Refertur quidam leo adhæsisse cuidam militi qui eum liberauerat à serpente. Item leo quidam sanatus in cænobio in quo manebat Ieronymus, remansit cum fratribus eius seruiens eis, vt in vita beati Ieronymi continetur. Non erat ingratus Dauid vir secundum cor dei 1. Regum 13. qui videns se non sufficere ad deum laudandum pro bonis ab eo receptis, petit adiutores dicens, Magnificate dominum mecum, &c. Ecclesiastici 43. Benedicentes dominum exaltate eum quantum potestis: maior est enim omni laude. Respice, &c. Notandum quòd sicut fides impetrat gratiam secundum quòd dicit dominus hic, fides tua te saluum fecit: sic fides habentem gratiam perducit ad gloriam. vnde dicitur hic ei qui illuminatur, Respice. Ephe. 6. In omnibus sumentes scutum fidei & 1. Ioan. 5. Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. Et notandum quòd sanatus spiritualiter sex debet respicere videlicet Cælum, vt gaudeat de hæreditate recuperata. Heb. 11. Aspiciebat enim in remunerationem. Infernum, vt timeat. Matth. 10. Timete eum qui potest & corpus & animam mittere in gehennam. Mundum, vt fugiat. Naum 3. dicitur de Niniue quæ significat mundum, Qui viderit te, resiliat à te. Mandata, vt impleat. Ecclesiastici 35. Salutare sacrificium est attendere mãdatis. Cum aliis sacrificiis potest homo damnari cum hoc verò saluatur. Item debet respicere Christum, vt imitetur. Augustinus, Summa religionis est imitari quem colis. Seipsum, vt humilietur. Matthæum. 6. Humiliatio

tua

tua in medio tui, &c.

Dominica prima in quadragesima,
SERMO PRIMVS.

DVctus est Iesus in desertum à spiritu, &c. Matt. 4.
Glosa, Historialiter in illo deserto quod est inter Ierusalem & Ierico Christus diabolum vicit, vbi figuraliter dixerat Adam incidisse in latrones: & eos eum vicisse. Eadem via & Samaritanus descẽdit quia carne indutus easdem tentationes sustinuit. In desertum ductus est tanquam in locũ certaminis à spiritusanct. Glosa, sancto, qui quos replet, ad pugnam facit fortes. Sine hoc spiritu qui ad pugnam vadit, cito cadit. Ductus est Iesus &c. Circa hoc Euãgelium ad ædificationem nostram sex nobis consideranda sunt. Primo quare dominus tentari voluit. Secundo tentationis tempus. Tertio tentationis locus. Quarto modus impugnandi quem habuit tentator. Quinto modus repugnandi quem habuit saluator. Sexto quid tentationem consequutum est. Circa primum notandum quòd dominus triplici ratione tentari voluit. Primo vt de pugna spirituali homines certos redderet. Secundo vt eius tentatio iis qui tentantur solacium esset. Tertio vt in eius tentatione addisceremus modũ impugnãdi quem habet diabolus, & modum repugnandi quem habere debemus. Circa primum notandum est quòd graue periculum est habere inimicitias capitales, & hoc ignorare. habere hostem suum iuxta se, & eum non videre. Non repugnat qui se impugnari ignorat. Hiero. Tunc maxime impugnaris si te impugnari nescis. Ideo voluit dominus tẽtari, & permisit vt diabolus etiam formam humanam assumeret in qua eum tentaret, vt pugna spiritualis certior nobis fieret. De hac pugna certos etiam nos reddit scriptura sacra in multis locis. Vt Ge. 3. Inimicitias ponam inter te & mulierem &c. Item Iob. 1. & 2. & 7. Militia est vita hominis super terrã. Alia littera habet, tentatio, &c. Ephe. 6. Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem

nem &c. Ad maiorem etiam certitudinem huius pugnæ dominus voluit tentatorem apparere in forma humana diuersis sanctis, vt beato Martino in forma humana apparuit: beato Antonio in forma puerili. Frequenter habenda esset hæc pugna in memoria. Iob. 40. Memento belli, &c. Habenda est memoria huius pugnæ homini in mane, vt præmuniret se oratione tanquam campum certaminis ingressurus. Itē in vespere, vt deo gratias ageret si triumphum de hoste habuisset. Si vero victus fuisse, non intraret lectum donec per penitētiam deo reconciliatus esset. Periculosum enim est valde in potestate inimici sui obdormire. Quasi continue habenda esset huius pugnæ memoria. Hæc enim memoria valet ad hoc vt homo sit humilior deo, cautior & deuotior. Est ergo homo humilior, quia sine gloriatione, sciens se adhuc esse in prælio. vnde 3. Reg. 20. Non glorietur accinctus æque vt discinctus. Cautior, intelligens se pugnam habere cum hoste callidissimo. Gene. 3. Serpens erat callidior cunctis animalibus terræ. Deuotior deo, quem vitæ suæ agnoscit protectorē, cum hostem habeat tam potentem. Iob. 12. Non est potestas in terra quæ ei, &c. Tren. 3. Misericordiæ domini quòd nō sumus consumpti. Habemus pugnā cum gigāte, cum simus sicut locustæ: vnde Origenes, Vult dominus Iesus mirabiles res facere. Vult enim locustas superare gigantes: & de his quæ in terris sunt celestes vincere nequitias. Circa secundum notandum quòd nullus debet indignari si tentetur, cum ipse dominus tentatus sit. Mat. Non est discipulus supra magistrum, &c. Augu. Magna consolatio membris ex capite. Considerare debet qui tentatur, quòd ei subueniat qui per experientiam tentationem nō ignorat. Hebre. 4. Non habemus pontificem qui non possit cōpati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia pro similitudie absque peccato. Qui diabolum vicit in se: paratus est eum vincere in nobis. Circa tertium notandum quòd Diabolus primo impugnat hominem ex ea parte qua homo est eo infirmior, scilicet ex parte carnis. in Psal. Minuisti eum paulominus ab angelis. vnde Adam primo tentauit de peccato gulositatis: & de eodem primo Christum tentat. In via laqueum ponit, per quam homo necesse habet ire: comedere enim necessitatis est. Dauid, In via hac

qua

qua ambulabam abſcondit laqueum mihi. In fouea magis propinqua conatur eum primo præcipitare. Poſt vero aſſumpſit eum ducens ad alia loca. Inter peccata carnis primo tẽtat eum de gula quæ occaſio eſt aliorum carnalium peccatorũ. Peccato gulæ male intraducitur, quod per fornicationem deterius educitur. Circa tempus tentationis notãdum quòd poſt baptiſmum poſt illam vocem patris: hic eſt filius meus dilectus, &c. Ductus eſt in deſertum à ſpiritu vt tentaretur à dia. Chryſ. Quãdo pater clamat, In te cõplacuit mihi d. tunc ductus eſt in deſer. vt ten. Non credas ergo tibi eſſe iratum ſi tentationes inſurgunt. Tob. 12. Quia acceptus eras deo: neceſſe fuit vt tentatio probaret te. Eccleſiaſtici. 2. In igne probatur aurũ & argẽtũ, &c. Aug. Sub vno igne aurum rutilat & palea fumat. De loco, notandum quòd dominus in deſerto tentatus eſt. Cũ aliquis diabolum deſeruit: tunc Diabolus vehementer contra illũ inſurgit. Diabolus illos pulſare negligit: quos iure quieto poſſidere ſe ſentit, vt dicit Greg. Pharao poſtquam populus Iudeorũ eum deſeruit, omni populo ſuo cõgregato eum inſecutus eſt. Exod. 14. Cum aliquis euadit de carcere alicuius principis, tunc omnes currunt poſt eum: & qui paucos habebat cuſtodes dum eſſet in carcere: poſtea habet multos inſecutores. Sic qui ad deum cõuertuntur multis tentationibus vexantur. In. Pſalmis. Domine quid multiplicati ſunt qui tribulant me. Eccleſiaſtici, 2. Fili accedẽs ad ſeruitutem dei, ſta in iuſt. &c. Circa modum impugnandi quem tentator habuit duodecim attende. Primo quia tentat explorãdo, dicẽs, Si filius dei es, &c. Simile, Gen. 3. Cur præcepit vob. d. &c. Secũdo quòd tẽtat mẽtiendo, dicens, Hæc omnia tibi dabo, &c. & Luc. 4. Vniuerſa hęc mihi tradita ſunt: & cui volo do illa. ſimile Gen. 3. Nequaquã moriemini. Tertio impugnãdo aperte infirmiori, ſcilicet ex parte carnis dicẽs. Dic vt lapides iſti panes fiant. Quarto maliciæ addẽdo. Prima enim tẽtatio videtur eſſe ad licitũ, ſcilicet ad repellẽdum famem panis comeſtione. Secunda vero ad illicitum ſed cum lucro: ſcilicet ad adorandum Diabolum: vt habeatur mundi dominium. Tertia ad illicitum & periculoſum, ſcilicet ad principium. Simili modo procedit Diabolus tentando alios. Si enim tentat de deliciis, Primo ponit neceſſarium & miſcet

scet superfluum. Greg. Necessitates corporales hoc habet periculosum, quòd in eis sæpe minime dignoscitur quid circa eas vicio vel vtilitatis studio agatur. Si tentat de diuitiis, Primo sollicitat hominem vt quærat necessaria: deinde superflua, vt ait Gregorius. Si tentat de honoribus, proponit prodesse & intẽdit obesse: vtens illo verbo, 1. Timo. 3. Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Quinto in omni tentatione superbiam miscet, tanquã in quo superbia maxime regnat. Primo monet vt si habeat altitudinem, eam ostẽdat. ibi. Si filius dei es dic vt la. Deinde si nõ habet vt eam male acquirat. ibi. Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraueris me. Primũ dupliciter facit. Primo monet vt ostẽdat eam in necessitate, ibi, Si filius dei es dic vt la. &c. Secũdo, vt ostẽdat eam superflue & etiã periculose, ibi, Si filius dei es mitte te deorsum. Sic hodie miscet superbiã ceteris peccatis, vt patet in conuiuiis diuitũ, vbi plura expẽduntur ad gloriam quam ad necessitatem. Sapiẽs, Nõ magno cõstat nobis fames sed ambitio. Chryso. Tolle hoc vitiũ vt non velint homines hominibus apparere: & sine labore omnia vitia resecãtur. Sexto in tentatione pertinente ad cõcupiscentiã carnis, monet opus naturæ imitari & refectionẽ: non dico modo difficili sed secundum naturam impossibili parari. sic hodie mutantur vini sapores aromatum mixtione: mutantur colores croceatione: fiũt monstruosæ rerum commixtiones. In tentatione pertinente ad auaritiam quærit adorari: quia auaricia est idolorũ cultus. Ephe. 5. Auari deus est nummus. vera recognitio domini est obedientia. Lucæ 6. Quid vocatis me domine domine, & non facitis quæ dico? Pecuniæ vero obediunt omnia. Ecclesiasti. 10. & super illud. Mat. 6. Non potestis deo seruire & mammonæ. Dicit glosa, Diuitiis seruire deum negare est. In tentatione pertinente ad superbiam vitæ monet ad præcipitium: quia superbia causa est ruinæ. Ascensus superbiæ habet secum ruinam spiritualem quæ à paucis agnoscitur. In Psalmis, Deiecisti eos dum alleuarentur. Lu. 16. Quod altum est hominibus, abominatio est apud deum. Item superbia causa est manifestæ ruinæ. Prouer. 17. Qui altam facit domũ suam, quærit ruinã. Greg. de superbis, Soli ruinæ crescit quod ædificant qui ante molem fabricæ fundamẽta humilitatis non parant.

parant. Iob. 30. Eleuasti me & quasi super ventum ponens elisisti me valide, &c. Septimo, Diabolus aliter tētat nobiles, aliter ignobilibus. Si nobilis est aliquis, monet & suadet ei & magna, vt Christū, Si filius dei es, &c. Si ignobilis est, suadet vilia vt venalitatē. vnde Christo de quo dubitabat an esset filius dei an nō, dicit, Hęc omnia tibi dabo, &c. Hodie tamen venalitas etiam vsque ad maiores peruenit. Cupiditas hominē venalē facit. Ecclesiasti 10. Nihil est iniquius quā amare pecuniā: hic enim animā suam venalem habet. immo etiā deū habet venalē vt patet in simoniacis. Et notandum quòd secūdū Hiero. Sicut matrona non est casta quæ cū rogatur munera accipit: ita nec iudex munera accipiens à corruptione immunis iudicatur. Non decet emptos sanguine Christi aliis vendi. Tanti enim emit, secundum Aug. vt solus possideret. Aug. Postquam intellexi me sanguine Christi redemptum: nolui me venalem exhibere. Octauo Diabolus mutatione loci procurat vt opportunitatem tentandi habeat. vnde assumpsit dominum super montem excelsum, vt ostenderet ei mundi desiderabilia: vt oportunitatem haberet tentandi eum de auaricia. & supra pinnaculum templi, volens tentare eum de vana gloria. Ge. 4. dixit Cayn ad Abel, Egrediamur in agrum: & ibi occidit eum. Nono repulsa à domino tentatione gulæ: non propter hoc ab impugnatione cessat. Augu. Præmonitos vos esse volo, neminem super terram absque tentatione victurum, vt cui forte tollitur aliqua, illam securus expectet. Decimo genus tentationis mutát, vt quem non superat vna: superet alia. vnde Diabolus apparuit cuidā de antiquis patribus in specie medici diuersas ampullas ferens, dicens nolenti de vna se dare de altera. Vndecimo in sacro loco tentat: vtens etiā sacris verbis: quod facere solet tentando sapientes. Vnde tentans Christum qui erat prædicator & qui verbis sacræ scripturæ se defendebat: verbis scripturæ similiter impugnat eum dicens, Scriptū est quia Angelis suis deus mādauit de te. &c. Duodecimo promittit temporalia vt auferat æterna, dicens, Hæc omnia tibi dabo, &c. Augu. O lucra damnosa! acquirit pecuniam, & perdit iustitiam. Circa modum repugnandi quem habuit saluator notandū quòd tribus verbis sacræ scripturæ Diabolum vicit, per hoc ostēdere volens sapientiam esse ne-

cessariam in bello spirituali.Prouerb.24.Vir sapiens fortis est,& vir doctus robustus & validus.Sap.5. Melior est sapientia quam vires.Hæc victoria Christi designata est, 1. Regũ. 17.in victoria Dauid de Golia.vnde glosa ibi dicit, Dauid prostrauit Goliam tribus lapidibus de torrente: & Christus Diabolũ tribus testimoniis de lege.Petierat diabolus vt dominus lapides conuerteret in panes: & dominus econuerso panes conuertit in lapides. verba enim sacra quibus velut panibus filij dei reficiuntur velut lapides in eũ iecit & sic prostrauit:sic facere deberent filij dei.Tamen attendendum est quòd Dauid ad vincendũ Goliam virtus fidei iuuit.vnde 1. Regum 16.dixit ad Goliam, Tu venis ad me in gladio & hasta & clipeo:ego venio ad te in nomine domini exercituum.Sic virtus fidei necessaria est ad vincendum Diabolũ verbis sacræ scripturæ. Sine qua hi lapides sunt Diabolo vt stipula. Iob. 41. In stipulã versi sunt ei lapides fundæ 1.Ioan.5. Hæc est victoria quæ vincit mundum,fides nostra.Prou. 30. Omnis sermo domini Clypeus ignitus est sperãtibus in se.Clypeus dicitur quia à malo protegit.Ignitus quia ad bonum accendit. Itẽ circa modum repugnandi notabile est quòd dominus tentatori non acquiescit etiam in re licita. In principio enim tentationis ei resistendũ est.Hiero. Lubricus est antiquus serpẽs:& nisi capite teneatur totus statim illabitur. Ephe. 4.Nolite locum dare Diabolo. Item ad modem repugnãdi pertinet quòd dominus durius respondet Diabolo volenti vsurpare diuinum honorẽ. Chrysost. In duabus tentationibus mitis permansit dominus:in tertia exasperatus est, & quasi iratus dixit Vade retro sathana. Hoc igitur exẽplo discamus nostras æquanimiter sustinere iniurias: dei autem neque ad auditum sufferre quia in propriis iniuriis esse quempiam patientem laudabile est: iniurias autẽ dei dissimulare impium est. De hoc quòd sequutum est tentationem notandum quòd diabolus victus fugit. vnde sequitur,tũc reliquit eum diabolus. Iaco.4. Resistite diabolo, & fugiet à vobis. Victor vero angelos sibi ministrantes abuit. vnde subditur, & ecce angeli, &c. Glosa, Sicut in hoc agone militia nostra præstruitur:ita in obsequio angelorum gloriosa remuneratio docetur.

Sermo

Sermo secundus de eodem.

TVnc Iesus ductus est &c.

Sicut dicitur ad Hebr. .o. Iustus ex fide viuit, idest vitam suam regit & disponit: & ideo ostenduntur in hoc euangelio nobis tria ad fidem pertinentia: quæ multum valent ad regimen & ad instructionem vitæ nostræ. Quorum trium primum est quòd spiritus sanctus eorum qui per baptismum mũdati sunt, est rector. Secũdum est quòd spiritus malignus est eorum impugnator. Tertiũ est quòd angelus bonus est eorum ministrator. Ad primũ pertinet illud, Tunc scilicet cum esset baptizatus Iesus ductus est in desertũ à spiritu &c. Ad secundum illud Vt tentaretur à diabolo. Ad tertium illud, Accesseret ang. & mi.ei. He. 1. Nonne omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi, propter eos qui hereditatem capiunt salutis. Propter primum spiritualiter viuamus à peccato carnis cauentes. Propter secundum in nullo homine inimicitias habeamus. Sufficit enim nobis guerra quam habemus cum dæmonibus. Propter tertium viles nos non habeamus nec nos venales pro re temporali exhibeamus, cum tantæ dignitatis simus quòd angeli ministrant nobis. Ductus est Iesus in desertum post baptismum. In quo datur exẽplum mundatis vt fugiant mundũ. Hiere. 51. Fugite de medio Babylonis, vt saluet vnusquisque animã suam. Psal. Ecce elongaui fu. & man. in so. Ozeæ 2. Ducam eam in solitudinem & ibi lo. ad cor eius. Item notandum quòd filij dei ducuntur honorifice: quia à spiritu sancto. Rom. 8. Quicunque spiritu dei aguntur hij sunt filij dei. In Psal. Spiritus tuus bonus deducet me in terram. Serui vero diaboli ducũtur ignominiose à spiritu maligno manibus ligatis, oculis velatis, & ad mortẽ æternã. Prouer. 5. Funibus peccatorũ suorum impius cõstringitur. Eiusdem 24. Erue eos qui ducuntur ad mortem &c. Item filij dei à spiritu sancto benigne regũtur: Lucæ 4. Agebatur à spiritu in desertũ quadraginta diebus. Serui vero diaboli à spiritu maligno exagitãtur 1. Reg. 16. Spiritus nequam exa. Saul. Itẽ filij dei à spiritu sancto in desertũ religionis ducũtur. Serui vero diaboli à spiritu maligno reducũtur fune cupiditatis posito ad collum quo mola asinaria eis alligata in

mare huius mũdi præcipitentur. Mat.18. Quam reductionem amici carnales quandoque procurant. Et notandum quòd secundum Ber. Spiritus sanctus qui ad desertum religionis ducit ad mundũ postea non reducit:quia non est in eo est & non. Cum ieiunasset quadraginta diebus, &c. Ieiunauit Christus tanto tẽpore: vt ostẽderet cõuenientiã legis & prophetarũ & euangelij. Ieiunauit autem Moyses quadraginta diebus vt habetur in Exod.24. Helyas tẽpore prophetarum, vt legitur 3. Reg. 19. Christus vero tempore gratiæ. Et ideo non ieiunauit minus: quia si minus ieiunasset insultaret Arrius quia nõ potuisset agere quod puri homines fecissent, scilicet Moyses & Helyas. Item non ieiunauit plus: quia si plus ieiunasset, forsitan diabolus non tentasset. Sequitur, postea esuriit. Notandum quòd legimus ter dominum cibo indiguisse. Prima vice diabolus obtulit ei lapides: volens vt eos conuerteret in panes. Secunda vice inuenit folia sine fructu in ficu & maledixit ei, & arefacta est ficulnea. Mat. 21. Tertio, cum datũ ei est in escam eius fel. Cibus quẽ dominus esuriit, salus nostra est. Ioan.4. Meus cibus est vt faciã volũtatẽ eius qui misit me, vt perficiam opus eius. loquebatur de opere salutis nostræ. Hunc cibum adeo desiderat deus vt quasi mendicãdo hostiatim quærat eum. Apoc. 12. Ego sto ad ostium & pulso, &c. Lapidem domino opponunt homines duri & incorrigibiles qui nec habent verba nec opera pertinẽtia ad fidem habentes cor diabolo. Iob. 41. Indurabitur cor eius quasi lapis &c. ad modũ diaboli odio habentes correctionẽ. Ecclesi. 21. Qui odit correctionẽ vestigiũ est peccatoris. Folia ei apponũt qui habẽt fidei verba sed non operat: similes ficulneæ maledictæ. Mat. 21. merito succidendæ. Lucæ 14. Succide eam, &c. In Psal. Maledicti qui &c. Escã cum felle deo apponũt qui bona opera in mortali faciũt: qui operibus suis magnam partẽ bonitatis auferunt. Plus enim valet ieiuniũ vnius diei extra mortale factũ: quàm ieiunia centum annorum facta in mortali. Et accedens tentator &c. Notandum quòd tentatur aliquis à carne, à dæmone & à deo. De prima Ioan.1. vnus quisque tentatur à concupiscentia sua, &c. A dæmone tentatur aliquis tripliciter, scilicet per rerũ ablationẽ, Corporis afflictionẽ, hominũ exprobrationem: vt patet in Iob qui primo bona

tempo

temporalia amisit. Secundo carne afflictus est. Tertio exprobrant ei amici & vxor eius. Contra primũ opponenda est spes cælestium. Hebr.10. Rapinã bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis cognoscẽtes habere meliorem & permanentẽ substantiã. Contra secundum opponendũ est profectus virtutis 2. Cor. 12. Virtus in infirmitatibus perficitur 1.Cor.10.fidelis est deus qui non patietur vos tẽtari &c. Contra tertium puritas cõscientiæ 1.Cor.4. Mihi pro minimo est vt à vobis iudicer &c. De tentatione quæ fit à deo dicitur in Psal.proba me domine & tenta me. Gen.22. Tẽtauit dominus Abrahã &c.Si filius dei es,dic vt lapides isti,&c. Sciendũ quòd diabolus multũ conatur ad hoc vt filij dei penitentiam dimittant. vnde Mat. 24. Si filius dei es:descende de cruce. Huius ratio potest esse quòd secundum Ber. Si penitentia nostra crudeli miseratione minuitur:paulatim gẽmis corona nostra priuatur. vnde quandoque sexus fragilitatẽ allegat:similiter & quãdoque infirmitatẽ ætatis,si senex vel iuuenis est. Aliquãdo debilitatem cõplexionis. aliquando metũ morbi incurabilis. aliquando illud 1.Tim.4.Noli ad huc aquã bibere &c. Vnde quidã sanctus pater fratribus suis,Ecce inquit fratres diabolus phisicam docet:ecce medicus factus:est de complexionibus loquitur. Infirmitates diuersas si teneatur religio, generari prædicat. Sed quare hoc? Non vt mederi velit,sed vt lædere possit. Qui respondens &c.Quare non acquieuit dominus vt lapides panem faceret.Respondeo vt lateret eius diuinitas. Et vt opera nostra abscondamus ab iis qui non proficiunt in eis. Mat.7.Nolite sanctũ dare canibus. Et vt monstraret ad imperium diaboli nihil esse faciendum. Scriptum est Deuter.8.Non in solo pane viuit homo &c. Notandum quòd inter creaturas mirabilior videtur esse homo,cum cõstet ex creatura spirituali & creatura corporali. Multũ miraretur aliquis si videret animal partim bouẽ partim equũ.; Mirabilior videtur esse homo. Illud enim animal constaret ex duabus naturis corporalibus : homo vero constat ex corporali & spirituali. maior autẽ est differentia inter corporale & spirituale,quã inter duo corporalia:sicut maior est differẽtia inter albũ & nigrum,quã inter duo nigra. pars vna hominis est visibilis: altera inuisibilis. Item pars vna est vt iumẽtum:alia est vt

angelus. vnde cum ex partibus tam dissimilibus constet: nõ est mirũ si cibus animæ est verbũ dei. Circa quẽ cibum multi valde negligẽtes sunt. Quorũ negligẽtia ostenditur esse valde reprehensibilis ex quinque. Primo ex hoc quòd animalia irrationabilia cibũ suum agnoscunt & quærunt, & frequẽtãt loca vbi eum inuenire possunt: vt aues quæ de grano viuunt frequentant areas, & quæ viuunt de racemis frequentant vineas. Pisces etiã currunt ad cibum in aqua proiectum. Solus homo qui est creatura rationalis cibum animæ suæ non agnoscit nec quærit & si ei porrigatur fugit. Prouer. 6. Vade piger ad formicã &c. Secundo per hoc quòd natura instruit eum de cibo quærendo. Sap. Cetera animalia natura deiecit ad pastũ: hominẽ vero erexit ad sydera. Tertio per hoc ꝙ iumentis suis de cibo prouidet: animæ autẽ suæ cibum negligit prouidere. Seneca, Nihil est cuique se vilius. Quarto per hoc quòd filius dei tantũ fecit vt homini prouideret cibum istum. Mar. 1. Eamus in ciuitates & vicos proximos vt ibi prædicem: ad hoc enim veni. Noluit dominus hominẽ recipere negligenter hunc cibum quẽ voluit ministrare cum tanta paupertate: tanto labore: tanta contradictione: cum præuideret se esse occidendum occasione huius ministerij. Quinto ex hoc quòd tantũ malũ prouenit ex defectu huius cibi, scilicet ariditas animæ siue arefactio. Dauid, Aruit cor meũ: quia oblitus sum comedere panẽ meum. Item, Esurientes & sitientes &c. Sicut deficit vita corporalis sine cibo corporali: sic & spiritualis sine cibo spirituali. Velle viuere sine cibo est velle tentare deum. Itẽ in hoc quòd tentanti de cibo corporali opponit cibum spiritualem: datur intelligi quòd in quadragesima quando homines ieiunãt à cibo corporali, valde necessarius est eis cibus spiritualis.

Dominicæ secundæ in quadragesima sermo primus de euangelio.

EGressus inde Iesus, secessit in partes Tyri & Sidonis. &c. Interlin. Quæ fuerãt ciuitates gentiliũ. ***Et ecce mulier***

mulier Cananea à finibus illis egressa, &c. Hylarius, Terras in quibus iudeas est Cananei coluerunt, qui vel bello consumpti, vel in loca vicina dispersi, vel in seruiciũ subiecti, nomen tamen sine patria sede circũferunt. Ex illa vero dispersione, ista Cananea est Syrophenissa genere, hoc est ex Syris & Phenicibus orta. Gentilis itaque est, etsi Iudæis annexa. Æstimatur autem ex lege cognouisse quòd Christum & dominum & Dauid filium cõfitetur. *Egressus Iesus secessit, &c.* In hoc euangelio quinque personę tanguntur, videlicet Dęmonium filiam mulieris vexans: Filia à dæmonio vexata: Mater pro filia orans: Et cætus apostolorum eam iuuans: Et dominus mulieri clamanti primo non respõdens, sed ad vltimũ plene exaudiens. Et de qualibet harum personarũ dicetur aliquid pertinens ad ædificationẽ nostram. Circa primum notandum quòd ecclesia in tribus primis dominicis quadragesimæ in euangelio loquitur de diabolo. In principio ostendit quomodo impugnet sanctos quos nondũ possidet. Hoc enim ostẽditur in trina tentatione domini. In secunda dominica ostenditur quomodo se habeat ad eos quos iam possidet: male enim vexat eos. In tertia quomodo se habeat ad eos quos iam amisit: maltum enim conatur ad recuperandum eos. Vnde assumit secum septẽ spiritus nequiores se: & ingressi habitant ibi &c. Lucæ 11. De vexatione vero quam facit diabolus ei qui est in peccato, notandũ quòd licet peccator exterius delicias habeat: tamẽ interius habet vexationem & miseriã. Aug. primo li. Confession. Domine iussisti, & sic est, vt pæna sibi sit inordinatus animus. Itẽ Aug. Minus ordinata inquieta sunt: ordinata vero quiescũt. Hiere. 16. Seruietis diis alienis qui nõ dabunt vobis requiẽ die ac nocte &c. Hæc afflictio potest tripliciter ostẽdi. Primo per hoc quòd peccatores iacẽt infirmi in lecto cõsciẽtiæ spinis vitiorũ pleni. Sicut enim lectulus cõscientiæ in bonis est floridus, Cant. 1. sic in malis est spinosus. Cant. 7. Nunquid colligis de spinis vuas? &c. quasi. d. non. Ita nec cum vitiis est vera quies. Secundo per hoc quòd pecator est in tali statu in quali ille esset quem continue canis morderet. Consciẽtia enim mordet & remordet facinorosos. Ipsa est mulier litigiosa cum qua homo vere nõ quiescit. Prouer. 27. Tecta iugiter perstillantia. &c. Tertio per hoc

angelus. vnde cum ex partibus tam dissimilibus constet: nō est mirū si cibus animæ est verbū dei. Circa quē cibum multi valde negligētes sunt. Quorū negligētia ostenditur esse valde reprehensibilis ex quinque. Primo ex hoc quòd animalia irrationabilia cibū suum agnoscunt & quærunt, & frequētāt loca vbi eum inuenire possunt: vt aues quæ de grano viuunt frequentant areas, & quæ viuunt de racemis frequentant vineas. Pisces etiā currunt ad cibum in aqua proiectum. Solus homo qui est creatura rationalis cibum animæ suæ non agnoscit nec quærit & si ei porrigatur fugit. Prouer. 6, Vade piger ad formicā &c. Secundo per hoc quòd natura instruit eum de cibo quærendo. Sap. Cetera animalia natura deiecit ad pastū: hominē vero erexit ad sydera. Tertio per hoc ꝙ iumentis suis de cibo prouidet: animæ autē suæ cibum negligit prouidere. Seneca, Nihil est cuique se vilius. Quarto per hoc quòd filius dei tantū fecit vt homini prouideret cibum istum. Mar. 1, Eamus in ciuitates & vicos proximos vt ibi prædicem: ad hoc enim veni. Noluit dominus hominē recipere negligenter hunc cibum quē voluit ministrare cum tanta paupertate: tanto labore: tanta contradictione: cum præuideret se esse occidendum occasione huius ministerij. Quinto ex hoc quòd tantū malū prouenit ex defectu huius cibi, scilicet ariditas animæ siue arefactio. Dauid, Aruit cor meū: quia oblitus sum comedere panē meum. Item, Esurientes & sitientes &c. Sicut deficit vita corporalis sine cibo corporali: sic & spiritualis sine cibo spirituali. Velle viuere sine cibo est velle tentare deum. Itē in hoc quòd tentanti de cibo corporali opponit cibum spiritualem: datur intelligi quòd in quadragesima quando homines ieiunāt à cibo corporali, valde necessarius est eis cibus spiritualis.

Dominicæ secundæ in quadragesima sermo primus de euangelio.

EGressus inde Iesus, secessit in partes Tyri & Sidonis. &c. Interlin. Quæ fuerāt ciuitates gentiliū. *Et ecce*

mulier

mulier Cananea à finibus illis egressa, &c. Hylarius, Terras in quibus iudeas est Cananei coluerunt, qui vel bello consumpti, vel in loca vicina dispersi, vel in seruiciũ subiecti, nomen tamen sine patria sede circunferunt. Ex illa vero dispersione, ista Cananea est Syrophenissa genere, hoc est ex Syris & Phenicibus orta. Gentilis itaque est, etsi Iudæis annexa. Æstimatur autem ex lege cognouisse quòd Christum & dominum & Dauid filium cõfitetur. *Egressus Iesus secessit, &c.* In hoc euangelio quinque personę tanguntur, videlicet Dęmonium filiam mulieris vexans: Filia à dæmonio vexata: Mater pro filia orans: Et cætus apostolorum eam iuuans: Et dominus mulieri clamanti primo non respõdens, sed ad vltimũ plene exaudiens. Et de qualibet harum personarũ dicetur aliquid pertinens ad ædificationẽ nostram. Circa primum notandum quòd ecclesia in tribus primis dominicis quadragesimæ in euangelio loquitur de diabolo. In principio ostendit quomodo impugnet sanctos quos nondũ possidet. Hoc enim ostẽditur in trina tentatione domini. In secunda dominica ostenditur quomodo se habeat ad eos quos iam possidet: male enim vexat eos. In tertia quomodo se habeat ad eos quos iam amisit: multum enim conatur ad recuperandum eos. Vnde assumit secum septẽ spiritus nequiores se: & ingressi habitant ibi &c. Lucæ 11. De vexatione vero quam facit diabolus ei qui est in peccato, notandũ quòd licet peccator exterius delicias habeat: tamẽ interius habet vexationem & miseriã. Aug. primo li. Confession. Domine iussisti, & sic est, vt pæna sibi sit inordinatus animus. Itẽ Aug. Minus ordinata inquieta sunt: ordinata vero quiescũt. Hiere. 16. Seruietis diis alienis qui nõ dabunt vobis requiẽ die ac nocte &c. Hæc afflictio potest tripliciter ostẽdi. Primo per hoc quòd peccatores iacẽt infirmi in lecto cõsciẽtiæ spinis vitiorũ pleni. Sicut enim lectulus cõscientiæ in bonis est floridus, Cant. 1. sic in malis est spinosus. Cant. 7. Nunquid colligis de spinis vuas? &c. quasi. d. non. Ita nec cum vitiis est vera quies. Secundo per hoc quòd pecator est in tali statu in quali ille esset quem continue canis morderet. Consciẽtia enim mordet & remordet facinorosos. Ipsa est mulier litigiosa cum qua homo vere nõ quiescit. Prouer. 27. Tecta iugiter perstillantia. &c. Tertio per hoc

quòd peccator est portitor oneris diabolici ad collum quod non deponit nec de die nec de nocte, nec diebus festiuis. In Psal. dicitur de iniquitatibus, Sicut onus graue grauatæ sunt super me. Quomodo sine vexatione esse potest, qui tantum onus continue portat? Peccatum est onus quod cælum sustinere non potuit, nec terra ad vltimum sustinebit immo oportebit quòd ad infernum descendat. Ponderositas peccatorum patet ex alleuiatione quam sentit peccator cum peccata sua confessus est, & reliquit. Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, &c. intellige respectu oneris diabolici. Circa secundũ notandũ quòd filia huius mulieris licet à dæmonio male vexetur: tamen non legitur rogasse dominũ pro sua liberatione. Insani & dæmoniaci bene sciũt laqueum querere absconditũ quo se strangulẽt, vel ignẽ, vel aquã vt se præcipitent: sed medicum vel remedium salutis nesciunt querere: sic peccatores quos diabolus possidet, sapientes sunt vt faciant mala: bona autem facere nesciunt. Iere. 4. Et notandum quòd secundum glosam, sub persona mulieris mira fides ecclesiæ, & patientia & humilitas prædicatur. Fides quia credit eum posse sanare filiam. Patientia: quia totiens despecta in precibus perstat: Humilitas quia se non canibus sed catulis comparat. Circa tertium notandum quòd mulier ista multum affectabat salutem filiæ suæ: sicut ostendit instantia precum ipsius. in quo datur exemplum matronis, vt si videant filios suos in potestatem diaboli, multum affectẽt liberationem eorum. Aliter possumus notare sex circa hanc mulierem, quæ ad instructionem nostram pertinent. quorũ primum est quòd clamat. Secundum quòd clamando sapienter allegat, ibi, Miserere mei domine fili Dauid: filia mea male à dæmonio vexatur. Tertium est quòd in clamore perseuerat: quod patet ex hoc quòd dicunt discipuli, Dimitte eam: quia clamat post nos. Quartum est quòd saluatori appropinquat, ibi, Et adorauit. Quintum est quòd se humiliauit, ibi, etiam domine. Nam & catelli edunt de micis, &c. Sextum est quòd fidei magnitudine salutem filiæ suæ impetrat est. vnde dictum est ei a domino, O mulier, magna est fides tua. Et etiam circa primũ nota quòd clamor quem dominus audit, est magnitudo desiderij. Da

uid,

uid, Desiderium pauperũ exaudit dominus. Hic fuit clamor quo clamauit Moyses Exo. 14. & Susanna, Dan. 13. Circa secundum notandum quòd mulier ista, quatuor ostendit clamore suo, quæ poterant mouere saluatorem vt eius misereretur. Quorũ primum est misericordia, quæ innuitur ibi, Miserere mei. Ipsa miseriam filiæ suæ, per compassionem, suam fecerat: ideo misericordia digna erat. Misericors enim, dignus est misericordia. Misericordia amat misericordiam. Ecclesiasti. 13. Omne animal diligit sibi simile. Secundũ est magna miseria. Abyssus enim miseriæ, abyssum inuocat misericordiæ. Quod ostenditur ibi, Filia mea male à dæmonio vexatur. Tertiũ est saluatoris potentia, quam ostendit cum dicit, Domine. Quartum est patris eius exẽplum, qui fuit misericors, ibi, Fili Dauid. vnde 1. Mach. 2. Dauid consecutus est in sua misericordia sedem regni in secula. Dauid etiã malignum spiritum effugabat à Saule, sic ista appetebat effugari dæmomoniũ à filia. Circa tertium notãdum quòd perseuerãtia multum valet in oratione, sicut dominus ostendit in Luc. 18. per exemplum de vidua: & per amicum petentem panes. Luc. 16. Rom. 12. Orationi instantes. Qui petitionem facit in curia domini papæ, non desistit, licet non statim exaudiatur. Circa quartum notandum quòd mulieri à longe clamanti non respondit dominus: sed cum ei appropinquasset & adiuuari ab eo petiisset, tunc ei respondit. Sic non exaudit dominus eos qui in luto peccati sunt, licet clament nihil aliud vt exeant à peccato faciẽtes: ranis similes quæ à palude exire nolũt licet multũ clament. Talibus comminatur dominus Soph. 1. Visitabo super viros defixos in fecibus suis. Illos exaudit dominus qui gressu desiderij & boni operis approximant. Illos iuuat deus qui se iuuant: humiliat se. Circa quintum notãdum quòd Mulier ista se humiliat: & facto; & verbo. Facto adorãdo. Verbo vero quadrupliciter. Verbo vero humiliat se, Catellis se comparando: micas postulando: fideles dominos suos vocando: indignam mensa filiorum se reputando. In quo multi peccatores sunt ei dissimiles, qui dedignantur sedere ad mensam domini tanquam reputantes eam indignam discubitu suo: cum ipsi potius ea sint indigni, scilicet tanquam canes. Apocal. vltimo. Foris canes, &c. In

hoc autem quòd dicitur, De menſa dominorum ſuorum, innuitur quòd peccator qui ſalutem vult obtinere, tantæ debet eſſe humilitatis, vt bonos reputet dominos ſuos tanquam filios domini ſui, ſcilicet dei. Solent enim homines filios dominorum ſuorum vocare dominos. In hoc etiam quòd dicitur quòd catelli edunt de micis: inſinuatur quòd humiles medulla ſacræ ſcripturæ reficiuntur. Mica enim de interiori parte panis eſt. Et notãdum quòd humilitas orantis multum valet ad impetrandum. Eccleſiaſtici 25. Oratio humiliantis ſe nubes.pe. Dauid. Reſpexit orationem hu.&c. Centurio poſt illud verbum, Domine non ſum dignus,&c. audiuit, Sicut credidiſti fiat tibi. Matth. 8. & Luc. 15. Poſtquã filius prodigus dicere propoſuit, Non ſum dignus nominari filius tuus, Pater accurrẽs cecidit ſuper collum eius: & oſculatus eſt eum, & ait Cito proferte ſtolã primam,&c. Et poſtquam hæc mulier catello ſe cõparauit, audiuit, Fiat tibi ſicut vis. Mar. 7. Sic habetur. Propter hunc ſermonem: vade: exiit dæmonium de filia tua. Circa ſextum notandum quòd fides debet eſſe magna in quatuor, ſcilicet, Certitudine potẽs, ſed contra omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſciẽtiam dei 2. Cor. 10. Fiducia impetrandi. Matth. Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis,&c: Cõſtantia in aduerſis: qualis erat fides Pauli. Ro. 8. Quis nos ſeparabit à charitate dei?&c. Contemptiua bonorum temporalium. Hebr. 11. Fide Moyſes grandis effectus negauit ſe eſſe filiũ filiæ Pharaonis,&c. Circa cætũ apoſtolorum mulieri ſuffragantiũ notandũ quòd etiã non rogati iuuant eã dicentes, Dimitte eam, quia clamat poſt nos. Dominus quodammodo tenebat eam ligatam ſpe & deſiderio optinendi ſalutem filiæ ſuæ. Ex facto apoſtolorũ debemus ſperare quòd ſancti iuuabunt nos orationibus ſuis ante deum, ſi deuote petierimus. In quo aliqui errant parum confidentes de ſuffragiis ſanctorum: non attendentes quòd ſancti dum fuerunt in vita præſenti tantum deſiderabãt ſalutem animarum quòd pro illa morti ſe expoſuerunt. Quid ergo facient modo cum charitas eorum non decreuerit, ſed potius creuerit? Eſa. 31. Viuit dominus cuius ignis in Sion: & caminus in Ieruſalem. Nunquid poſſunt ſancti obliuiſci deuotionem quam eis homines exhibent? Circa ſaluato-

rem

rem notandum quòd primo videtur se habuisse dure ad mulierem cum ei verbum non respōdit. Apostolos etiam pro ea rogantes non exaudiuit. Eam etiam cani comparauit. Mulier tamen humili perseuerantia quod petebat impetrauit. Sciendum est ergo quod quinque de causis dominus distulit eam exaudire. Primo vt oportunius eam exaudiret. Ipse enim exauditor est in oportunitatibus in tribulatione: vt habetur in Psalm. Secundo vt longanimitatem & patientiam eius probaret, vt tangit interlinearis. Pacientiam eius probauit comparando eam cani. Gre. Qualisquisque apud se lateat: illata contumelia probat. Tertio vt suos in oratione perseuerare doceret. Lu. 11. Si perseuerauerit pulsans dabit illi, &c. Chrysost. Magna vis est instantiæ orationis. Quod Apostoli non obtinuerunt, ipsa perfecit: etenim pro nostris noxis magis vult à nobis rogari quam ab aliis, quamuis magis liberam pręsentiam habeant. Quarto vt occasionem illi verbo daret, Nam & catelli edunt de micis, &c. vnde Chrysost. Propter hoc tardabat Christus: sciebat enim hoc dicturam. Quinto vt desiderium mulieris dilatione cresceret. Greg. Sancta desideria dilatione crescunt: si autem dilatione deficiūt, desideria non fuerunt. Augu. si aliquando dominus tardius dat: commendat dona, non negat. Diu desiderata dulcius obtinentur: cito autem data vilescunt. Seruat tibi Deus quod non vult cito dare: vt & tu discas magna magne desiderare: Ardor desiderij mulieris humiliter orantis impetrauit dæmonij expulsionem. Tob. 6. dicitur quòd fumus procedens ex corde piscis asso extricabat omne genus dæmoniorum. Fumus iste est deuotio orationis de corde ardenti procedens. Specialiter est aduertendum verbum quod dominus dixit mulieri, Non est inquit bonum sumere panem filiorum, &c. Vbi innuitur quantum distet inter bonos & malos. Quanta sit dignitas bonorū: & quanta vilitas malorum. Boni sunt filij dei. Ioh. 3. Nūc filij dei sumus: sed nondum apparuit quid erimus. Mali vero, canes sunt diuino iudicio. Notandum quòd peccator in quatuor cani comparatur. Primum est impudentia. Non erubescit canis coram rege rusticitatem suam: nec peccator coram deo committere abominationem peccatorum suorum. Secundum est, insatiabilitas. Patitur enim

peccator ad modum canis famē insatiabilem. vnde filius prodigus qui tenet figuram peccatorū dicit Luc. 15. Ego autem hic fame pereo. De his duobus Esa. 56. Canes impudentissimi nescierūt saturitatem. Tertium est oris immūdicia: resumit enim quod euomit. Sic peccator ea quæ confitendo euomit, recidiuando iterum committit. Prouer. 26. Sicut canis qui redit ad vomitū: sic, &c. Inter peccatores vero immundius os videtur habere detractor, qui sordes aliorum incessantur ruminat. Quartum est, oris noxietas. Canis ore mordet: & interdum venenum effundit. Sed non minus nociuum est os peccatoris, immo multo amplius. Nullum animal ore tantum potest nocere quantum homo. In Psalm. Quorum os maledictione & amaritudine plenum est. Item, Venenum aspidum sub labiis eorum. Ecce mulier Chananea, &c. Hæc mulier Chananea potest significare animam per pœnitentiam commutatam à vetustate vitæ in nouitatem. Chananea enim interpretatur commutata: & specialiter animam intrantis religionem. Dicta est enim Syrophenissa, Mar. 7. & interpretatur alte conuersa. Talis enim mundum deserens pennis virtutum ad statum sublimiorem euolat. Dauid, Quis dabit mihi pennas sicut aquilæ, &c. & Esa. 40. Assument pennas vt aquilæ, &c. Chananea etiam interpretatur negociatrix. Et talis negociatur, temporalia pro eternis commutando. Matth. 13. Simile est regnum cælorum homini negociatori quærenti, &c. Prouer. vlt. Gustauit & vidit quoniam bona est negociatio eius. Hæc mulier erat egressa de finibus Tyri & Sydonis. Tyrus interpretatur angustia vel tristicia: vnde significat cupiditatem mundi quam concomitatur tristitia & angustia magna. Ecclesiastici 27. Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur: sic inter medium venditionis & emptionis angustiabitur peccatis. Hæc angustiatio accidit ex hoc quòd vterque intendit lucrari. De tristitia habetur Ecclesiastici 11. Est homo laborans & festinans & dolens impius: & tantò amplius non abundabit. Propter dolorem annexum diuitiæ dicuntur spinæ. Matth. 13. Prouerb. 2. Conturbat domū suam qui, &c. Sydon carnalem voluptatem significat. Interpretatur enim venatio tristitię. Qui delectationes quęrit, tristitiam venatur: quia risus dolore miscebitur: & extrema

trema gaudij luctus occupat. Prouer. 14. Nō solum etiam de Tyro & Sydone exeundum est sed etiam de finibus, vt etiam occasiones horum vitentur. Diabolus libenter retinet hominem inter fines Tyri & Sydonis. Exod. 8. dixit Pharao, Ego dimittam vos vt sacrificetis deo vestro, &c. veruntamen longius ne abeatis. Qui deserit ea per quæ fit appropinquatio ad peccatum, de finibus Tyri & Sydonis exit. Verbi gratia, Fines Sydonis, idest carnalis voluptatis facit Ociositas, Delectabilitas cibi & potus, Lectorum & vestium suauitas, Familiaritas personarum cum quibus peccari potest, vel per quas potest procurari peccatum, Frequentatio loci in quo datur occasio peccandi, Solitudo cum muliere. Nota singula. De ociositate. Ecclesiastici 33. Multa mala docuit ociositas. De delitiis. Bernar. Periclitatur castitas in delitiis. Ephe. 5. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. De vestibus. Mat. 11. Quid existis videre? hominem mollibus vestitum? &c. De lecto. Prouer. 6. Intexui funibus lectū meum: straui tapetibus ex Ægypto. De familiaritate. Ecclesiastici 9. Cū saltatrice ne assiduus sis, nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius. Et post, Cum aliena muliere ne sedeas omnino nec acquiescas circa, &c. De procurante peccatū legitur Iudith. 12. vbi Olofernes dixit Vagao: Vade: suade Hebræam vt sponte, &c. & subditur postea, Non vereatur, inquit Vagao, bona puella intrare ad dominū meum, &c. De loci frequentatione habetur Danielis 13. De præsbyteris, Isti frequentabant domum Ioachim: & veniebant ad eam omnes qui habebant iudicia. Et videbant eam senes quotidie ingredientem & deambulantem: & exarserunt in concupiscentiam eius. De solitudine cum muliere legitur Genesis 39. Accidit quadā vie vt intraret Ioseph domum: & operis quippiam absque arbitris faceret: & illa apprehensa lacinia vestimenti eius diceret, Dormi mecū, &c. Fines Tyri, id est cupiditatis, sunt ea quæ dant occasionem tollendi aliena: vt est multitudo familiæ. Naum. 2. Leo sufficienter cepit catulis suis: & necauit leænis suis. Gen. 19. Non stes in omni regione &c. Filia huius mulieris sensualitas est, quæ frequenter agitatur etiā postquam anima exiuit de finibus Tyri & Sydonis. Hiero. de se. Caro mea denigrata erat sicut Æthiops: & adhuc incentiua-

libi

libidinis pullulabant. Clamabat dicens, Miserere nostri, &c. Notãdum quòd duæ sunt species orationis. Quædam est fructuosa, quædam infructuosa. Fructuosa vero continet quattuor species. Prima fit verecundo & humili affectu. Talis fuit oratio publicani qui non audebat oculos suos leuare ad cælum. Lucæ 18. Et talis videtur fuisse oratio huius mulieris: & etiã filij prodigi dicentis, Pater peccaui in celum & coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus. fac me sicut vnum de mercenariis tuis. Lucæ 15. Verecundia multum placet deo in penitente. Ber. Quantũ displicet deo impudentia peccatoris: tantum placet erubescentia pænitentis. Secunda species fit puro affectu. Talis fuit oratio Susannæ dicentis, Dan. 13. Domine tu scis quia hæc maliciose cõpo. ad me &c. Tertia species fit lato affectu. Sic orauit Moyses, dicens, Exo. 33. Aut dimitte eis hanc noxam: aut dele me, &c. Quarta species fit grato affectu, quæ est cum gratiarum actione. vnde beata virgo, Lucæ. 1. Magnificat anima mea do. Sed gratiarũ actio debet habere humilitatem: aliter discordaret in auribus dei: sicut accidit in superbo Pharisæo, qui gratias agebat quia non erat sicut ceteri hominum. Luc. 18. Infructuosa vero oratio similiter habet quattuor species. Prima est simiaca, de qua Mat. 15. Populus hic labiis me honorat: cor &c. Augu. Quid prodest strepitus labiorum vbi mutum est cor? Secunda est oratio incircunspecta: de qua Mat. 20. Nescitis quid petatis. Tertia species est oratio criminosa, quam faciunt qui sunt in magnis criminibus sine humilitate vel reuerentia. Esa. 1. Cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Quarta species est oratio ridiculosa, qualis est oratio superborum & hypocritarum. Superbi confidẽtes in multitudine operum suorum quasi irrident deum dum manibus plenis eleemosynam à deo petunt. Talis fuit oratio superbi Pharisei. Lucæ 18. dicentis, Ieiuno bis in sabbato, &c. Oportet manus habere vacuas per humilitatem, siquis vult impetrare gratiam à deo. Oratio etiam hypocritarum ridiculosa est: qui cum petant eleemosynam ab eo qui in celis est: manus tamen ad terram tendunt aliud terrenum intendendo.

Domi

Dominicæ tertiæ in quadrageſima
SERMO PRIMVS.

ERat Ieſus eiiciens dæmonium,& illud erat mutum,&c.Luc.11.

Hoc Euangelium octo continet, videlicet Quòd primo ſaluator miracula operatur. Secũdo turba admiratur, ibi Et admiratæ ſunt turbæ. Tertio Phariſei blaſphemant,ibi,Quidam autẽ ex eis,&c.Quarto quidam eum tentant,ibi,Et alij tentantes &c. Quinto ſaluator blaphemiam contra ſe dictam deſtruit,ibi,Ipſe autem vt vidit cogitationes eorum. Sexto Iudeos reprehendit oſtendens eos eſſe peiores quam eſſent ante legis ſuſceptionem, ibi, Cum immundus ſpiritus. Septimo mulier quedam eum laudat,ibi, Factum eſt autem cum hoc diceret. Octauo ſaluator mulieri reſpondit, auditores verbi dei & factores beatos eſſe oſtendendo,ibi,Quinimo beati qui audiunt verbum dei & cuſtodiunt illud. Erat Ieſus eiiciens dæmonium.Hoc factum plenius narrat Matt.12. vbi ſic legitur, Oblatus eſt Ieſu vnus dæmonium habens, cæcus & mutus: & curauit eum ita vt loqueretur & videret. Circa quod factum tria nobis attendenda ſunt pertinentia ad ædificationem noſtram, videlicet Magna miſeria patientis:Magna miſericordia ſubuenientis: Et quòd oblatus ab alio eſt curatus. Nota ergo quòd miſeria patientis triplex fuit:& quælibet illarum tanta fuit, quòd ad grauamen ſufficere potuit. Magna miſeria eſt habere dæmonium.Mat.12. Filia mea male à de.Item, magna miſeria eſt cæcitas.Tob.5.Quale gaudium mihi erit,&c.Item, magna miſeria eſt eſſe mutum. Qui enim mutus eſt,eſt quaſi animal brutum. Magna vero miſericordia ſaluatoris quæ totaliter ab hac miſeria eum liberat: cùm liberatio ab vna earum magnum fuiſſet beneficium.Item, Liberatur autem non ſuam liberationem poſtulãs, ſed ab aliis oblatus. Tenet autem figuram peccatoris iſte dæmoniacus cæcus & mutus, in quo hæc triplex miſeria inuenitur. Qui enim peccatum mortale committit, ſpiritũ ſanctum quaſi manibus ſuis à ſe expellit: & ſpiritum malignum in ſe introducit.vnde habet dæmonium quod in eo dominatur.

tur.Augu.super illud,Immissiones per Angelos malos. In malũ inquit,potest Diabolus sicut in suo pecore,nisi prohibeatur à maiore 2.Tim.2. A Diabolo captiui tenẽtur ad ipsius volũtatem.& 2.Petri 2.A quo quis superatur, eius & seruus est. Postquam Diabolus intrauit in aliquẽ ipse facit ad modum latronis,qui ingrediens domum lumen extinguit:& os eius quem vult spoliare,obstruit,ne clamans succursum habere possit. Sic Diabolus illum in quo potestatem habet,cæcum & mutum facit.Ioã.3.Qui male agit, odit lucem.Fures timent diem. Iob 24.Si subito apparuerit aurora,arbitrantur vmbram mortis.Item, Fur infernalis cæcitatem procurat.Esa.42.Quis cęcus nisi qui venundatus est?scilicet per peccatum.Ardor praui desiderij peccatorẽ excæcat: sicut visus dicitur excæcari ad peluim ardentem,& Tob.2.Excæcatus est calidis stercoribus, Psal. Supercecidit ignis,&c.Aug.Spargis pœnales cæcitates super illicitas cupiditates. Diabolus etiam procurat vt peccator sit mutus,ne orando vel confitendo impetret consilium vel auxilium quo à potestate ipsius eripiatur. Et notandum quòd sicut alia irrationabilia animalia dicuntur muta,licet aliquam vocem emittant,quia vox illa non est formata: sic peccator dicitur mutus quia non habet verba debita.Nemo dicit canem loqui licet assidue latret:vel ranam licet coaxet.Aug.Domine, væ tacentibus de te: quia loquaces muti sunt.Circa primam miseriam notandũ est quòd peccator ad modum dæmoniaci habet magnã vexationem.Esai.57.Impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest.in eodem,Non est pax impiis, dicit dominus. Item ad modus dæmoniaci gaudet de hoc quòd dolẽdum esset.vnde prouer.1.Lætantur cum malefecerint.&c. Sibi etiam ad modum dæmoniaci nocet. Sæpe cadit in ignem iræ:& sæpe in aquam voluptatis prohibitæ vbi submergitur.Mat. 17. Laqueos occultos vsuræ exquirit vt se strangulet.Prouer. 27. Cor iniqui exquirit mala.Item,sibi manus iniicit. Sap. 16. Homo per maliciam occidit animam suam.In alios insilit:& dentibus mordet.vnde.Mat.8.Occurrerunt ei duo habentes dæmonia sæui nimis, vt nemo posset transire per viam illam.Gal. 5. Si inuicem mordetis & comeditis vi.&c. De cæcitate peccatoris require in dominica.50. Circa tertiã miseriam notandum quòd ad tria

reddit

reddit Diabolus hominem mutum. Ad sui accusationem: Ad dei laudem. Ad proximi ædificationē. De primo prouer. 28. Qui abscondit. &c. Ecclesiastici. 17. A mortuo quasi nihil perit confessio. Peccator enim mortuus est. Vnde nō est mirum si mutus est: qui mortuus est. Septem vero sunt quæ hominem reddunt mutum ad confessionem. Primum est pudor. Ecclesiastici. 4. Non confundaris &c. Ber. O insania: ablui pudet: & inquinari non pudet. Secundū est dilatio spe recuperanda. Sopho. 2. Vox can. in fe. & coruus in superli. Contra quod dicitur Ecclesiasti. 5. Non tardes con. ad, &c. Tertium est diffidentia perseuerandi in pænitentia, proueniens ex multiplici recidiuatione. Hanc diffidentiā habent qui in deo spem suam non posuerunt. Esa. 40. Qui sperant in domino, mutabunt fortitudinē. Quartum est hypocrisis vel vana gloria. Dicit enim hypocrita: Ego credor bonus: Quomodo ergo hoc peccatum confiterer? Ozeæ 13. Colligata est iniquitas Ephraym: absconditum est peccatum eius. Quintum est timor pænitentiæ nō assuetæ. 1. Machabe. 5. Si timuerit Iudas transire & posuerit castra contra flumen: transfretemus ad illos, & poterimus aduersus illum. Qui sic timet pænitentiam non assuetam: similis est habēti apostema qui non sustinet quòd sanies effundatur donec cancer eum inuaserit. Ecclesiastici. 18. Ante languorum adhibe medicinam. Sed sunt quidā qui foliis ficuum sicut Adam operiunt se. Genes. 3. Qui discretius facerent si massam ficuum tollerent, & inde vlceri suo cataplasma facerēt, vt Ezechias fecit: Esa. 38. Ficus dulcedinem habens, peccatum significat. Vnde de massa ficuum cataplasma facit, qui de ipsis peccatis medicinā facit erubescendo de ipsis in confessione. Sextum est fictio, quod impedimentum multum commune est. Bern. Ignosce domine, ignosce, excusamus: tergiuersamur. Vix est aliquis qui in his quæ ad te sunt, experiri velit quid possit: etiam quod promptissime potest secūdum carnem vel seculum: siue timor impulerit, siue cupiditas traxerit. Rom. 6. Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, &c. Septimum est incuria siue negligentia malæ consuetudinis. Prouer. 18. Impius cum venerit in profundum peccatorū, contemnit. Ad ædificationem proximi hominem mutum reddit culpa. Psalmis, Iniquitas opilabit os suum. Prouer. 22. Sus

Reddit Diabolus hominem mutum.

20. Suauis est ho.pa.men.&c. Item. Auaricia. Matt. 25. Qui autem vnum talentum acceperat: abiens fodit in terram. A laude vero dei mutum facit superbia. Superbus enim se laudat cùm deberet deum laudare. prouer. 27. Laudet te alienus & non os tuum. 2. Cor. 10. Non enim qui seipsum commendat, &c. Notandum quòd septem valde periculosa videntur esse ministris ecclesia. Primũ est quòd pauperes defraudant à sua portione temporalium bonorum: quod est quasi homicidium. Ecclesiasti. 34. Panis egentiũ, vita pauperis est: qui defraudet illum, homo sanguinis est. Secundũ est quòd eos qui sunt in periculo decipiunt. Tenentur naufragantibus subuenire & non faciunt. In cura habent grauiter infirmãtes: nec de hoc curant. Filios suos vident duci ad mortem, nec resistunt. Prouer. 24. Erue eos qui, &c. Tertium est: quod illos qui ardent in purgatorio debent orationibus suis liberare & hoc negligunt. Augu. Miro modo grauis est ignis ille, licet æternus non sit: exuperat enim omnem penam quam aliquis in hoc mundo perpessus est. Quartum est quòd spiritum sanctum vendunt per peccatũ symoniæ. Damasus papa, Cetera crimina comparatione symoniacæ hereseos pro nihilo reputãtur. Quintum est quòd filium dei in sacramento altaris conculcant. Hebr. 1. Irritam quis fa.le.Moy. &c. Quantomagis. &c. Sextum est quod filios suos fame verbi dei perire permittunt. Greg. Qui non studuit sollicitus esse in prædicatione: particeps factus est in damnatione. Septimum est quòd venenatis exemplis pascendo filios suos occidunt. Zachariæ 11. Pasce pecora occisionis: quæ qui possederant occidebãt 1. Tim. 4. Exemplum esto fidelium in verbo & conuersatione. Titum 2. In omnibus temetipsum præbe exemplũm bonorum operum &c.

Sermo secundus de eodem.

Erat Iesus eiiciens dæmonium, &c.

Notandũ est quòd opus saluatoris est dæmonium eiicere. Notandum est quòd saluator dæmonium eiecit. Primo de cælo Eze. 28. Tu cherub peccasti, & eieci te. Secundo de corporibus obsessis: vt hic habetur. Item, Eiecit eum de mundo in passione sua. Ioan. 12. Nunc princeps huius

huius mundi eiicietur foras. Quotidie etiam eiicit illud ab animabus. Væ illis qui assumpserunt officium contrarium officio saluatoris, introducentes diabolum in homines. Potius videtur tales esse antichristi quam Christiani. Tales sunt suasores vel consultores malitiæ: vel turpitudinis. Notandum quòd multis modis spiritualiter diabolus ab homine eiicitur. Vno modo auditu verbi diuini 1. Re.16. Dauid percussit cytharã & refocillabatur Saul. Quę cythara figuram tenet sacræ doctrinæ qua eiicitur diabolus. Secũdo eiicitur diabolus aqua vt cum ille in quo erat mergitur aqua: fugit diabolus nolens submergi. Quod verum est de aquis lachrimarum & de aqua sapientiæ salutaris. Psalmus, Contribulasti capita draconum in aquis. In aqua sapientiæ totum se mergit qui se ponit in studio. Et tunc diabolus solus solet eum relinquere: vt accidit scholaribus qui in patria sua male viuunt. Parisiis vero in studio bene se habẽt. Tertio eiicitur diabolus per orationem. Tob. 6. Dixit angelus Tobiæ. Particulam cordis si super carbones ponas, fumus extricat omne genus dęmoniorũ. Fumus iste est deuotio orationis. Particula cordis super carbones ponitur: cum affectus igne diuini amoris accenditur. Quarto eiicitur diabolus per ieiunium: sicut fames lupũ facit exire à nemore. Mar.9. Hoc genus dęmo. non eiicitur nisi in o. &c. Mat.12. Cum immũdus spiritus exierit ab homine, &c. Quinto eiicitur virga disciplinæ. Prouer. 22. Stultitia colligata ęst in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam. Legitur de beato benedicto qui percussione fugauit diabolum à quodã monacho qui solitus erat exire de monasterio fratribus se ponentibus in oratione. Sexto eiicitur diabolus clamoribus & increpationibus ad modum lupi. Hodie tamẽ potius acclamatur contra oues vel agnos quam contra lupos. Esa. 58. Clama ne cesses, &c. Septimo eiicitur serpens ab homine velut per frusta. Eiicitur velut cauda eius cum actus peccati exterior deseritur. Medium vero quando deseritur voluntas peccandi: vel cogitatio de peccato. Caput autem quando intentio mala deseritur. Ecclesiasti. 25. Non est caput nequius super caput colubri. In codẽ, Quasi à facie colubri fuge peccatum, &c.

Sermo tertius de eodem.

ERat Ieſus eiiciens dæmonium,&c.
Notandum quòd cum dæmonium dicatur eſſe in homine per peccatum: quaſi ſeptem habet dæmonia qui habet ſeptem capitalia vitia. Ideo debet inſtare erga ſaluatorē vt ea expellat à ſe qui à Magdalena expulit ſeptem dæmonia. Luc. 7. Facit autem ſcriptura mentionem de ſeptem dæmoniis quæ ad hæc ſeptē vicia poſſunt referri. Notandum ergo quòd primum dæmonium eſt Belzebub princeps dæmoniorum,de quo tangitur in euangelio hodierno. Ad hoc dæmonium pertinet ſuperbia quæ eſt regina peccatorum. Cui bene conuenit interpretatio nominis. Interpretatur enim Belzebub princeps muſcarum. Superbia eſt princeps ſuperborum Dominatur enim eis qui aſſimilantur muſcis. Superbi aſſimilantur muſcis: in inſtabilitate:in murmuratione:& in immunditia. Superbi ergo ſunt muſcis ſimiles quantum ad inſtabilitatem. Ipſi enim ſunt inſtabiles quia ſunt in pondere amoris qui eſt anchora mētis,vt dicit Gre. Ideo ſunt vt puluis quē proiicit ventus à facie terræ .Iob.27. Tollet eos ventus vrens:& velut turbo rapiet de loco ſuo. Ipſi ſunt paleæ igni comburēdæ. Luc.3.Paleas comburet igni inextinguibili. Murmurationē:quia inter ſuperbos ſēpet iurgia ſunt. Prouer. 13. Immunditiam:quia ſicut muſca in carnibus quibus inſidet corruptionem relinquit: ſic ſuperbia in carnalibus mentibus vermem relinquit inuidiæ. vnde Prouer.14. Putredo oſſium inuidia. Secundum eſt dæmonium quod inuaſit Saul,quod pertinet ad inuidiam 1.Reg.18.Poſtquam audiuit Saul choros cantantes,Percuſſit Saul mille,& Dauid decem millia: ait, Mihi dederunt mille, & filio Iſay decem millia: & ſequitur, Spiritus malignus in Seul & poſt, Non rectis oculis reſpiciebat Saul Dauid, &c. Inuidiæ eſt non recte aſpicere illum cui inuidet. Vnde nominatur inuidia eo quòd non ſinat recte videre. Tertium eſt dæmonium faciens mutum de quo habetur in euangelio hodierno & Mat. 12. habetur quòd habens demonium illud,erat cæcus. Secundum Hieronymum tria ſunt ibi facta miracula.Cæcus videt.Mutus loquitur. Poſſeſſus à dæmone liberatur. Et pertinet hoc dæmonium ad vi-

tium

tium gulæ, quæ habet tres effectus in homine. Ira enim impedit animum ne possit cernere verum. Ephe. 4. Sol non occidat super iracundiam vestram. Ligat linguam, quia ad litteram non permittit debito modo loqui: sed verba obiurgationis & blasphemiæ. Hominem in potestate diaboli ponit quod patet per inordinatos motus & gestus. Iracundus ad modum furiosi se habet: vnde quod suggerit ei diabolus statim cum impetu vult facere. Eph. 4. Nolite locum dare diabolo. Glosa, in ira perseuerando. Quartum est dæmonium de quo, Matth. 15. Filia mea male à dæmonio vexatur. Hoc pertinet ad dæmonium accidiæ. Ratio est vt mater voluntatis, quæ habet eam regere: voluntas vero accidiosi in bonis non inuenit saporem vel delectationem, quasi acetosa ei facta sint: vnde magnam habet afflictionem. Seneca, Tractatione bonarum artium occupandi sumus quotiens male habet inertia impatiens sui. Quintum est dæmonium quo vexabatur lunaticus ille de quo habetur, Matth. 17. & Mar. 9. Frequenter misit eum diabolus in ignem & aquam vt eum perderet. Hoc pertinet ad auariciam. Auarus est vt lunaticus secundum cursum lunæ patiens, idest secundum mutationem temporalium, quæ per lunam significantur: quæ crescit & decrescit. Sic temporalia variabilia sunt: & secundum ea auarus mutatur. Ecclesiast. 27. Stultus vt luna mutatur scilicet per prospera & aduersa. Quandoque mittitur in ignem, id est in ardorem luxuriæ succedentibus prosperis: quandoque in aquam stultitiæ, accedentibus aduersis. Sextum est dæmonium illud de quo legitur Marci 5. Occurrit Iesu homo in spiritu immundo qui domicilium habebat in monumentis, &c. Cui non erat legio: & porcos in mare precipitauit. Hoc dæmonium pertinet ad vitium gulæ quod immundum est: Maculat enim membrum in quo magis indecens est immundicia, scilicet os. Iud. 2. Hij sunt in epulis maculæ conuiuantes, Maculat etiam quia ad luxuriam trahit, Quia sicut dicit Hieronymus, venter & genitalia confinia sunt: & dum vnus ædacitate reficitur, alter ad contumelias excitatur, Monumenta sunt loca mortuorum fœtida. Domicilium ergo habet hoc dæmonium in monumentis: quia in corporibus gulosorum fœtidis in quibus velut in sepulchris

iacent animæ eorum prostratæ, à quibus vita gratiæ recessit. Num.11. Filij Israel prostrati sunt in sepulchris concupiscentiæ. Psal. Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira dei ascendit super eos. Hoc dæmonium recte vocatur legio: quia peccata multa concomitantur hoc vitium. Prouer.23. Cui væ: cuius patri væ: cui rixę &c. Gulosis debetur duplex væ, scilicet æternum, & temporale. De primo, Esa.5. Væ qui potentes estis ad bibendum vinum &c. De secundo, Proueb. 20. Luxuriosa res est vinum, & tumultuosa ebrietas. Ipsi etiam sunt foueæ, idest præcipitatio de peccato in peccatum. Prouerb.23. Profunda fouea est meretrix, & putẽs angustus aliena. Istis sunt sine causa vulnera: amittunt enim effectus membrorum sine ferro & gladio. His accidit suffusio oculorum non solum exteriorum sed etiam interiorum. Subtrahitur enim eis lux gratiæ. Sapient.5. Lux iustitiæ non illuxit nobis. Hoc dæmonium porcos in mare præcipitat, idest homines in luto voluptatis morantes, in amaritudinem æternæ damnationis. Septimum est dæmonium de quo legitur. Tob. 3. quòd dæmonium nomine Asmodeus occidit septem viros Saræ. Hoc pertinet ad peccatum luxuriæ. Eiusdem 6. Ostendam tibi quibus potest præualere dæmonium. His qui coniugium ita susc. vt deum à se &c. Psalm. Fiat via il. te.& lu.& angelus domini persę.eos. Illos qui fugiunt lumen sapientiæ & delicate viuunt persequitur spiritus luxuriæ & comprehendit.

Sermo quartus de eodem.

ET illud erat mutum.

Notandũ quòd in hac dominica legitur euangelium secundum Mattheum, quod ostedit hoc dæmonium fuisse cæcum & mutum: sed euãgelium secundum Lucam solum ostendit ipsum fuisse mutum: quia contra illos qui in tali tempore muti sunt à confessione peccatorum suorum, recitatur. Et sciendum quòd lupus non capit agnum per pedem sed per collum ne clamet: sic diabolus non capit peccatorem per pedem, immo permittit eum ire ad sanctum Iacobum: sed capit eum per collum, ne verbum confes

confeſſionis peccatorum per illud exire poſſit. Vnde multum conandum eſſet ad remouendum ab hominibus vinculum colli tempore iſto. Eſa.52. Solue vincla colli tui,&c. Septem vero ſunt per quæ induci poſſent peccatores ad confeſſionem peccatorum ſuorum. Primum eſt magnitudo periculi in quo ſunt,quia ſunt in ore diaboli. Iob.36. Saluabit te ex ore an. la. Os diaboli anguſtum eſt exire volenti: ſed, latiſſimum intranti. Secundum eſt facilitas remedij 4. Reg.5. Vade lauare ſep. in Ior. &c. Ibidem, Si rem grandem dixiſſet tibi pro.&c. Tertium eſt tenuitas impedimenti. Prudor, ſcilicet quem quaſi quoddam frenum diabolus peccatori impoſuit vt ad voluntatem ſuam eum ducat. Iaco. 3. Equis frena, &c. Quartum eſt bonum quod ex confeſſione ſequitur in preſenti:vt eſt Peccatoris exoneratio. Pſalm. Sicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me. Curiæ cæleſtis lætificatio. Lucæ 15. Gaudium eſt in cælis,&c. Dæmonũ contriſtatio, & à morte ſpirituali ſuſcitatio. Non minus eſt quod ex cõfeſſione ſequitur,quam creare cælum & terram, ſcilicet iuſtificatio impij. Quintum eſt bonum quod ex ea ſequitur in futu. ſcilicet gloria æterna. Eccleſiaſti. 4. Non confundatis, &c. Sextum eſt multiplex malum quod ſequitur in preſenti ex taciturnitate peccatoris. Triplex malũ concomitatur taciturnitatem peccatoris vt deriſio dæmonũ. vnde dicere poſſunt: videte de fatuo: de fatuo, qui permittit ſe furari & neſcit clamare: quod brutũ animal ſciret. Oneris grauitas. Pſal. Sicut onus graue grauatæ, &c. Demerſio in carcere diaboli. Septimũ eſt malũ ſequens in futuro ex hac taciturnitate: vt eſt confuſio æterna. Eccleſiaſti.4. Eſt confuſio adducens ignominiam. Naum. 3. Reuelabo pudenda & fa.t. & oſten. gen. &c. Hiere. 20. Confundentur confuſione vehe.&c. Et illud erat mutum. Notandum quòd cùm dæmon,ſciens, interpretetur, Dæmonium mutũ eſſe videtur litteratus qui alios ædificare negligit. Prouer..o. Qui abſcondit frumenta male in.po. Eccleſiaſti.30. Bona abſcondita in ore clauſo quaſi appoſitiones epularũ cir.ſe. Item, Dæmonium mutum eſſe videntur qui ſic volunt loqui vt non intelligantur. 1. Cor. 14. Si venero ad vos linguis loquens quid prodeſt,&c.

Septem debent inducere ad confeſſionem peccatorum.

Sermo quintus de eodem.

CVm immundus ſpiritus exierit ab homine,&c.

Notandum quòd in euangelio hodierno quatuor nobis diſſuadentur.Primo negligentia confeſſionem peccatorum differens.Secundo inuidia bonis alienis detrahẽs. Tertio imprudentia hoſti non reſiſtens. Quarto faſtidiũ diuini verbi. Primum in hoc quòd dæmonium dicitur mutum.in hoc enim innuitur quòd diaboli machinatione efficitur vt à confeſſione peccatorum ſuorum aliquis obmuteſcat.Inuidia vero diſſuadetur vbi auditus verbi diuini commendatur. Nota quòd duo prima pertinent ad eos qui in peccatis ſuis remanent. Duo vltima ad eos qui pœnitentiam inchoant: ſed in ea non perſeuerant. De inuidia vero quæ diuina opera videns cum deberet laudare non timet blaſphemare,dicit Chryſoſt.Inuidia non querit quid dicat,ſed ſolum vt dicat.Item Chryſoſt. Æmulatione non eſt malicia alia deterior. Adulter enim complet in breui peccatum ſuum:æmulatio vero nunquã quieſcit.Item Chryſoſt.Sicut porcus gurgite:& dæmones iactura noſtra:Ita hi proximi malis lætantur. Cum immundus ſpiritus ex.&c. Notandum quòd diabolus dicitur ſpiritus immundus cum per peccatum eſt in homine. Spiritus vero nequam cum eſt in homine per corporalẽ vexationem 1.Reg.16.Spiritus nequam exa.Saul.Item notandum triplicem ſpiritum immundum eſſe in homine per concupiſcentiam carnis,concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiã vitæ.vnde Apoc.16. Vidi de ore beſtiæ,& de ore draconis,& de ore pſeudo prophetarũ exire tres immundos ſpiritus in modum ranarum, &c.Sequitur,& fiũt nouiſſima hominis illius peiora prioribus. Ioh.5. Ecce ſanus factus es:iam noli amplius peccare,&c. Ber. Recidere quam incidere deterius eſt.2.Pet.2. Melius eſt viam ve.non a.&c.Eccleſiaſti.5.De propiciatu peccatorum noli eſſe ſine metu:& ne adiicias peccatum,&c. Recidiuans ſimilis eſt illi qui poſtquam omnia bona ſua in domo ſua congregaſſet,ignem apponeret.Item illi qui poſtquã de naufragio euaſiſſet & in naue ſecura ſe poſuiſſet: rur

ſum

ſum in mare ſe præcipitaſſe. Item illi qui poſtquam pulchris veſtibus ſe induiſſet, in luto ſe volutaret 2. Pet. 2. Canis reuerſus ad vomitum, &c. Recidiuanti accidit ſicut vxori Loth, quæ aſpiciens retro verſa eſt in ſtatuam ſalis. Gen. 19. Luc. 17. Memores eſtote vxoris Loth. &c. Et poſſunt octo cauſæ aſſignari quæ faciũt quòd nouiſſima recidiuantis peiora ſint prioribus. Primum eſt magna debilitas ad reſurgendum, quæ in eo eſt. Sic accidet in eis ſicut in ſotularibus, qui ſi multotiens fuerint reparati: ad vltimum non tenent ſuturam, & in lutum proiiciuntur. vnde Hebreorum penul. dicitur de Eſau, quòd non inuenit locum pænitentiæ quamquam cum lachrimis inquiſiſſet eam. Secundum eſt ruptio fæderis cum domino initi in ſacramento pænitentiæ: quod quandoque oſculo confirmatur, vt in die paraſceues oſculatur quis crucem. Quandoque etiam ſuſceptione dominici corporis: vnde non parum peccatũ aggrauatur. Tertium eſt hoc quod dominum inimicis ſuis reddit quantum in ſe eſt quando in caſtrum in quo dominus receptus eſt, ex alia parte inimicos domini intrare permittit. Quartum eſt irriſio vel ſubſannatio diuinæ miſericordiæ: quæ peccatori pacem fecerat cum iuſticia dei vellet eum morte æterna occidere, vnde. Quomodo audebit iam ad miſericordiam dei oculos leuare? Quintum eſt crudelitas in animam propriam cuius non timet vulnera iam ſanata renouare: & ſuper vulnus concidere. Sextum eſt contriſtatio ſpiritus, ſcilicet & curiæ cæleſtis, quantum eſt in peccatore recidiuante, cum lætitia dæmonum. Ephe. 4. Nolite contriſtare ſpiritum ſanctum, in quo ſignati eſtis Ber. Putas placatos habebis in iudicio quos tãto & tam ſperato vis priuare gaudio? Ozee 7. In malicia ſua lætificauerũt regem. Si poſſet dominus dolere multum doleret de recidiuo. Quod figuratum eſt Ioh. 19. vbi dicitur de Chriſto quòd cum accepiſſet acetum dixit, Conſummatum eſt. Acetum quod quandoque fuit bonum vinum, ſignificat illos qui quandoque fuerunt boni, poſtea facti ſunt mali. De quibus dominus doleret quaſi extremo dolore ſi dolere poſſet. Septimum eſt ingratitudo veniæ: & gratiæ iam datæ: & gloriæ promiſſæ. Quæ ingratitudo multum aggrauat peccatũ. Cum enim pro quolibet peccato mortali ſit do-

bitor mortis æternæ: pro dimissione vnius peccati mortalis deberet ipse deo seruire mille annis si tantum viueret. Quod manifestum potest fieri ex hoc quòd pro dimissione mortis temporalis quæ est momentanea, seruiret libenter alicui per totam vitam suam. Attende etiam statum in quo dominus peccatorem assumit: quia non est dignus pane quo vescitur, & dominus vngit eum oleo gratiæ ad regnum gloriæ. Octauum est, quòd quantum in se est, iterat passionem Christi. Hebr.6. Rursum crucifigentes sibimetipsis filium dei & ostentui habentes.

Dominicæ quartæ in quadragesima
SERMO PRIMVS.

Abiit Iesus trans mare Galileæ, &c. Ioh.6.

In euangelio hodierno primo ponuntur quædam antecedentia miraculum. Secundo ipsum miraculum. In prima parte primo ostenditur locus vbi factum est miraculum. Secundo tempus. Tertio quod dedit occasionem miraculo. Quarto numerus personarum coram quibus factum est miraculum. Abiit Iesus, &c. Notandum quòd conuiuium istud quinque millia hominum exceptis mulieribus & paruulis refecit: sed eius recordatio multo plures reficit, quia conuiuium reficit corpora, recordatio reficit animas. Aug. Non est magnum pascere ventres morientes, sed magnum est pascere animas in æternum victuras. Item recordatio eius facit vt in conuiuiis nostris etiam corporalibus animæ pascātur. Prouer. 13. Iustus comedit & replet animam suam: venter autem impiorum insaturabilis. Iniustus replendo corpus, animam suā euacuat: iustus vero replet eam. Venter interior, animus, scilicet impij, insaturabilis est, Licet exterior possit repleri. Recordatio huius cōuiuij facit vt Deus in conuiuiis nostris pascatur. Tripliciter autem pascitur, scilicet, Puritate. Cant.2. Qui pascitur inter lilia. Gratiarum actione quæ est velut adeps. Leuit.3. Omnis adeps domini, &c. Pietate. vnde Matth.25. Esuriui & dedisti mihi mā-ducare.

ducare. Item, Recordatio huius conuiuij conuiuia nostra ordinat tripliciter, scilicet, Respectu dei: Respectu proximi, Respectu nostri. Ad ordinationem respectu dei quatuor pertinent, scilicet quòd dominus ad cælum respexit, vt habetur Matth. 14. Quòd benedixit, vt ibidem legitur. Quòd gratias egit, vt Ioh. 6. Accepit Iesus panes & cum gra. eg. d. d. Quòd turba pascentem laudauit ibidem, Illi homines cum vidissent quod fecerat signum dicebant quia hic est vere propheta, &c. Exemplo ergo domini qui reficiuntur, oculos debent leuare ad deum cuius bona sunt quæ comedunt. Iaco. 1. Omne datum optimum & omne donum perfectum, &c. Sunt qui ad modum porci tantum ad illud quod comedunt attendunt: sed hoc non sufficit. Canis non hoc videtur facere, qui pascentem se diligit. Sen. Beneficia etiam feræ sentiunt. Benedictio etiã in conuiuiis nostris non est negligenda, qua oratur qui creauit cibum vt det salubrem eius vsum. Sen. Stulto nulla re opus est: quia nulla re scit vti. Intrauit diabolus in sanctimonialem quæ lactucam sine benedictione comedit, vt legitur in dialog. Greg. Gratias etiam debemus agere in conuiuiis nostris: cum gratias agamus homini etiam pro modicis beneficiis 1. Timo. 4. Nihil est reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Item post refectionem laudandus est qui cibum creauit & dedit potius quàm ipse cibus. Ad ordinationem respectu proximi quatuor similiter pertinent, videlicet quòd illis refectionem dedit, qui aliter eam habere non poterant. Matth. 14. Desertus est locus, vnde & si pecuniam habuissent non inuenissent cibum venalem. Item reficit famelicos. vnde ibidem dicitur, Hora iam præteriit, Item multæ fuerunt reliquiæ. econtra dicitur Iob 20. de impio, Non remansit de cibis eius: & propterea nihil remanebit de bonis eius. Item diligenter fuerunt conseruatæ reliquiæ. vnde hic dicitur, Colligite quæ superauerunt fragmenta, ne pereant. Quidam reliquias immunde tractant, vel quæ danda essent pauperibus, personis inhonestis dant. Exod. 8, Ascendent in reliquias ciborum tuorum ranæ. &c. Ad ordinationem vero respectu nostri quatuor similiter pertinent videlicet honestas in comedendo. vnde dixit dominus, Facite homines discumbere. Bern. Grata res est deo ho-

nestas:& amica angelorum ferculorum paucitas: solus enim panis ordeaceus legitur ibi fuisse, cum vno pulmẽto. Cum enim legatur Matth.15. Vnde nobis panes tanti in deserto vt saturemus turbam istam? Verisimile est non fuisse vinum in deserto quod turbæ tantæ sufficeret. Ecclesiastici 7. In multis escis erit infirmitas. Item fuit ibi vasorum humilitas, scilicet, cophini, non splendor vasorum aureorum vel argenteorum, sicut in conuiuiis aliquorum qui inde pascunt oculos diuitum: vnde pauperes pascere debuerunt. Ber. De sumptibus egenorum seruit oculis diuitum. Inueniunt curiosi quo delectantur:& non inueniunt miseri quo sustententur. Item facietas debet ibi esse vt satis reputentur quod apponitur. Matth.14. Mãducauerunt omnes & saturati sunt. Hanc facietatem potius facit gratia quam ciborum multitudo. Heb. vlt. Optimum est gratia stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis.

Sermo secundus de eodem.

EST puer vnus hic qui habet quinque panes ordeaceos.

Notandum quòd bis reficit saluator turbam, videlicet Primo ex quinque panibus ordaceis & duobus piscibus. Secundo ex septem panibus & paucis pisciculis. Prima refectio designat doctrinam veteris testamenti habẽtem quinque libros Moysi, velut quinque panes ordeaceos. Ordeum cibus est iumentorum, exterius habens ruditatem, interius vero habens medullam suauem: Sic doctrina illa cibus fuit populi rudis & quasi animalis intus habens medullam spiritualis sensus 1. Corin. 2. Animalis homo nõ percipit ea quæ sunt spiritus dei. Habuit etiam doctrina illa velut duos pisces, scilicet, Prophetiam, & Psalmos. Aug. In duobus piscibus intelliguntur psalmi & prophetiæ temperantes austerum saporem legis. De iis tribus Luc. vlt. Quæ scripta sunt in prophetis & lege:& psalmis de me. Secunda refectio designat doctrinam noui testamenti. Quæ habet septem panes, quia in ea septiformis gratia spiritus sancti reuelatur, & datur. Et habet pisciculos,

pisciculos, scilicet sanctos, quorum exemplo fideles reficiuntur. Secundum Ber. quinque panes sunt: cōtritio cordis: cōfessio oris: ieiunium: eleemosyna: & oratio. Et quia durities est in iis, ideo dicuntur ordeacei. Et notandum quòd panes saluatoris & panes Diaboli valde dissimiles sunt. Panes enim saluatoris exterius habent asperitatem, & interius suauitatē ad modum ordei. 2. Cor. 1. Sicut abundant passiones Christi in nobis: sic & per Iesum Christum ha. con. nostra. Psalmus, Secūdum multitudinem dolorū, &c. Panis Diaboli exterius habet suauitatem: interius asperitatem. Prouer. 20. Suauis est homini panis mendacij: sed postea, &c. Duo pisces sunt exempla sanctorū, quia exempla confessorum sunt vt piscis elixus. Exempla martyrum vt piscis assus. Hi pisces dant saporem panibus, quia secundum Grego. Si exempla anticorū patrum recolimus: nihil graue est quod sustinemus. Vel quinque panes sunt cognitio sui: pudor commissi: dolor amissi: timor iudicij: horror inferni. Duo pisces sunt, spes & fides: quæ prædictos panes comestibiles faciunt per saporem quem apponunt. Quis enim illos panes comederet, nisi de venia & gloria speraret? Et quomodo speraret nisi dominum benignum crederet? Aliter quinque panes intelligi possunt dolor contritionis: rubor confessionis: ciborum abstinentia; vigilia: disciplina: vt panes dicamus ea, quæ ad pœnitentiam pertinēt. Psalmus, Cinerem tanquam panē manducabam. Hi panes sunt aristosi &, pungitiui. Quis dolor debeat esse in contritione, innuitur Iere. 6. Vbi comparatur planctui vnigeniti. Accingere cilicio & conspergere cinere. Plāctus vnigeniti magnus est, quia in eo erat spes posteritatis. Sic multum debet dolere qui merita sua amisit in quibus erat spes æternæ retributionis. Esa. 13. Comparatur dolor iste. Torsionibus ventris: & dolori parturientis. Dolores inquit & torsiones tenebunt: quasi parturientes dolebunt. vnde 2. Machab. 9. Apprehendit eum dirus dolor viscerum. Rubor confessionis significatus est: per mare rubrum, in quo Pharao submersus est cum exercitu suo. Exod. 14. Sic diabolus cum vniuersitate vitiorum submergitur in amaritudine ruboris confessionis. Iudas meruit principatum inter fratres quia aliis trepidantibus primus intrauit mare rubrum vt dicit magister in histo-

riis

riis. Iudas mare rubrum ingreditur cum pænitens nullo rubore obstante peccatorum turpitudinem cõfitetur. vnde 1.Mach.v.Dixit Timotheus,Si timuerit Iudas torrentem præualebimus ad eum. Si autem transierit non præualebimus.De aliis tribus quæ ad satisfactionem pertinẽt exemplum habemus in Christo. De abstinentia Christi legitur Matth.&.Luc.4. De vigilia. Mat. 26.& Marci 14. Non potuistis vna hora vigilare mecum ? Et Lucæ 6.Et erat pernoctans in oratione dei.& ecclesiastici.31.Vigilia honestatis tabefaciet carnes, &c.De disciplina Christi. Esaye 53.Disciplina pacis nostrę super eum.Mat.27.Iesum flagellatum tradidit eis.Ecclesiastici 30. Qui diligit filiũ assiduat illi flagella'12. Hebre. Si extra disciplinam estis. &c.Ecclesiastici 33.Cibaria & virga & onus asino. panis & disciplina & opus seruo.Duo pisces sunt: eleemoiyna: & oratio. Eleemosyna ad modum piscis qui immundus erat secundum legem pennulas habet. Hylaritatem scilicet hylarem enim datorem diligit Deus.Et quòd de necessariis fiat.Lu.10.Si aliquid supererogaueris ego cũ rediero reddam tibi. Supererogat qui non solum de superfluis, sed etiam de necessariis pauperi dat vt beatus Martinus. Orationis etiam duæ sunt pennulæ quibus ascenditur ad deum,, scilicet duæ pennulæ orationis sunt Lachrimosa deuotio,& humilitas. De primo, Tob. Cum orares cum la.&c.& Esa.38. Dicit dominus Ezechiæ, Audiui orationem tuã & vidi la. t. De secundo, Ecclesiastici 35. Oratio humiliatis se nubes pene. &c. Aliter Quinque panes ordeacei possunt intelligi quinque partes doctrinæ sacræ hominibus asperæ in superficie. Quarum quinque partium. Prima est pars illa qua peccata hominibus ostenduntur odibilia tanquã ea quæ deus per se odit.vnde Sap. 14.Odio sunt deo impius & impietas eius.Impietas per se: impius propter eam.& eiusdem 11.Nihil odisti eorũ quæfecisti.Vnde cum omnia præter peccatum fecerit:nihil illorum odit.Item tanquam ea quæ per se sunt nociua.Nulla enim nocebit apud se aduersitas,si nulla dominetur iniquitas,vt dicit Greg. Secunda pars est illa pars doctrinæ qua terror peccatoribus incutitur,dum supplicia eis parata ostenduntur: & gladius euaginatus super capita eorũ. prouer. 19. Parata sunt derisoribus iudicia & mallei &c.

Dauid

David, Niſi conuerſi fu. gla. ſ. vi. Iob. 19. Fugite à facie gladii: quia vltor ini. eſt gla. Iſte panis eſt pungitiuus, quia timor pœnam habet, 1. Io. 4. Hunc panem apponebat Ioannes Baptiſta. Mat. 3. dicẽs, Genimina viperarum quis demonſtrauit &c. Tertius panis eſt illa pars doctrinæ quæ nobis pudorem ingerit de fœditate peccatorum noſtrorũ, vel de inſultationibus dæmonum, vel de preſentia dei & cõſpectu eius & curiæ, cæleſtis vel de degeneratione noſtra. Bern. Pudet indigna geſſiſſe generi noſtro: pudet tanto patri vixiſſe degenerẽ. Quartus panis eſt illa pars doctrinæ quæ dolorẽ nobis ingerit: vt quæ oſtendit peccatum eſſe mortem ſpiritualem diuidentem animam à deo. Aug. Vera mors eſt quam homines non timent, ſeparatio animæ à deo, Eſa 59. Peccata noſtra diuiſerunt inter nos & deum noſtrum. Hiere. 6. Luctũ vnigeniti fac t. &c. Quintus panis eſt illa pars doctrinæ quæ in nobis irã ſanctam excitat ad vlciſcendas dei contumelias in nobis, & reſiſtẽdum dæmonibus & deſtruendum peccata. David, Iraſcimini & nolite peccare. Duo piſces ſunt illæ partes doctrinæ quæ ad ſpem & amorem pertinent. His aſperitas prædictorum panum dulcoratur. Sperantibus enim & amantibus deum, quantum libet aſpera, ſuauia fiunt propter ipſum. Item notandum eſt quòd panes ordeacei ſunt tribulationes: piſces ſunt conſolationes. Item panes quibus turba reficitur quinque ſunt: piſces duo: quia plures ſunt tribulationes turbæ quã eius conſolationes. Martha enim turbatur erga plurima. Lucæ 10. Perfectis vero dat deus piſces non tantum duos, ſed 153. Ioannis vltimo. David, Secundum multitudinẽ dolorum, meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animã meam 2. Cor. primo, Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, &c. Item Primus panis eſt infirmitas innata. Secundus eſt pœna à deo illata. Tertius eſt contumelia proximo dicta. Quartus iniuria fratri à proximo illata. Quintus eſt cordis anguſtia ex proximi miſeria. Hæ tribulationes panes ſunt, quia animam reficiunt. 3. Reg. 22. Mittite virum iuſtum in carcerem & ſuſtentate eum pane tribulationis. Iob 9. Saturatus afflictione & miſeria. Tren. 3. Saturabitur opprobriis. Duo piſces ſũt, ſpes & amor. Spes eſt piſcis marinus. Nutritur enim in amaritudine tribulationum, ſecundum illud

illud,Ro.5.Tribulatio patientiam operatur: patiẽtia probationẽ: probatio vero ſpem,&c.Amor ſiue Charitas eſt piſcis aquæ dulcis qui nutritur in flumine illo, cuius impetus lætificat ciuitatem dei. Iſte piſcis ad modum illius piſcis qui mundus erat ſecundum legem pennulas habet: quia charitas patiens eſt:benigna eſt 1.Corin.13.

Sermo tertius de eodem.

FAcite homines diſcumbere. Erat autem fænum multum in loco.

Notandum quòd hæc refectio corporalis figura eſt refectionis ſpiritualis,quæ fit verbo dei.Et attẽde duodecim circa hanc refectionem quæ inſtruunt nos circa ſpiritualem refectionem. Primum eſt quòd populus qui reficitur, ſuper fænum diſcumbit. In quo oſtenditur quòd in eo qui verbo dei reficitur caro debet eſſe ſubdita ſpiritui. Omnis enim caro fænum. Eſayæ 40. Non eſt prædicandum crapula & ebrietate grauatis. Anima,enim ſatiata calcabit fauum.Prouer.27.Ber. Ante carnẽ ſtudiis diſciplinæ edomitam & mancipatam ſpiritui: ante ſpretam & abiectam ſeculi huius pompam & ſarcinam impure ab impuris lectio ſacra præſumitur.Idem, Quomodo nempe lux in caſſum circunfundit oculos cæcos vel clauſos:ita animalis homo non percipit ea quæ dei ſunt.Secũdum eſt quòd ſaluator panes quos habebat puer accipit, Non nouos creat:ſed eos multiplicat. In quo duo oſtenduntur,videlicet quòd non venit legem ſoluere, ſed implere,vt.Mat.5.Item quòd doctrina eccleſię fundari debet ſuper ſcripta autentica.vnde Mat.13.Omnis ſcriba doctus in regno cælorũ ſimilis eſt homini patri familias,qui profert de theſauro ſuo noua & vetera. Tertium eſt quòd in cælum aſpicit.Hylarius Honorans patrem, inquit, à quo erat ipſe confeſſus:vt qui adeſſent intelligerent à quo tantæ virtutis aſſumpſiſſet effectum: dirigentes & ipſi illuc oculos mentis. Sic qui habet inſtruere populum, oculos debet dirigere ad deum cuius donum ſapiẽtia eſt. Omnis enim ſapiẽtia à domino deo eſt.Eccleſiaſtici.1. Quartum eſt quòd gratias agit:ſicut hic dicitur. Cum gratias egiſſet,

Duodecim notanda.

fet,distribuit discumbentibus. Chryso. Docet nos antequam tãgamus mensam gratias agere: quod potius videtur esse de mensa spirituali,quam de corporali. Quintum est quòd benedixit.Matt. 14. Benedixit & dedit discipulis suis.Sic qui instruit populum,orando impetrare debet diuinam benedictionem. Colo. 4. Orate pro nobis vt deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquẽdum mysterium Christi.Hester vlti. Tribue domine sermonem compositum in ore meo.Aug.in lib.de doc. Christiana, Si regina Hester pro suæ gentis temporali salute locutura apud regem orauit vt in os eius cõgruum sermonem deus daret: quantomagis orare debet vt tale munus accipiat qui pro æterna hominũ salute in verbo & doctrina laborat? Item Augu.Orando inquid pro se & pro illis quos allocuturus est:fit orator antequam dictor. Sextum est quòd panes frangit: vt dicitur Mat.14.In quo datur intelligi quòd expositio scripturæ ad eum pertinet. Eodẽ enim spiritu quo scripturæ sunt editæ,sunt expositæ.Bernar.super Cantica, Cognoscite dominum in fractione panis: spectetis ad me vt non expectetis ex me. Septimũ est quòd discipulis dat: discipuli vero dant turbæ. In quo insinuatur quòd minores expositionem recipere debent à maioribus, Psal. Illuminans tu mirabiliter à mon.æ.Montes æterni sunt maiores de ecclesia vitam æternam sperantes sibi & aliis promittentes:qui à vero sole lumen sapientiæ primo recipiũt. Octauum est quòd panibus ordeaceis pisces addit.In quò docentur qui habent populum instruere vt non semper terreant immo quandoque cõsolentur. Nec tantum rudia proponant immo proponant aliqua delectantia. Augu.in lib.de doctrina Christiana, Dixit quidam eloquens & verum dixit:ita debere dicere eloquentem, vt doceat,vt delectet,vt flectat:& addit,Docere est necessitatis:Delectare suauitatis:Flectere victoriæ.Idẽ,Docere debet vt instruat. Delectare vt ad audiendum detineat: Flectere vt moueat ad agẽdum.Nonum est quòd refectio eius satiat.Matt.14. & saturati sunt.Satiat autem ex paucis. Sic quòd aliquis satietur in scriptura sacra: à deo est. Nisi enim gratia dei fit,quanto aliquis plus habet scientiæ, minus habet satietatis.In scripturis vero aliis non videtur esse satietas.Aggei. 1.Comedistis,& non estis saturati.Prouer.14.Iustus comedit

dit & re.a.s.venter autem in.in.Decimum quòd fragmenta præcipiuntur colligi.Sic secreta quæ à rudibus capi nequeunt non sunt negligenter habenda. vt dicit Glosa super Mat.14.Vndecimũ est quòd reliquiæ fuerunt magnæ: quod est contra multos qui multas reliquias facere nolũt, effundentes totum quod cogitauerunt,nihil inde reseruãtes: prolixitate sermonum grauantes auditores. Ecclesiastici 21.Verba sapiẽtum statẽra ponderabũtur,&c.Duodecimum est quòd duodecim cophini ex fragmentis implẽtur.Chryso. Pares esse numero discipulis cophinos reliquiarum eruditionis gratia factum est.Isti in quibus est scientia,vt cophini sunt.Aug.in lib.de doctrina Christiana,Quoniam Christus seminat,ego quis sum? Vix cophinus seminantis. Sic potest dici quòd Christus est qui pascit:cophinus prædicator. Specialiter tamen possunt dici cophini qui ex scriptura quam sciunt nec in se nec in aliis proficiunt.Qui vulgariter dicuntur sacci literis pleni.

Dominicæ in passione domini,

SERMO PRIMVS.

QVis ex vobis arguet me de peccato?Ioannis 8.

Euangelium huius dominicæ duo ostendit, scilicet causam passionis Christi,& prçludia.Causa passionis eius fuit prædicatio veritatis. de quo tangitur ibi, Si veritatem dico, quare non creditis mihi. Præludia ostenduntur,Primo in verbis,ibi,Nõne bene dicimus nos quia samaritanus es tu & dæmonium habes?Secundo in factis, ibi,Tulerũt ergo lapides vt iaceret in eum. Quis ex vobis arguet me de peccato ? In hoc euangelio proponitur saluatoris nostri bonitas quam imitamur: & Iudeorum peruersitas quam detestatur. Sex vero commendantur nobis in saluatore necessaria illis qui habent alios instruere. Primum est vitæ irreprehensibilitas. Ad quod pertinet illud, Quis ex vobis arguet me de peccato? Oportet irreprehensibilem viuere qui vicia aliorum habet reprehendere.Alioqui dicetur ei illud Luc.4.Medice cura teipsum. & illud

Sex commendantur in saluatore.

& illud Matth. 7. Eiice primum trabem de oculo tuo,&c. Greg. Qua præsumptione percussum mederi properat qui in facie vulnus portat. Idem, Superiectas sordes tergere non valent manus quę lutum tenent. Idem, Cuius vita despicitur: restat vt eius prædicatio contemnatur. Secundum est doctrinę veritas: ad quod pertinet illud, Si veritatem dico,&c. Hæc duo socianda sunt adinuicem, scilicet veritas vitæ & veritas doctrinæ: quæ si in eos qui habent alios instruere conueniunt, quod intendunt efficiunt. Si vero altera defuerit: reliquum inefficax est, vel etiam recedit. Ecclesiasti 27. Volatilia ad sibi similia conueniunt,& veritas ad eos qui operantur eam reuertetur. vnde Multũ timendum est regimen eorum qui non habent veritatem vitæ. De facili enim errare possunt circa veritatem doctrinæ. ideo iuxta verbum Dauid, Hodie diminutæ sunt veritates à filiis hominum. Tertium est humilitas qua dei gloriam quærebat & propriam contemnebat. Ad quod pertinet illud, Honorifico patrem meum,& illud, Ego nõ quæro gloriam meam. Et quibusdam interpositis subditur, Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est. Humilitas valde necessaria est ei qui habet alios instruere: vt non solum sit in eo doctrinæ veritas, sed etiam intentionis puritas: vt quærat dei gloriam: & contemnat suam. Gloriã dei debet quærere, scilicet ea quæ sunt ad dei gloriam prædicãdo. sicut legitur in Psalmis, Cæli enarrant gloriam dei. Cæli vocantur apostoli à terrenis elongati sicut cæli à terra sunt exaltati. Item, Profectum suum deo attribuendo. Ecclesiastici vltimo, Danti mihi sapiẽtiam dabo sibi gloriam. Sapientia est cum sapore virtutum condita scientia. Merito vero gloriam deo tribuit, qui contra correctionẽ delinquentium proficit: cum correctio diuinum opus sit non humanum. Ecclesiastici 10. Cõsidera opera dei quòd &c. Et sicut gloria dei querenda est: sic propria fugienda. Vana enim gloria est sicut aër corruptus nostra opera corrumpens: sicut aër corruptus sanitatem corporum corrumpit, Nec mirum si corruptus est qui de loco corrupto procedit. Quis locus magis corruptus quàm vesica superbiæ: de qua vana gloria exit. Hæc vesica proiicienda est in locum cinerum. Leui. 1. Quod fit cum per memoriam mortis superbia reprimitur. Si quis vero glorificat se-

ipsum gloria sua nihil est:quia non qui seipsum commen dat ille probatus est:sed quem Deus commendat 2. Cor. 11.Quartum est mansuetudo qua dominus ad conuitia sibi dicta à Iudæis non mouetur. Mitis enim est vt dicit Glosa super Matth.5.Quem rancor vel ira non afficit: sed omnia æquanimiter portat. Homines immansueti cum contracti fuerint: vel negant verum:vel pro cõuicio conuicia reddunt. Sed dominus de duobus sibi obiectis illud quod aliquomodo tolerari potuit non negauit: scilicet se esse samaritanum: quod autem manifeste falsum negans nullum conuicium reddidit,cum veraciter posset dicere eos dæmonium habere 1. Pet. 5. Qui cum malediceretur non maledixit. Beda. Hic dominus in semetipso præbuit patientiæ exemplum;vt eo tẽpore quo à proximis ex falsitate contumelias accipimus eorũ etiam vera mala taceamus. Ro.12.Non vosmetipsos defendentes charissimi,&c. Econtrario autem audito conuicio os stultorum ebullit stultitiã. Prouer. 16. Et si quid gratiæ habebat illud effundit.Mansuetudo valde necessaria est illis qui habent alios instruere. Sunt enim missi vt medici ad curationem freneticorũ. Non expedit vt freneticus à medico occidatur licet medico conuicietur: vnde super illud. Mat.5.Si quis te percusserit in vna maxilla. dicit Glos. Docet verus medicus quos ad salutem ægrotorum dirigit mansuete tollerare quod illi intulerint ex infirmitate. Hanc mansuetudinem comẽdat dominus,Mat.10. dicens,Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Quintum est charitas propter cõuicia audita à beneficij collatione non desistẽs. vnde post illud verbum:dæmoniũ habes:subdit illam promissionem,Si quis sermonẽ meum ser.&c.Cant.vlt.Fortis est vt mors dilectio.& paulopost,Aquæ multæ non po.ex. ea.nec flu.ob.illam. Nec multitudine tribulationum,quæ per aquas multas intelliguntur:nec magnitudine,quę per flumina intelligitur superatur. Sextum est prudẽtia benigna sibi & aliis à periculo cauens.Ad quod pertinet illud, Iesus autẽ abscõdit se & exiuit de templo.Ad quod monet dominus,Mat. 5. Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. videlicet,Prudẽtes ne falli possitis: Simplices vt columbæ ne fallere velitis. Possumus etiam notare sex quæ ad peruersitatem Iudeorum pertinent.Primum

mum est quòd non acquiescunt veritati. Ad quòd pertinet illud, Si veritatem dico, quare non cre. Humana ratió nata est acquiescere veritati; sicut voluntas nata est, diligere bonitatem. vnde ex magna corruptione erat quòd veritati nolebant acquiescere. Iob. 24. Ipsi rebelles fuerunt lumini. Hæc corruptio multum inualescet in nouissimis temporibus 2. Tim. 4. Erit tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt: & subditur, A veritate auditum auertent. ad fabulas autem con. Hæc corruptio multum abundat. Si enim vnus ribaldus aliquid dixerit contra aliquem honestum virum, credunt homines simplices verbo illius. Si vero decem honestæ personæ cum iuramento dicerent contrarium: non crederent eis. Christo etiam qui veritas est, Ioh. 14. nolunt homines credere. Nolunt homines credere Christo Humilia docenti: Terribilia comminanti: Æterna promittenti. De primo, Esa. 48. Ego dominus deus tuus docens te vtilia. De secundo, Luc. 6. Væ vobis diuitibus qui habetis hic consolationem vestram. De tertio ibidem, Beati pauperes quoniam vestrum est regnum dei. & Matth. 4. Pænitentiam agite appropinquabit enim regnum dei. Secundum est quòd auditum negant deo loquenti. De quo ibi, Propterea vos non auditis. &c. Magna peruersitas, cum omnia membra humana dei sint iure creationis, conseruationis, & emptionis, quòd diabolus ad voluntatem suam habeat vsum membrorum illorum: Domino vero vsus etiam aurium negetur. Tertium est quòd cum ipsi dæmonium habeant dicunt tamen eum dæmonium habere qui dæmonia venerat eiicere. Luc, 13. Ecce hodie & cras dæmonia eiicio. Ipsi ad modum canis rabidi manum ministrantis panem mordent: & ad modum freneticorum in medium deseuiunt: & volentes eos lauare maculant. Prouerb. 9. Qui arguit impium, sibi maculam generat. Quartum est quòd maledictionem qua saluatori maledicunt: benedictionem asserunt, dicentes, Nonne bene dicimus nos quia samaritanus es tu, & dæmonium habes. Cum hec pessime dicãt: ideo maledictionem dei incurrunt. Esa. 5. Væ qui dicitis bonum malum: & malum bonum, &c. Quintum est quòd de beneficio peiores sunt. Vnde audita à domino illa salubri promissione, Si quis sermonem meum ser. &c. conuitium ei prius

dictum iterauerunt, dicentes, Nunc cognouimus quia dæmonium habes. Glo. Sicut accepta contumelia bonus melior fit: ita mali fiunt de beneficio peiores. Tunc se cognoscere dixerunt, cum magna malicia excæcati fuerunt. Sextum est quòd cum ipsi essent lapidandi: saluatorem lapidare voluerunt. vnde subditur, Tulerunt ergo lapides vt iacerent in eum. Et notandum quòd cum inimicitiæ positæ sint inter serpentem infernalem & mulierem, & semen serpentis & semen mulieris: & mulier debeat conterere caput serpentis, Gen. 3. sicut homines naturaliter serpentes materiales persequuntur lapidibus: sic ordinata res esset vt filij dei semen serpentis infernalis lapidarent ad minus spirituali lapidatione. De qua Ecclesiast. 22. In lapide luteo lapidabitur piger. Sicut Ioannes baptista phariseos & saduceos lapidabat. Mat. 3. dicens, Genimina viperarum quis demonstrauit vos fugere à ventura ira? Econtrario autem serpentis semen lapidat filios dei sicut vnigenitum dei voluerunt lapidare.

Sermo secundus de eodem.

AMen amen dico vobis, si quis sermonem meum ser. &c.

Tria sunt valde necessaria illi qui vult sanare animam suam, scilicet vt verbum dei libenter audiat: & quod audierit firmiter credat. Et vt verbum auditum custodiat memoriter retinendo: & opere implendo. Tria autem verba dicuntur in hoc euangelio pertinentia ad hæc tria quorum primũ est illud, Qui est ex deo verba dei audit. Secundum est illud, Si veritatem dico, &c. Tertium est illud, Si quis sermonem meum, &c. Auditus verbi videtur esse principium boni, quia fides est ex auditu. Rom. 10. Auditus est per verbum dei: vere non est dei qui verbum eius audire non dignatur. Quomodo enim precepta dei implebit qui ea audire contemnit? Mandatorum impletio ostendit veros seruos dei. Lucæ 6. Quid vocatis me domine domine: & non facitis quod dico? Qui viso predicatore in ecclesia tam cito recedit seruum diaboli se esse osten

oſtendit. Abac.3. Egredietur diabolus ante pedes eius. Pedes domini ſunt prædicatores qui nomen dei portant per mundũ. Quibus intrãtibus eccleſiã diabolus in membris ſuis egreditur. Qui aures quę ſunt naturaliter apertæ, verbo dei claudit: quomodo cetera membra parata ad obſequium dei habebit? Non eſt dominus caſtri qui non habet ſaltem ingreſſum. Nec videtur dominus habere dominium illius in quo per oſtium auditus non patet ſibi aditus. Circa ſecundum notandum quòd neceſſarium eſt quòd verbum dei quod auditur firmiter credatur. In quo multi deficiunt licet credere videantur. vnde Bern. Putas ne filium dei reputat Ieſum quiſquis ille eſt qui nec comminationibus eius terretur: nec promiſſis allicitur: nec præceptis obtemperat, nec conſiliis acquieſcit? Multi audierunt illud Sap.1. Os quod mentitur occidit animam. Et videntur illud credere: & tamen non cauent ſibi à mendacio nociuo proximo. De quo verbum illud intelligitur, Sed non credũt vere. Quis enim venenum bibere audeat, de quo credit quòd etiam exiſtens in ore eum occidat? velut tale venenum eſt mendacium nociuum proximo iuxta verbum prædictum. Et ſic potes proſequi de ceteris peccatis. Circa tertium notandum quòd vtilitas ſermonis auditi & crediti in hoc conſiſtit quòd ſermo cuſtodiatur memoriæ tenacitate & operis impletione. vnde, Cuſtodientes verbum beatificantur. Lucæ 11. Beati inquit qui audiunt verbum dei & cuſtodiũt illud. Apoc.1. Beatus qui legit & qui audit verba prophetiæ huius, & ſeruat ea quæ in ea ſcripta ſunt. Sen. Non prodeſt cibus corpori qui ſtatim ſumptus emittitur. Idem eſt verum de cibo ſpirituali. Puer.3. dicitur de ſapientia, Lignum vitæ eſt iis qui apprehenderint eam: & qui tenuerint eam beati. Iob.14. Qui habet mandata mea & ſeruat ea, ille eſt qui diligit me. videlicet, habet ſciendo: ſeruat implendo. Triplici ratione debet homo libenter ſeruare mandata dei. Primo quia ſeruans ea nullum bonum amittit: nec ſe nec ſua perdit, nec perditur. Prouer.29. Verbum cuſtodiens filius extra perditionem erit. Sap.16. Sermo tuus hos qui crediderunt conſeruat. Eccleſiaſt.15. Si volueris mandata ſeruare, ſeruabunt te. Secundo quia ſeruans mandata nullum malum incurrit. Eccleſiaſtes 8. Qui cuſtodit præceptum non

experietur quicquam mali. Quis non diligenter custodiret lapidem præciosum, qui posset ab omni carnali infirmitate eum custodire? Ex hoc dicitur, Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non gustabit in æternum. Ad litteram Adam si sermonem dei seruasset: mortem etiam corporalem non gustasset. Causa enim mortis fuit transgressio diuini mandati. Gen. 2. Ex omni ligno, &c. Tertio quia qui mandata custodit, bona æterna sibi acquirit. Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Et notandum quòd mors corporalis tria facit corpori, scilicet Animam aufert à qua bona sua habebat. vnde inutile efficitur. Dolorem magnũ infert & esse destruit. In duobus primis assimilatur mors æterna morti corporali. Separat enim à deo qui est fons omnium bonorum. Mat. 25. Discedite à me maledicti in ignem, &c. Item. Continue maiorem dolorem infert quam sit dolor mortis. In tertio vero non ei assimilatur. Non enim facit mors æterna damnatos non esse: immo seruatur eis vita, vt non cesset pœna. Apoc. 9. Desiderabunt homines mortem: & fugiet mors ab eis.

Sermo tertius de eodem.

TVlerunt lapides vt iacerent in eum. In hodierno euangelio ostenduntur quædam præludia vel anticipationes dominicæ passionis: quibus occasionem dedit prædicatio. Sed ne aliquis crederet hæc accidisse ex culpa prædicantis: primo ostendetur quòd in prædicante fuerunt illa duo quæ pertinent ad perfectionem prædicatoris, scilicet irreprehensibilitas siue veritas vitæ: & veritas doctrinæ. Ad primum pertinet illud, Si veri d. &c. Econtrario ostenditur peruersitas auditorum in duobus Quantum ad intellectum, ibi, Quare non creditis mihi? Et quantum ad affectum, ibi, Propterea vos non auditis, quia ex deo non estis. Intellectus non credens veritati est vt oculus lippus qui ad lucem obtenebratur. Affectus cui nõ sapit verbũ dei, est vt instrumentũ gustus amaro humore refectum. Aug. Palatũ febricitantis habet, cui mel cæli insipidum est. Ecclesiastici 6. Aspera

est nimirum sapientia indoctis hominibus, &c. Circa vitæ irreprehensibilitatem notandum quòd irreprehensibilem oportet esse illum qui aliorum vitia reprehendit: alioquin ex omni parte arguitur. Ex omni parte arguitur quia intus arguit eum conscientia sua. Iere. 2. Arguet te malicia tua & auersio tua increpabit te. Item Arguit eum scriptura. Rom. 2. Qui ergo alium doces, teipsum nõ doces? Qui prædicas non furandum, furaris. Item, Arguit eum turba dicẽs, Medice, cura teipsum. Lucæ 4. Item, Arguit eum dei iusticia. Dauid. Peccatori autem dixit deus, Quare tu enarras iust.m. & as.no. m. &c. Circa veritatem doctrinæ notandum quòd illa veritas multum est necessaria prædicari. Aug. in lib. de doct. Christiana, Minus intelligantur, minus placeant, minus moueant quæ dicuntur: vera tamen dicantur & iusta. De iis qui habent falsam doctrinam multum loquitur dominus. Iere. 23. Nolite inquit audire verba prophetarum qui prophetant vobis & decipiunt vos: visionem cordis suis loquuntur. In eodem, Audiui quæ dixerunt prophetæ prophetantes in nomine mendacium, &c. De eodem habetur Ezech. 13. Deceperunt populum dicentes pax pax: & non erat pax. Circa præludia dominicæ passionis notandum quod præter illa quinque principalia pertinentia ad dominicam passionem, quæ prædicit dominus in Lucæ 18. Dicens, tradetur gentibus, & illudetur, & flagellabitur, conspuetur: & postquam flagellauerint, occident eum: possumus enumerare duodecim quæ saluator passus est. Primum est fames. Matth. 4. Cum ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit. Eiusdẽ 21. Mane reuertens in ciuitatem esuriuit. Secundum est sitis. Ioh. 4. Da mihi bibere. eiusdem 19. Sitio, &c. Tertium est fatigatio ex labore. Ioh. 4. Iesus autem fatigatus ex itinere sedebat sic super fontem. Quartum est defectus hospitij. Lucæ 2. Reclinauit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio. Matth. 8. Filius hominis non habet vbi caput suum reclinet. & Marci 11. Circunspectis omnibus cum iam vespera esset hora exiuit in Bethaniã. Glos. Circũspectis, si quis hospitio reciperet. Tantæ enim paupertatis fuit & ita nulli adulatus, vt in tanta vrbe nullum hospitium inueniret. Quintum est tent[illegible] enim est

Saluator 12. passus est.

& à dæmone,& ab homine. De prima habetur Matth.& Luc.4.De ſecunda Luc.10. Quidam legiſperitus ſurrexit tentans eum.Sextum eſt fletus, de quo Luc 19.& Io.11.& Hebr.5.Septimum eſt vigilia de qua Matth.26.& Marci 14.Non potuiſtis vna hora vigilare mecum?Luc.6.Et erat pernoctans in oratione.Octauum eſt inſidiatio. Matt.22. Abeuntes phariſei conſilium inierunt vt caperent Ieſum in ſermone,&c.Nonum eſt obſeruatio. Luc.14. Cum ſtaret hydropicus ante eum,obſeruabant eum in ſabbato curaret.Pſalm. Obſeruabit peccator iuſtum. Decimum eſt irriſio.Luc.16. Audiebant hæc omnia phariſei qui erant auari & deridebant eum.Vndecimo paſſus eſt opprobria. Et poſſumus notare quinque genera opprobriorum. Detrahebant enim eius poteſtati, nobilitati, veritati, ſapientiæ & bonitati. De primo opprobrio habetur.Matt. 12.Hic non eiecit dæmonia niſi in belzebub principe dæmoniorum.Item eiuſdem 27.Alios ſaluos fecit:ſeipſum non poteſt ſaluum facere. De ſecundo, Matth.13.& Luc. 18.Nonne hic eſt filius fabri?De tertio Ioh.8.Tu de teipſo teſtimonium dicis:teſtimonium tuum non eſt verum. Et Matth.26.Dixit princeps ſacerdotum:Ecce nunc audiſtis blaſphemiam.De quarto habetur hic,Dæmonium habes. Inſaniam enim volunt ei imponere. De quinto. Ioh.9. Scimus quia hic homo peccator eſt. In eodem, Non eſt hic homo à deo qui ſabbatum nõ cuſtodit.Duodecimum eſt attentatio ad occidendum. Attentauit Herodes, cum adhuc paruulus eſſet occidere eum gladio. Matth. 2. Compatriotæ eius tentauerunt eũ præcipitio.Luc.14.Ducentes eum ad ſupercilium montis vt præcipitarẽt eum. Iudæi tentauerunt occidere eum lapidibus, vt in hodierno euangelio habetur.

Dominica in Ramis palmarum.

Sermo primus.

CVm appropinquaret Ieſus Ieruſalẽ,& veniſſet Bethphage in montem Olíueti,&c.Matth.21.

Euange

Euangelium quod legitur in hodierna proceſſione, oſtendit honorem exhibitum ſaluatori venienti Ieruſalē ad locum paſſionis ſuæ. Et oſtenditur primo quomodo ſaluator Ieruſalem venerit. Secundo quomodo honor exhibitus fuerit, ibi, Plurima autem turba, &c. Venit autem ſaluator inſidens iumento à diſcipulis adducto & præparato. Circa aduentionem vero quatuor ſunt nobis attendenda pertinentia ad ædificationem noſtram: quorum Primum eſt locus vnde diſcipuli ſunt miſſi. Secundum eſt quare duo ſunt miſſi. Quartum ad quid ſunt miſſi. Miſſi ſunt diſcipuli à mōte Oliueti: in quo ſignificatur eminentia dilectionis Chriſti qua venit Ieruſalem pro nobis paſſurus. Ioh. 15. Maiorem hac dilectionem nemo habet, &c. Hanc dilectionem dicit apoſtolus nimiam, Eph. 2. Secundum charitatem eius nimiam qua dilexit nos, cum eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto. Notandum quòd magna charitas fuit quòd filium vnigenitum miſit in carnem. Maior quòd in ſimilitudinem carnis peccati. Rom. 8. Nimia quòd voluit pati pro nobis. Vel ſic, Magna, quòd miſit vnigenitum in ſimilitudinem carnis peccati. Maior quòd voluit pro nobis mori. Nimia quòd tali generé mortis. vnde Sap. 2. Morte turpiſſima cōdemnemus eum. Vel ideo à monte Oliueti eos miſit: vt deſignaret quòd ex eminētia miſericordiæ ſuæ eſt: quòd prædicatores & doctores per mundum ſpargit. Sicut ex magnitudine iræ tales ſubtrahitur. Sicut ſignum diuinæ iræ eſt Sterilitas corporum, Defectus victualium, Et defectus pluuiæ, Et arefactio fontium & fluminum. Defectum ciborum ſpiritualium comminatur dominus in Amos 8. dicens, Mittam famem in terram, non famem panis neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum domini. Itē, ſicut exoculatio corporis ſignum eſt iræ: ſic & ſpiritualis quam comminatur dominus. Eſa. 26. Claudam oculos prophetarum, &c. Item obtenebratio luminarium cæli ſignum eſt iræ dei. Ioel 3. Sol conuertetur in tenebras, &c. & Amos 8. Tenebreſcere faciam ſolem in die luminis, &c. Luminaria in cælo, eccleſiæ ſunt doctores & prædicatores. Circa ſecundum notandum quòd diſcipuli miſſi figuram tenent prædicatorum & doctorum eccleſiæ. Duo vero miſſi ſunt ad comendandum dilectionem dei & proximi: & ſcientiam

veritatis & puritatem operis. Vel ad ostendendum quòd tales notitiam vtriusque testamenti debent habere:& ordinante potestate. Circa tertium notandum quòd locus ad quem missi sunt dicitur castellum discipulis oppositum:significans mundum qui despectiue dicitur castellum. Despiciendus est enim multis de causis:vt sequitur. Despiciendus est mundus quia est transitorius. Lucæ 12. Stulte,hac nocte repetent animam,&c.Sap.5.Transierunt omnia,&c. Cruciatorius. Ecclesiastes 2.Peccatori autem dedit Deus afflictionem & curam superfluam, vt addat & com.&c.eiusdem 10. Labor stultorum affliget eos. Cruciatus æterni meritorius.Luc.16.Mortuus est diues & sepultus est in infer.&c.Deo aduersarius,adeo vt dei amicitia & ipsius non habeantur simul Iacobi 4. Quicunque voluerit esse amicus huius seculi:inimicus dei constituitur.Hoc castellum contra deum munitum est, cuius fossatum est cupiditas quod inde profundatur & dilatatur: vnde videretur impleri quod mirabile est dictu.Ex intentione enim terrenæ substantiæ cupiditas augetur.Crescit amor nummi quantùm pecunia crescit.Luc.1. Diuites dimisit inanes.Ardor cupiditatis est velut ignis græcus quo diabolus quasi consumit & facit nō apparere quod in hoc fossato proiicitur. Alia fossata per processum temporis implentur.Istud autem semper profundatur:quia per cōsuetudinem de die in diem profundius in peccatum descenditur.Voluptas vero est,velut aqua immunda cingēs hoc castellum, & quasi inexpugnabile reddens. In qua aqua adulatores velut ranæ coaxantes morantur. In Psal. Dedit terra eorum ranas in pe. re. ipsorum. In hac aqua magna pars ipsorum qui ad impugnandum hoc castrum missi sunt submersa est vt multi magni prælati ecclesiæ qui viuunt delicatius quam principes terreni. Turris in hoc castro superbia est. Mons super quem hoc castrum ædificatum est materia superbiæ:vt potentia: diuitiæ:vel scientiæ,&c.Muri sunt ex peccatoribus induratis. Zach.6. Cor suum posuerunt vt adamantem. Ioh. 15. Indurabitur cor eius quasi lapis,&c.Cementum vel bitumen est colligatio impietatis vel turpis amor. Circa quartum notandum quòd discipuli missi sunt ad soluendum animam: & ad adducendum,vnde dictum est eis, Soluite & adducite

mihi.

mihi. Vincula quibus anima alligata est: intelligi possunt septem vicia capitalia quę soluuntur per septẽ dona spiritussancti. De quibus Esayæ 11. Notãdum est ergo quòd sic soluuntur septem capitalia: timor soluit superbiam: timoris enim comes est humilitas. De timore, Prouerb. 18. Timor domini fons vitæ vt declinet à ruina mortis siue morte ruinosa. Scientia soluit iram sicut stultitia eam fouet. Iob. 5. Virũ stultum interficit iracundia. Pietas soluit inuidiam. Pietas enim malis proximis condolet, de quibus inuidia gaudet 2. Cor. 11. Quis infirmatur, &c. Fortitudo accidiam. Prouer. 10. Egestatem operata est manus remissa: manus autem fortium diuitias parat. Consilium soluit cupiditatem siue auariciam. Matth. 19. Si vis perfectus esse, va. &c. Intellectus luxuriam in Psal. Nolite fieri sicut equus & mulus quibus non est intellectus. Sapientia quæ pertinet ad gustum spiritualem, soluit vitium gulæ. Aug. Gustato spiritu desipit omnis caro. Ita econtrario. Gustata carne desipiunt spiritualia, vnde filij Israel concupiscentes carnes, fastidierunt manna. Numeri 10. & 11. Spiritualiter asina significare potest peccatores multis laboribus & doloribus pressos. Pullus vero illos qui in labore hominum non sunt, qui per campum licentiæ euagantur, onus bonæ occupationis aut sollicitudinis abiicientes. Iob 11. Vir vanus in superbiam erigitur, & tãquam pullum onagri se liberum natum putat. Vtrique vinculis peccatorum sunt alligati. Prouer. 5. Iniquitates suæ capiunt impium. Chrysost. Antequam peccemus liberi sumus: sed si semel nos operibus diaboli obligauerimus, iam nostra virtute liberari non possumus: sed sicut nauis fracto gubernaculo illud vbi tempestas voluerit ducitur: sic homo perdito auxilio gratiæ dei non facit quod vult, sed quod Diabolus. Sicut regem facit populus, tamen factum non potest repellere: sic postquam homines thronum Diaboli posuerunt in cordibus suis, iam non potest eos eripere nisi deus. Et notandum quòd diabolus alligat peccatores quasi iumenta, non tantum per vnum membrũ, sed per multa: scilicet per linguam, per oculos, per aures, per manus, per pedes. Oculos habent quasi ligatos ad ea quæ turpiter amat, vt ad alia vix eos conuertere possint. Idem intellige de aliis membris.

Sermo

Sermo secundus de eodem.

ITe in castellum quod contra vos est.
Notandum quòd duplex est castellum, scilicet vnū quod deus firmauit contra Diabolum: quod significatum est per bethaniam quæ interpretatur domus obediētiæ,& significat ecclesiam.Lu.10.Intrauit Iesus in quoddā cast. &c. Aliud est castrum quod Diabolus munit contra Christum:de quo.Lu. 17. Cùm ingrederetur Iesus castellum,occurrerunt ei decem viri leprosi amatores, scilicet mundi: transgressores; decalogi. De hoc castello hic habetur.Significat enim mundum Christo & discipulis eius oppositum:& cōtra deum munitum. Ad hoc castrū mittit dominus discipulos suos ad tria, videlicet, Ad mundum impugnandum:Ad soluendum peccatores; Et ad adducēdum ad Iesum. Figuratus est autem mundus per Hierico. Et modus quo Hierico subuersa est ostendit modum quo debet impugnari mundus.Notandū ergo quòd filij Israel septem vicibus circuierunt Hierico:& post ad clangorem tubarum & clamorem populi muri eius corruerunt.Sic ad mundi impugnationem valet quòd consideratione animi septemplici circumeatur: valet etiā ad hoc clangor tubæ prædicationis: cum clamore orationis. Circuitus septem sunt considerationes septem malorum quæ sunt in hoc mundo quæ valent ad hoc vt contemnatur. Quæ insinuatur nobis Sap.5.Lassati sumus in via perditionis:&c.

Septem mala sunt in mūdo isto.Primum est labor amatores mundi fatigans. Cuius fatigationis duplex est causa,scilicet.Multitudo agendorū.Et multitudo impedimētorū.vnde dicsit damnati. Sap.5.Lassati sumus in via perditionis,&c.Secūdum est neglig ētia meliorum.Adeo enim intentus est & diligens circa temporalia quòd negligit æterna. Vnde Lucæ 14.excusant se inuitati ad nuptias. Et semē suffocatū est inter spinas.Mat. 13. Item. Ephraim & Manasses: abundātia enim tēporaliū & dei obliuio se cōcomitantur.Ideo dic.tur Deut. 8.Caue ne cum dederit tibi dominus vrbes & oppida,cūctarunque opum copiā: obliuiscaris domini dei tui. Gene.40. Pincerna Pharaonis in prosperitate oblitus est interpretis sui. Hoc malum insinuatur

nuatur cum dicitur, Viam domini ignorauimus. Tertium est vanitas. Bona enim præsentia non sunt vera bona: nec mala pene præsentia vera mala sunt: sed sunt quasi vmbræ verorum bonorum & verorum malorum. vera enim bona & vera mala futuræ vitæ sunt. sap. 5. Omnia transierunt tanquam vmbra. Hæc vmbra figurata est in vmbra iuniperi. 3. Reg. 19. item, In vmbra hederæ. Ionæ 4. Propter hãc vanitatem prosperitas amatorum mundi somnio comparatur. Ecclesiastici 34. Somnia extollunt imprudentes. Iob 20. Transiet sicut visio nocturna. Quartum est fugacitas bonorum mundi. de quo ibi, Tanquam nuncius præcurrens, &c. Omnia mũdana quæ videmus decidere vt flores & similia: præmittuntur quasi nuncij qui nunciant vobis mortem. Ecclesiastici 38. Memor esto iudicij mei: sic enim erit & tuum. Meum heri: & tuum hodie. Quicunque ante te moritur: est nuncius tuus præcurrens ad mortem. Sen. Voluptates non sunt solidæ: non sunt fideles: etiam si non nocent, fugiunt. Potius aliquod bonum mãsurum circunspice. Sola virtus pręstat gaudium perpetuum & securum. Quintum est periculum quod insinuatur ibi, Tanquã nauis quæ pertransit fluctuantem aquam. Sicut nauigãti per mare propinqua est causa pereũdi: sic viuenti in hoc mũdo. Ber. Periculum probat transeuntium raritas & pereuntium multitudo. Augusti. Amas seculum: absorbebit te. Amatores suos vorare nouit: non portare. Sextum est mutabilitas quæ notatur ibi, Sicut auis quæ transuolat in aëre. Ascẽdũt enim vsque ad celos: & descẽdunt vsque ad abyssos. Itẽ si bene eis est, timẽt: si male, dolent: ita quòd nunquam in eodem statu permanẽt. Iob 14. Septimũ malũ est vulnus occultum quod bona huius mũdi amatoribus suis infligũt. quod notatur ibi, Tãquã sagitta emissa. Ideo spinis cõparantur. Mat. 13. & Lucæ 8. Abacuc. 2. Post illud, Væ qui multiplicat non sua. subditur, Nunquid non repente consurgent qui mordeant te: & suscitabũtur lacerãtes te.

Sermo tertius de eodem.

DIcite filiæ syon, Ecce rex tuus venit tibi mansuetus super asinam, &c.

Tria

Tria vult spiritus Sāctus ostēdi ecclesiæ de rege suo scilicet eius charitatem, mansuetudinem & humilitatē. Primum datur intelligi ibi, Venit rex tuus tibi, id est ad vtilitatem tuam. Secundum ibi, Mansuetus. Tertium ibi, Sedens super asinam, &c. Et quæ à propheta sunt prænunciata ostendit Euangelium esse exhibita. De charitate habetur. Ioan. 15. Maiorem hac dilectionem nemo habet, &c. De mansuetudine & humilitate. Mat. 11. Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Istæ tres gratiæ multum sunt necessariæ illi qui habet alios regere. Debet enim præesse humiliter vt sic populo præsit quòd deo subsit. Non transeat à ministerio dominium in populo. Deo seruiat, non tyrannidem exerceat. August. Iusticia est amor soli amatori seruiens: & ideo recte dominans. Clementer vt coactus penas inferat. Vtiliter vt libenter beneficia conferat. Potius quærat populo prodesse quam obesse; & quā emolumentum temporale ab ipsis recipere. Beatius enim est dare, quam accipere. De humilitate dicit Bernardus. Cum omni indifferēter personæ humilitas sit quædā turris fortitudinis à facie inimici: nescio quo pacto vis eius maior in maioribus & in clarioribus clarior comprobatur. Ecclesiastici 3. Quanto magnus es, humilia te in omnibus, &c. Mansuetudo etiam multum necessaria est iis qui præsunt. vnde Moyses quem præfecit dominus populo suo, erat vir mitissimus super omnes ho. qui mo. in. ter. Numeri. 13. & 4. Reg. 20. Audiuimus quia reges Israel clementes sunt. Prouerb. 20. Roboratur clementia thronus regis. Ecclesiasti. 10. Sedes ducum superborum destruxit: & sedere fecit mites pro eis. Sen. Nullum ex omnibus clemētia magis quam regem aut principem docet. Idem, Iracūdissimæ ac pro captu corporis pugnacissimę sunt apes: & aculeum in vulnere relinquunt: rex ipse sine aculeo est. Noluit cum natura sceuum esse. Exemplar hoc omnibus regibus ingēs. Pudeat ab exiguis animalibus non trahere mores. Tanto moderatior animus hominū esse debet quanto vehementius nocet. In signum mansuetudinis quam debent habere inunguntur reges Christiani & magni prælati ecclesiæ. Item, Propter hanc mansuetudinem Christus vocatur agnus. Esaiæ 16. Emitte agnum domine dominatorem terræ, &c. Charitas etiam necessaria est iis qui præsunt. Periculosiss

culosissimum enim est populo habere hostem suum supra se. Tren. 1. Facti sunt hostes eius in capite. Onerosum est valde homini habere hostem suum supra se. Sen. Illius magnitudo stabilis est quã omnes tam supra se esse quã pro se sciunt. Multi tamen rectores sunt in ecclesia qui potius volunt Diabolum imitari quam Christum Diabolus voluit similis esse altissimo. Esa. 14. Ipsi etiam volunt esse supra altissimum, dum volunt voluntatem suam in his quæ deo placent: & in his quæ deo displicent. Item, Diabolus seruientes sibi bonis spoliat. Ioel. 2. Quasi ortus voluptatis terra corã eos & post eum solitudo deserti. Sic ipsi spoliant subditos suos. Esa. 3. Populũ meum exactores sui spoliauerunt. Itẽ, Diabolus seruientibus sibi pro pręmio reddit supplicium. Sic ipsi illos qui eos eligendo honorauerunt: postea ramnum affligunt. Ideo significãtur per Iud. 1. Ramnus genus rubi est quod vulgo senticem appellatur. Asperum nimis: & aculeatum sicut sentes: & secũdum Iosephum ad impetum venti ignem naturaliter ducit. Vnde significat ambitiosum qui spinis vitiorũ spinosus est: qui spoliat subditos suos sicut spinæ lana spoliant oues à quibus contingunttur. Qui ex se emittit ignẽ iræ quo ipse cum subditis suis comburitur Qui se mollem & mansuetum in principio exhibet: deinde durum: & post tyrannidem exercet.

Sedens super asinam, &c. Multis de causis dominus super asinam sedere voluit. Primo: vt ostenderet se in mansuetis quiescere. Chrysostomus, Non in curru vel in equo superbiæ vel bełli, sed in asina pacis: quia in humilibus & mansuetis quiescit. Secundo ad dandum exemplum humilitatis & ad demonstrationem superbiæ; præcipue illius superbię quæ attenditur in æquitaturis. vnde Zach. 9. post illud, Sedens super asinam, subditur, Et disperdam quadrigam ex Ephraym, & æquum de Hierusalẽ. Tertio: vt ostẽderet in quo statu erat homo in aduentu suo; quia comparatus erat iumentis insipientibus & similis factus erat illis. Ber. n Ecce quomodo de grege facta egregia creatura, Puto iumenta dicerent si loqui fas esset: Ecce adam quasi vnus ex nobis. Similis erat homo ante aduentum Christi iumento & in morte & in vita. vnde Hiero. Quid miserius homine, qui æternæ mortis terrore prostratus ad hoc tan-

tum

tum ſenſum viuendi acceperat,vt periret? Immo Inferior erat iumento. Cum enim iumentum vnicam mortem debeat:ipſe debebat duas:temporalem ſcilicet & æternam.

Sermo quartus de eodem.

PLurima autem turba.&c.Io.12.
Sic habetur. Turba multa quæ conuenerat ad diē feſtum,cum audiſſent, quia Ieſus venit Hieroſolimam,acceperunt ramos palmarum,& proceſſerunt obuiā ei.Et ab hoc verbo proceſſerunt:nomen proceſſionis ſumptum eſt.Facit autem eccleſia tres proceſſiones ſolenniores aliis.Primam cum luminibus, ſcilicet in purificatione. Secundam cum ramis & floribus,ſcilicet in ramis palmarum.Tertiam cum vexillis & crucibus,ſcilicet in aſcēſione.In quibus tria commendantur fidelibus valde neceſſaria ad ſalutē.In prima lumen ſapientiæ.In ſecunda exemplum ſocietatis bonæ. In tertia amor crucis pænitentiæ. Et nota quòd primum oſtendit homini quid fieri debeat. Secundum quid fieri valeat.Tertium vero de hoſte triumphat:ſicut & Chriſtus per crucem de hoſte triumphauit. Qui timet quæ penalia ſunt in mundo iſto & ſuauia quærit:vix de hoſte triumphat.Augu.Omnia terrena contempſit homo deus vt contemnēda monſtraret: & omnia terrena mala ſuſtinuit vt ſuſtinenda doceret:vt nec in iſtis timeretur aduerſitas:nec in illis ſuperaretur fælicitas. Sen. Quemadmodum hoſtis pernitioſior eſt fugientibus: ſic omne fortuitum incommodum magis inſtat cedenti ex aduerſo.Ioſue 7.Mi domine deus quid dicam vidēs Iſraelem hoſtibus ſuis terga vertentem? Iſta tria etiam commendat nobis eccleſia in proceſſionibus aliis quas facit. poſt aquam enim benedictam quæ ſignificat baptiſmum quo primo fit purificatio, ſunt duo cerei in quibus lumen ſapientiæ deſignatur. Qui duo fiunt propter duo teſtamenta. Deinde reliquiæ ſanctorum,à quibus exempla ſumere debemus. Tertia eſt crux. Hæc tria ſignificantur in illis tribus quæ in arca teſtamenti continebantur. De quibus ad Ebr. 9. In arca teſtamenti erat vrna aurea habens manna: & virga Aaron quæ fronduerat: & tabulæ teſtamenti

menti quæ pertinent ad lumen sapientiæ. Virga Aaron ad pænitẽtiam: vrna aurea habens manna est homo ille deus quem maxime debemus imitari. Et notandum septem attendenda esse facta in die tali: quæ possunt esse materia sermonis. Quorum primum est, quòd dominus venit voluntariè & tempestiuè ad locum vbi erat ipse passurus pro nobis. Esa. 53. Oblatus est, quia ipse voluit. Et nos ergo ad confessionem voluntariè & tempestiuè veniamus. Patiamur libẽter pro eo qui pro nobis tot & tanta passus est. Psalm. Quid retribuam domino, &c. Secundum est, quòd veniens ad mortem, honorem suscepit, quem alias recusauit. Ioan. 6. Iesus cum cognouisset quòd venturi essent vt raperent eum & facerent regem, fugit in montem ipse solus. Ideo dominus veniens ad mortem honorem suscipere voluit: vt ostenderetur, quòd qui gloriam quęrunt in hac vita, similes sunt ei qui morti adiudicatus cum honore magno vellet ire ad locum mortis. August. Nihil aliud est tempus præsentis vitæ quàm cursus ad mortem: in qua vel nemo stare parum potest, vel tardius ire permittitur: sed omnes pari motu vrgentur. Greg. Qui præsenti suauitate capitur: quasi per amœna prata ad interitum ducitur. Tertium est, quòd dominus tam humiliter honorem illum suscepit. Ber. Sicut in passione patientiã: sic in processione humilitatem exhibere curauit. In illa tanquam ouis ad occisionẽ ductus est, &c. In processione autem quid? Parabant se populi vt exirent obuiam ei. Nec eum latebat qui nouerat quid esset in homine. Propter quod & ipse paratus est: nõ in curribus & equis: nõ in frenis argẽteis aut sellis auro tectis. Sed humilis aselli tergo insidens suppositis apostolorũ vestibus: quas ego de præciosioribus regionis fuisse non credo. Quartum est multiplex obsequium iumento portanti illum exhibitum. Alij vestimenta iumento imponebant: vt dominus ei mollius insideret. Alij prosternebant vestimenta in via per quam iumẽtum iturum erat. Alij ramos & frondes arborum. Sic valde magna reuerentia exhibenda est homini de quo creditur quòd Christum portet: & ad hoc conandum esset vt suauius illum portaret: & ne se in via morum inquinaret. Sed econtrario: tales hodie punguntur contumeliis & irrisionibus, & offendicula eis in via ponuntur: ac si ini-

tenderent Christũ molestare in eis vel præcipitare. Quintum est: quòd læticiæ Hierosolymitarum fletum miscuit de quo habetur. Luc.19. Cum apropinquauit videns ciuitatem fleuit super illam,&c. vt ostenderet illud Prouer.14. Risus dolore miscebitur: & extrema gaudij luctus occupat.& vt docet ecclesiasti.11. In die bonorum ne immemor sis malorum,&c. & Ecclesiast.7. Vbi cor sapientum, ibi tristitia. Vbi cor stultorum, ibi læticia,&c. Sextum est, quòd ad exuperãdam cupiditatem quæ causa erat malorum pro quibus flebat: tam zelo exarsit. Beda, post enumerata mala ingressus est templum & eiecit vendentes & ementes: per hæc innuens quòd ruina populi maxime sacerdotis culpa fuerit. Dum enim vendentes & ementes percutit: ostendit vnde radix perditionis processit 1.Tim.6. Radix omnium malorum est cupiditas. Sine dubio cupiditas tam sacerdotum quam populi in causa erat quòd in templo commercia exercebant. Septimum est quòd vsurarios qui non accipiebant etiam vsuram manifestam, sed munuscula fructuum de templo eiecit & latrones iudicauit dicens, Scriptum est Io.21. Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis eam speluncam latronum. Et indubitanter vsurarij tanquam latrones in futuro damnabuntur. Væ illi qui alium modum inueniendi victum suum in hoc mundo nescit habere, quam per latrocinium, qui incessanter mortem & periculũ animæ suæ comedit & bibit. 2.Reg.23. dixit quòd Num sanguinem hominum istorum qui profecti sunt: & animarum periculum bibam? Noluit ergo bibere. Si Dauid noluit bibere alienum periculum: multominus vsurarij deberent bibere proprium.

Sermo quintus de eodem.

PLurima autem turba,&c.

Duplex processio recolitur saluatoris hodie in ecclesia: videlicet, vna quæ fuit à mõte Oliueti in Hierusalẽ, cum honore & reuerentia. Alia quæ fuit à Hierusalem ad locum crucifixionis, cum merore & verecundia. De prima loquitur euangelium quod legitur in processione: & hanc repræsentat processio hodierna. De secũda legitur in passione

ſione quæ legitur ad miſſam. In prima vero proceſſione triplex obſequium exhibitum eſt ſaluatori, vt oſtendit Ber. his verbis:Libet inquit cõſiderare triplex obſequium quod in proceſſione hac exhibetur ſaluatori.Primum quidem à iumento cui inſidet. ſecundum ab iis qui veſtimẽta proſternunt. tertium ab iis qui ramos de arboribus cedere perhibẽtur. Nonne omnes reliqui ex eo quod abundant ſibi mittũt, & quaſi ſine labore obſequũtur domino? Solum vero iumentum ſemetipſum exponit obſequio. Silendum mihi eſt vt elationem caueatis an magis loquar vt habeatis conſolationem.Iumentum quidem cui inſidet nonne vos eſtis glorificantes & portantes deum in cordibus veſtris? Expẽdunt ſeculares homines in obſequium domini non quidem corpora ſed quæ adiacent cum de terrena ſubſtantia eleemoſynas largiuntur.Prælati ramos cedunt de arboribus: cum euangelizantur de fide & obedientia Abrahæ:de caſtitate Ioſeph:de mãſuetudine Moyſi: ceteriſque virtutibus. Et notandum quòd per veſtimenta intelliguntur corpora vel bona opera. Primo modo veſtimenta in via proſternunt qui dant exemplum carnem mortificandi vel eam martyrio exponendi. De veſtimentis bonorum operum dicitur Apoc.16.Beatus qui cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet. Eccleſiaſti. 9. Omni tempore ſint veſtimenta tua candida. Viſtimenta iſta in via proſternit: qui ſequentibus bona exempla relinquit. Sic Helyas palliũ ſuum reliquit Heliſeo 4.Reg. 4. 2.Mac. 2.Adoleſcentibus exemplum forte relinquam,&c. Secundum gloſam. Ramos vel frondes cedunt qui verba & ſententias de libris patrum excerpunt. Item, Qui viros ſpirituales hominibus ad imitandum proponunt.Arbores ſurgunt de terra,& eriguntur ad cælum: ſic viri ſpirituales. Alius eſt oliua, ſecundum illud Pſalm. Ego quaſi oliua fruc.in do.d.de qua decerpitur ramus miſericordiæ. Alius eſt vt palma ſecundum illud, Iuſtus vt palma florebit. Item Iob.29.Sicut palma mul.d.Item Canti. 7. Statura tua aſſimilata eſt palmæ. De hac decerpitur ramus longanimitatis & patientiæ. Palma poſt centum annos fructificat: & viri ſancti poſt præſentem vitam fructum æternæ mercedis recipiunt. Gene. 21. Abraham centenario natus eſt Iſaac. Prouerb. vltimo, Et ridebit in die nouiſſimo,

Alius eſt cedrus arbor: ſcilicet imputribilis: qui poteſt dicere illud Eccleſiaſti. 24. Quaſi cedrus exaltata ſum in libano. De quo ramus continentiæ decerpitur.

De aſſociatione proceſſionis & paſſionis quæ fit hodie require in ſermonibus de apoſtolis.

Plurima autem turba, &c. In iis verbis oſtenditur honor exhibitus ſaluatori ad locum paſſionis venienti. Et oſtenditur primo à quibus ſit exhibitus. Exhibitus eſt ei honor à turba, ibi, Plurima autem turba, &c. Secundo quo modo ſit exhibitus, ibi, Strauerunt veſtimenta ſua in via. Exhibitus eſt honor ei à turba, ſcilicet à paruis, pauperibus, ſimplicibus & abiectis: non à diuitibus & ſapientibus & potentibus. Similiter accidit hodie, ſecundũ illud 1. Cor. 1. Videte vocationem veſtram fratres: quia non multi ſapientes ſecundum carnem: non multi potentes, non multi nobiles, &c. Diuites & ſapientes, ſcilicet ſcribæ & phariſei: & potentes, ſcilicet principes de morte eius tractabant: dum ipſe à turba honorabatur. Paucos habuit Chriſtus amicos diuites, potentos & ſapientes. Vnum amicum diuitem habuit, ſcilicet Zacheum, de quo Luc. 19. & vnum potentem, ſcilicet centurionem, Matth. 8. Et vnum ſapientem, ſcilicet Nicodemum. Ioan. 3. Ideo eum non amabant, quia eis non nunciabat bona, ſed mala. Econtrario vero pauperibus: ſimplicibus & humilibus nunciabat bona vt poteſt oſtendi ex teſtimoniis ſcripturæ quæ ſequuntur. Matth. 5. Beati pauperes ſpiritu. Econtrario dicitur diuitibus, Luc. 6. Væ vobis diuites. Item, Matth. 11. Confiteor tibi pater, domine cæli & terræ. Luc. 18. Omnis qui ſe exaltat humi. Luc. 18. Niſi conuerſi fueritis, &c. Eiuſdem 19. Sinite paruulos venire ad me, nolite vetare eos: pro talibus eſt enim regnum cælorum. Turbæ dominus miſerebatur. Matth. 15. Miſereor turbæ: quia iam triduo perſeuerant mecum, &c. Circa ſecundum notandum quòd exhibentes honorem veſtimenta in via ſternunt: ramos vel frondes de arboribus cedunt, & in via ponunt: & clamando orant & benedicunt. Via, penitentia eſt per quam homo vadit ad deum. Act. 18. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnũ cælorũ. Eſa. 30. Hæc via: ambulate in ea. In hac via veſtimenta ſternuntur: cum pænitẽtiæ & tribulationi corpora exponũtur. Sed veriſſimile eſt quòd

ante veſtimentorum proſtrationem via fuerit expedita à tribus,videlicet à lapidibus,à luto,& à ſpinis,ſi ibi erãt.In quibus intelliguntur tria quæ pænitẽtibus ſunt neceſſaria ante carnis mortificationẽ ſiue ieiuniũ: videlicet Amotio peccatorum,quæ intelligitur in amotione luti. Dimiſsio odij vel rancoris,quæ intelligitur in amotione lapidum. Reſtitutio ablati,quæ intelligitur in amotione ſpinarum. Spinæ enim vocãtur diuitiæ.Mat.13.& Lucæ.8.Et notandũ eſt quòd primũ ordinat ad deum eum,ſcilicet remouẽtur ea quæ in homine deo diſplicent. Secundum, ſcilicet dimiſsio odij ordinat ad proximum. Tertium vero ordinat ad temporalia bona: ne homo nimis diligat ea retinendo contra propriam ſalutem. Quòd primum ſit neceſſarium patet ex eo quòd legitur Eſa.58. Ecce in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra. & ſubditur,Nonne hoc eſt ieiunium quod elegi?quaſi diceret,non: ſed illud quòd ſubditur: Diſſolue colligationes impietatis. De ſecundo patet per illud Mat.6.Si non dimiſeritis hominibus peccata eorum: nec pater veſter dimittet vobis peccata veſtra. De tertio patet per illud Aug. Non dimittitur peccatum: niſi reſtituatur ablatum. Per poſitionem ramorum in via cum rami illi fuerint oliuarum, ſecundũ quòd cantat eccleſia, Pueri Hebreorum tollentes ramos oliuarum:ſignificatur eleemoſyna. Oliua enim propter oleum,ſignificat miſericordiam. Ramus autẽ oliuæ opus eſt miſericordiæ:ſecundum quod habetur Gen. 8. quòd poſt diluuium attulit columba ramũ oliuæ,&c.Ad deſignãdum ceſſatiõẽ diluuij: Signũ ceſſationis diluuij iræ dei eſt miſericordia: quoniã beati miſericordes,quoniã ipſi miſericordiã conſequẽtur. Mat.5.Clamor duplex eſt,videlicet.Orationis,& gratiarũ actionis.Oratio eſt illud, Oſanna in excelſis. Gratiarum actio eſt illud, Benedictus qui venit &c. Et inſinuantur nobis tres conditiones quæ valent ad hoc vt homines exaudiantur. Tres conditiones bonæ ſunt hæ ſcilicet Deuotio, fiducia, diſcretio. Primum nota in hoc quòd dicitur clamabat. Clamor eſt vbi eſt intentio vocis. Sic deuotio eſt intẽtio deſiderij. Dauid,Clamauerũt iuſti:& dominus exaudiuit eos.Exo.14. Quid clamas ad me:dicit dominus ad Moyſen. Tamen nihil legitur dixiſſe exterius. Ad fiduciam pertinet illud, Filio dauid. Dauid enim fuit mi-

ſericors 1.Mac.2.Dauid in ſua miſericordia cõſecutus eſt ſedem regni in ſecula. Reducitur ergo pater miſericors ad memoriam:quod præſtat impetrandi fiduciã.Ad quod etiam facit rememoratio humanitatis aſſumptæ. Bern. Puto iam me ſpernere non poterit Chriſtus : os ex oſſibus meis & caro de carne mea. Ad diſcretionẽ pertinet illud. Oſanna in excelſis, id eſt ſalua nos obſecro in excelſis, Qui petunt corporalem ſalutem : petunt contra ſalutem, vnde non petunt diſcrete.Matth.5.Primum quęrite regnũ dei & iuſtitiam eius,&c.In vniuerſo ergo in modo exhibendi honorem oſtenduntur nobis ſex pertinentia ad viã pænitentiæ,videlicet Amotio peccati , Dimiſſio odij, Reſtitutio ablati.Mortificatio carnis,Eleemoſyna,Oratio.

In die ſancto Paſchæ,
SERMO PRIMVS.

MAria Magdalene & Maria Iacobi & Solomæ,&c.Mar.16. Matth. 28. Luc.24.Io.20.

Maria Iacobi minoris mater, & Salome filia. Ex Ioachim Cleopha Salome tres Anna Marias:quas habuit iũxit Ioſeph,Alpheo.Zebedeo , vnius hæc mater , hæc quatuor,illa duorum.videlicet iuncta Ioſeph , ſcilicet , beata virgo fuit mater vnius,ſcilicet,Chriſti. Iũcta Alpheo fuit mater quatuor,videlicet Iacobi minoris , Symonis , & Iudæ,& Ioſeph.Iuncta Zebedeo fuit mater duorum,ſcilicet Iacobi maioris , & Iohannis euangeliſtæ. Emerunt aromata,id eſt ſpecies aromaticas vel redolentes, ſecundum Lucam penultimo.Mulieres quæ venerant de Galilea in die paraſceue ſepulto domino viderũt monumentum : & quemadmodum poſitum erat corpus eius : & reuertentes parauerunt aromata & vnguenta. Et ſabbato quidem ſiluerũt ſecundum mandatum. Et cum tranſiſſet ſabbatum & rediſſet licentia operandi, perfecerunt quòd minus fecerant in paraſceue , ſabbato ſuperueniente. & de hoc loquitur hic Marcus.Et valde mane vna ſabbatorum. Interli.ideſt prima à ſabbato.Eadem prima ſabbati dicitur quæ

nunc

nunc dominica appellatur: venerunt ad monumentum, &c.Maria Magdalene,&c.Notandum quod series hodierni euangelij tria nobis ostendit pertinentia ad ædificationem nostram,scilicet,Mulierum deuotionem: Capitis ecclesiæ resurrectionem:Angelicam ad nos dilectionem. Quæ tria videntur esse cõtra illa tria quæ fuerunt in perditione humani generis:videlicet Inuidia angeli apostatæ peccatum suadentis:Peruersitas mulieris diabolo potius quàm deo credentis:Et sententia mortis de qua Ge. 2. Quacunque die comederitis ex eo, morte moriemini. Circa primum nota quòd mulieres multum fuerunt deuotæ Christo. Ipsæ mulieres fuerunt deuotæ eius prædicationi?Secutæ enim sunt prædicationem eius. Matth.27. Erant multæ mulieres à longe quæ secutæ erant Iesum à Galilea ministrantes ei,&c.Passioni,Ioh.19.Stabant iuxta Iesum mater eius,&c.Sepulturæ.Magdalena sepulturam eius vnctione præuenit. Ipsa cum aliis aromata parauit. Marci vltimo.Cum sepeliretur mulieres aspiciebãt.Matt. 27.Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria sedentes contra sepulchrum.Item,Monumentum visitando deuotæ fuerunt.Matth.27. Venit Maria Magdalene & altera Maria, videre sepulchrum.Circa secundum notãdum quòd resurrectionem capitis nostri nũciat angelus.Quæ nunciatio quasi noua semper debet haberi. Sicut eã quæ in parasceue leguntur de passione domini quasi recentia audiuntur, & cum mœrore: sic quæ de resurrectione in pascha leguntur cum lætitia audienda sunt & quasi noua. Hæc est nouitas quæ non veterascit. Vnde dies paschæ dies boni nuncij est 4.Reg.4.Hæc dies boni nuncij est. Si tacuerimus & noluerimus nunciare vsque mane: sceleris arguemur.Prouer.25.Aqua frigida animæ sitienti: nũcius bonus de terra longinqua.Sex vero nuncianda sunt mundo in die paschæ.Primum est nobilis triumphus Christi, vnde Mors & vita duello conflixere mirando: dux vitæ mortuus,&c.Circa quem triumphum attẽdendus est modus pugnandi, quo triumphauit. Vicit enim non percutiendo,sed patiendo. Prouer. 16. Melior est patiens viro forti, vicit sapientia:non manifesta potentia.Iob 26. Prudentia eius percussit superbum.Vicit silendo,non litigando.Esa.53.Quasi agnus coram tondente se obmutuit, &c.

Vade & fac similiter. Contrariis pugna non similibus. Aqua contra ignem pugnandum est. Sic silentio contra garrulitatem: sapientia contra stultitiam. Pacientia contra fratris iram. Non credas dedecus esse si vel non repercutias vel conuicium pro cōuicio non reddas. Immo magnus honor est, cum aliquis à talibus cauet: ne os suum vel manum maculet. Prouerb. 20. Honor est homini cum separat se à contentionibus. Seneca, Quibusdam libenter parcas à quibus te vindicare fastidias & non aliter quàm ab animalibus paruis & inquinātibus reducenda est manus. Secundum est, quòd Christus contriuit inferni portas æreas: & vectes ferreos confregit. Iam carcer in quo amici dei detinebantur ruptus est: vt iam non possit amicos dei detinere. Ozeæ 13. Morsus tuus ero inferne. Qui mordet, partem capit, partem relinquit. Amicos dei de inferno extraxit: inimicos ibi reliquit. Væ illi qui carcerem inferni sibi reparat peccatum mortale committendo. O quantum gaudium est, cum quis liberatur à carcere saracenorū! Quantū ergo gaudium fuit cum Christus amicos suos de carcere inferni eduxit. Tertium est resurrectio capitis nostri quæ mortem destruxit 1. Cor. 15. Vbi est mors victoria tua. Quartum quòd licet defuerit Christo post resurrectionem miseria: non tamen defuit ei misericordia. Pincerna Pharaonis succedētibus prosperis oblitus est interpretis sui. Gen. 40. Et sicut vulgariter dicitur, Honores mutant mores. Sed Christus in gloria resurrectionis pietatem exhibet sicut & in statu mortalitatis. Mar. vltimo, Surgens Iesus mane prima sabbati: apparuit primo Mariæ Magdalenę de qua eiecerat septem dæmonia. Ipse etiā Symoni, qui eum negauerat, specialiter apparuit. Lucæ vlt. Et rediit ad discipulos, Thomam in fide confirmaturus. Iohan. 20. Quintum est quòd nos resurgemus cum caput nostrum resurrexit, Similium meritorum apud eundem iudicem similis est remuneratio, vnde Si Christus seruiendo deo in corpore & anima meruerit remunerari in corpore & anima: & nos similiter remunerandi sumus. Non est verisimile quòd Deus minus liberalis sit in remunerando quàm homo in seruiendo, vnde Si homo in corpore & anima seruit deo: Deus in corpore & anima remunerabit. Præterea si corpus non resurgit

git non remuneratur homo sed anima, quæ non est homo. Iam non debet esse pigra caro quæ tanta gloria remuneranda est. Sextum est quòd celestis Ierusalem recuperata est: vnde iam tempus est peregrinãdi. Ideo eadem die dominus in specie peregrini apparuit, vt habetur Lucæ vlt. Dilectio angeli ad homines iã patet: angelus enim de cælo descendens, lapidis reuolutione sollicitudinem remouet quam habebant mulieres. De cuius amotione consolatur eas. Nolite inquit timere, &c. Resurrectionem eis nunciat. Inditia resurrectionis eis dat: venite inquit, & videte locum vbi posuerunt eum. Mittit eas ad nunciandum resurrectionem discipulis. Indicat locum vbi Christus sit videndus. Iam non habet mundus causam non diligendi mulierem vel angelum, qui perditionis mundi causa extiterant: cum ei satisfecerint. Iam non est timenda mors quam immortalitas consequatur. Somnus est à quo resurgitur: non mors. Psalm: Ego dormiui & exurrexi. Mors corporalis est depositio veteris vestis quæ quasi de sacco est. Psalm. Concidisti saccum meum, &c. Mors porta est per quam exitur à miseria & transitur ad gloriã.

Sermo secundus de eodem.

MAria Magdalene & Maria Iacobi & Solome emerunt aromata, &c.

In hoc quòd Mariæ vnguenta præparant, datur intelligi quòd amaritudo pœnitentiæ suauitatẽ spiritualis consolationis meretur, secundum Bern. Cum per fidem habitet Christus in cordibus nostris: Christus in sepulchro est: fides mortua in animo. Quid ergo faciemus ei? quod fecerunt sanctæ mulieres. Emerunt aromata: vt venientes vngerent Iesum. Nunquid vt suscitarent? Scimus quòd suscitare nostrum non est: sed vngere nobis incumbit. Cur hoc? Ne feteat qui huius est: ne sit cæteris odor mortis: ne effluat & penitus dissoluatur. Emant aromata tres mulieres, scilicet mens, manus lingua. De iis enim vt arbitror Petrus mandatum accepit tertio pascere gregem domini,

Pasce inquit mente, ore, opere. Pasce animi oratione, verbi exhortatione, exempli exhibitione. Quærat igitur mens aromata sua, scilicet ante omnia compassionis affectum: deinde rectitudinis zelum: & inter hæc discretionis spiritum non omittat. Gal. 6. Vos qui spirituales estis huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, &c. Cōpassionis affectus multum quidem prodest: quia animus liberalis quem pro se videt anxium, cōtristare erubescit. Nisi priora sibi vendicet compassionis affectus. In spiritu vehementi cōcernimus naues Tharsis: concernimus quassatum calamum: & linum fumigans extinguimus. Samaritanus autem vulneribus sauciati vinum & oleum infundi. Lucæ 11. in Psalm. Bonitatem & disciplinam & sci. d. me. Aromata dicta nummo propriæ voluntatis sunt emenda. Esa. 55. Venite emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum & lac. videlicet, Vinum austeritatis, & lac dulcedinis. Gratia gratis datur: & cum emitur, gratis emitur: quia quod datur pro ea, nobis melius retinetur. Propriam voluntatem dimittētes nihil amittimus: sed lucramur plurimum commutantes illam in melius, vt communis fiat quæ propria fuit. Voluntas communis deo & proximo zelo rectitudinis monetur cum conspicit dei contumeliam: & affectu compassionis cum conspicit proximi miseriam. Linguæ aromata sunt modestia in increpando: copia in hortando: efficacia in persuadendo. Aliquando quod sanare debuerat, quia mordacius forte videtur, exasperat & exulcerat magis, quando negligētiæ additur impudentia & impatientia cumulatur, vt qui in sordibus erat, sordescat adhuc, declinans in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. Ac more frenetici non solum repellens, sed & mordere tentans manum medici. Multis quoque non suppetit verborum copia, sed pro sermonis inopia linguam suam adhærere sentiunt palato: quod interdum audientibus solet non parum obesse. Aliis vero ad manum est abundantia multa sermonum: sed quæ dicunt minus sapiunt. & quia gratiam non habent, quæ loquūtur minus efficacia sunt. Aromata linguę nummo confessionis emenda sunt. Prius peccata confitearis tua: quàm ad purganda accedas aliena. Paret & manus aromata sua ne subsannet nos sapiens, tanquam pigrum

pigrum illum cui labor sit manum ad os porrigere. Sermo viuus & efficax est exemplum operis, facile persuadēs quod intendimus dum factibile probat esse quod suademus. Aromata manus sunt carnis continentia, misericordia, pacientia. Ista aromata emuntur nummo subiectionis. Hæc dirigit gressus nostros, & sanctæ conuersationis gratiam promeretur. Qui non vult subdi suo superiori, nō inuenit suum inferiorem sibi subditum. Et notādum quòd quinque de causis corpus alicuius inungitur. Inungitur quis quinque causis, videlicet Quandoque in signum honoris: vt 3. Reg. 1. Vnxerunt regem Salomonem in Sion. Sic corpus Christi mysticum vngitur in baptisimo in signum regni futuri. Quandoque ad sanitatem: Ecclesiast. 38. Vnguentarius vnguenta conficiet sanitatis. Lucæ 10. Samaritanus infundit vinum & oleum vlneribus sauciati. Sic vngitur & corpus Christi mysticum in sacramēto cōfirmationis & extremæ vnctionis. Iaco. vlti. Infirmatur quis in vobis? inducat præsbyteros &c. Aliquando inungitur quis ad suauitatem: vt Hest. 2. Puellæ quæ præparabantur Assuero vtebantur oleo myrtino & quibusdam vnguē tis sex mensibus. Sic corpus Christi mysticum vngitur à viris sanctis, dum exemplis eorum in bono confortatur 2. Cor. 2. Christi bonus odor sumus in omni loco. Ecclesiastes, Melius est nomen bo. quam v. preciosa. Cant. 1. Oleum effu. n. t. Quandoque inungitur quis certamē initurus ne possit ab hoste teneri. Sic Christus & apostoli inuncti fuerunt gratia mansuetudinis qua inuincibiles exstiterūt, Esa. 61. Spiritus domini super me eo quòd vnxerit me: ad annunciandum mansuetis misit me. Quinto fit inunctio vt corpus conseruetur à putredine. Hac de causa mulieres corpus Christi mortuum inungere voluerunt. Corpus Christi mortuum intelligi potest vel illa pars ecclesiæ quæ mundo mortua est. Col. 4. Mortui estis & vi. v. ab. est, &c. Vel illa pars ecclesiæ cuius vita genus mortis est. Ecclesiastici. 30. Melior est mors quam vita amara. Vel illa pars ecclesiæ quæ quandoque vixit vita gratiæ: nunc vero mortua est morte culpę. Mulieres quæ maioris compassionis sunt, quæ infirmis norunt assistere & pauperibus ea quibus indigent nesciunt denegare, figurā tenent prælatorum qui aromata bonorum operum deberēt præparare

parare ad vngendum corpus Christi mortuum tribus modis prædictis. Sed potius quidam spinas habent viciorum, quibus corpus Christi pungunt & scandalizant. Multi nõ timẽt desęuire in corpus Christi mortuum vel gladio linguæ detrahentis vel alio genere persecutionis: non attendentes quòd lancea quæ percussit Christum mortuum dira dicatur: cum claui dulces dicantur. Herem. 12. Nunquid spelunca hyenę hæreditas mea mihi? Glos. Hyena nocturna bestia mortuorum cadauera deuorat & de sepulcris effodit.

Et respicientes viderunt reuolutum lapidem. Nota quòd resurrectio Christi figura est spiritualis resurrectionis quæ fit in præsenti. Apocal. 20. Beatus qui partem habet in re. p. Est etiam pignus & securitas resurrectionis futuræ. Ea vero quæ accidunt circa ipsam, significant ea quæ fiunt circa spiritualem resurrectionem: & ea quæ fient in generali resurrectione, & etiam quæ facta sunt in mundo. Cum Christi resurrectio nunciata fuit per apostolos, nulli nota fuit: sed postea per Angelum manifestata est: & per hoc quòd cibum sumpsit cum discipulis suis. Mors enim multis manifesta fuit. Mar. 15. Videns centurio qui ex aduerso stabat quod sic clamans expirasset, ait, Vere hic homo filius dei erat. Sic multis mors propria nota est. Nulli sua resurrectio spiritualis est nota, nisi dante deo. Ideo posset homo esse in magno timore. Terræmotus factus est magnus. Mat. vlti. Terræmotus in peccatore fit cum mouetur motu timoris qui expellit peccatum. Ecclesiastici 1. Vel cum terra quæ in eo erat sursum, fit deorsum. Prouer. 25. Cælum sursum: & terra deorsum. Angelus de cælo descendit & lapidem reuoluit quando gratia cælestis infunditur, duritiam lapideam remouens, & os ad confessionem aperiẽs. Et notandum est quòd Angelus non reuoluit lapidem vt ægressum Christo aperiret: sed vt ægressum eius panderet iam factum. Iam enim resurrexerat. Sic spiritualiter resurgit peccator per contritionẽ antequam os aperiat ad confessionem. Item, Motio terræ significauit commotionem futuram in mundo ad prædicationem dominicæ resurrectionis. Descensus Angeli lapidem reuoluentis, gratiam spiritus sancti cælitus missam, corda hominum emolliẽtem, designat. Mar. vlti. sic legitur: Quis reuoluet nobis lapidem

pidem ab ostio monumenti?& respiciētes viderunt reuolutum lapidem.Bern. Si consideremus quam magnum sit ad nos suscitare eum qui eiusmodi est: quam difficile sit accedere ad cor eius quod lapidea quædam obstinatio & impudentia clausit:puto quòd dicere necesse habeamus& nos,Quis reuoluet nob.&c.Fit.tamē nonnunquam vt solita pietate præparationem cordis nostri audiat auris diuina & ad vocem virtutis eius resurgat qui erat mortuus. Et ecce Angelus domini,scilicet hylaritas quædã in vultu illius qui huius est tanquã in ostio monumenti nobis apparet:& fulgor quidam index resurrectionis. Iesum quæritis nazarenum crucifixum,surrexit,&c.Notandum circa Christi resurrectionē quòd Christus resurrexit cito: quia tertio die,& vere: quia apparuit Symoni:& non amplius moriturus.Cito quia tertia die. Non mansit Christus mortuus nisi vno die naturali integro:& tunc ad infernum descendit.Exemplo ergo eius si spiritualiter mortuus est: ad hoc labora vt quam citius poteris resurgas:& in statu illo ad infernum descende: cogitando pænam quæ tibi parata est.Esa.38. Ego dixi in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.Vere surrexit.vnde Luc.vlti. Surrexit dominus vere,& apparuit Simoni. Non vere surrexerat ille cui dicitur,Apocali.3.Nomen habes quòd viuas, & mortuus es,scilicet morte culpæ.Itē.Non moriturus amplius. vnde Roma.6.Christus resurgens ex mortuis iam nō mo. &c.Lazarus surrexit.Io.11. sed iterum moriturus. Qui resurgendo quattuor dotes assumunt: non moriuntur iterū. Velut quattuor dotes animæ sunt splendor sapientiæ: impassibilitas patientiæ: humilitatis subtilitas: obedientiæ agilitas. Sapientia multū valet ad vitæ spiritualis conseruationem.vnde Prouer. 3. Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam. Talem effectum habet sapientia respectu vitæ corporalis.In eodem, Longitudo dierum in dextera eius,&c.Legitur de sacerdotibus qui comedebant fructus arboris solis & lunæ:quòd viuebant quadringentis annis illæsi.Deut.penul.De pomis fructuum solis & lunæ.Patiētia etiam multum valet ad conseruationem vitæ spiritualis.Luc.21.In patientia vestra possidebitis animas vestras. Item,Humilitas multum valet ad hoc quòd subtilitate sua laqueos Diaboli euadat. Sicut econtrario superbia multū

facit

facit ad mortem spiritualem. Ber. Siue iam existens siue nondum:semper tamen erit causa superbia subtractæ gratiæ.Nunquid qui humilibus dat gratiam, superbo aufert datam? Agilitas etiam obedientiæ multum facit ad idem. Obedientes enim deus tanquã suos conseruat & exaudit. Illi soli habent eum tanquã dominũ. Luc.6. Quid vocatis me domine,domine:& non facitis quæ dico?Aug. In libro de opere monachorum, Citius exauditur vna oratio obedientis,quam decem millia contemptoris.Luc.vlti.sic habetur,Quid quæritis viuentem cum mortuis? surrexit:nõ est hic.In loco mortis vitam quærunt qui in mundo isto vel in peccato felicitatem quærunt. Augu. Beatam vitam quæritis in regione mortis : non est ibi. Quomodo beata vita,vbi nec vita?Idem in libro de symbolo, Vita quæritur à quibusdã sed non inuenitur:quoniam vbi non est quæritur.Ozee.5.In gregibus suis & in armẽtis vadent ad quærendum deum,& non inuenient.Item, Viuentem quærũt cum mortuis, qui in claustris vitam carnalem ducere volunt,vbi vetus homo deberet esse crucifixus. De quibusdã vero claustris potest dici illud Mar.16.Surrexit,nõ est hic: ecce locus vbi posuerunt eum.Institutores enim claustralium obseruationum & fundatores abbatiarum: posuerũt Christum in claustris: sed iam non est in multis claustris. Lintheamina & sudarium quæ vidit Petrus in monumento domini,Ioan.20.inueniuntur alicubi:sed Christus inde surrexit.vñde 1.Reg.19.Inuentum est simulacrum & pelles caprarum loco.Dauid,Ipse vero inde recesserat. Similiter in clero & superpellicia & alia figuralia inueniuntur hodie:Christus vero hodie pro magna parte recessit.Specialiter vero verbum propositum potest referri ad illos qui Christum in sacramento altaris receptum per peccatum à se repellunt.

Sermo tertius de eodem.

SVrrexit,non est hic.&c.Mar.16.
Ecclesia hoc tẽpore verba resurrectionis frequentat:& quasi auribus hominum inculcat. Volẽs resurrectionem

rectionem à fidelibus haberi in memoria. 2. Ti.2. Memor esto Iesum Christum resurrexisse à mortuis, &c. Vtilis est memoria ista ad tria, scilicet Primo ad securitatem fideliũ de sua resurrectione. Membra enim suscitabit qui caput suscitauit: & qui similes fuerint Christo in ignominia passionis, similes ei erunt in gloria resurrectionis. 1. Corin. 6. Deus & dominum suscitauit: & nos suscitabit per virtutẽ suam. Item 2. Cor. 4. Scientes quoniã qui suscitauit Iesum, & nos cum Iesu suscitabit. Secundo vtilis est ad consolationem fidelium contra mortem quæ futura maximũ infert timorem: præsens vero maximum dolorem. Non est timenda amissio sacci veteris pro quo reddetur preciosa purpura. Item, Non est lugenda mors, quam immortalitas consequetur. Non est timendus somnus mortis, à quo dei potentia suscitabit. 1. Thessa. 4. Nolumus vos ignorare de dormientibus, &c. Tertio vtilis est ad nostram spiritualem resurrectionem de quo dictum est prius. Item notandum quòd ille qui meminit dominicæ resurrectionis, debet cogitare modum quo resurrexit. de quo dictum est prius. Et modũ quo post resurrectionẽ se habuit. de quo dicetur in sermone sequentis dominicæ. & viam qua ad gloriam resurrectionis peruenit, scilicet humilitatẽ passionis. Luc. vlti. Nonne oportuit pati Christum &c. 2. ad Ti. 2. Si sustinemus, & conregnabimus. Ideo in die paschæ post cantus pertinentes ad gaudium resurrectionis, reditur ad crucem. Et dominica post oct. paschæ loquitur epistola de passione. Et Christus apparens discipulis post resurrectionẽ, ostẽdit signa passionis suæ. Ecclesiastici. 2. Væ iis qui perdiderunt sustinentiam, &c.

Sermo quartus de eodem.

ECce locus vbi posuerunt eum.

Notandum quòd quattuor leguntur de sepultura dominici corporis quæ instruunt fideles circa dominici corporis susceptionẽ. Primum est quòd in syndone munda inuolutum est, Mat. 27. Ad ostendendũ quòd recipiens corpus dominicum debet habere candorem innocentiæ & pudicitiæ, ne, scilicet habeat cor inquinatũ

vel

vel nimio amore proprij boni, vel desiderio alieni mali. Vnde glos. super Mat. 27. Syndone munda Iesum inuoluit: qui pura mente eum suscipit. Marci penul. Ioseph autem mercatus syndonem &c. Hæc mundicia à deo cõparanda est Oratione humili, castigatione corporis & attritione mentis. vnde Prouer. vlti. Syndonem fecit & vendidit &c. De hac mundicia legitur Apoc. 19. Datum est illi vt cooperiat se bysso candenti & splendido. Secũdum est quòd Nicodemus mirrhã & aloen attulit. Io. 19. Venit Nicodemus ferens misturam myrrhæ & aloes quasi libras centũ. Et nota quòd in mirrha quæ conseruat à putredine, intelligitur sollicitudo præparandi se ante susceptionẽ & conseruandi se post susceptionem. Deute. 4. Custodi temetipsum & a. t. sollicite. In aloe quod habet vim cõseruandi & etiam purgandi intelligitur timor qui purgat à peccatis. Ecclesiastici 1. Timor domini expellit peccatũ. Timor etiam conseruat. Ecclesiastici 14. Timor domini fons vitæ vt declinet à ruina mortis. Idem 15. Per timorem domini declinat omnis à malo, &c. Tertium est quod in monumento exciso in petra noua positum est. Petra est aliquis per firmitatem boni propositi Excisio fit per amorẽ proprij sensus & propriæ voluntatis. Quod fuit nouum secundum Matth. vlt. in quo nondum quisquam positus fuerat, secundum Lucam 22. & Ioan. 19. Hoc specialiter pertinet ad eos qui seruauerunt innocentiam baptismalem. Ad literam decuit vt vterus virginalis nec monumentum dominicum ob reuerentiam dominici corporis fuerit alteri commune. Similiter os illius qui corpus dominicũ sumit communicando vel celebrando debet restringi à multis verbis secularibus. vnde Os sacerdotis non deberet esse expositum ad verba secularia sicut aliorum. Ezech. 44. Porta ista clausa, &c. Per portam oris sacerdotalis intrat deus in sacramenta altaris dum ipse celebrat, & egreditur dum ipse prædicat. Ideo à multis deberet cohiberi quibus ora aliorum sunt exposita. Ger. Cõsecrasti os tuum euãgelio: nugis illud aperire illicitum est: assuescere sacrilegum. Hier. 15. Si separaueris preciosum à vili quasi os, &c. Debet ergo talis se seruare sicut os dei. Sed hodie impletum est quantum ad multos illud Osee. 8. Nunc factus est Israel in nationibus quasi vas immundum Num. 19. Vas quod

quod non habuerit operculum, immundū erit. Quartum est quòd magnum saxum positum est ad ostium monumenti. Ad litteram indecens erat quòd monumētum domini porcis & canibus, esset expositum. Sic indecens est quòd post susceptionem dominici corporis, os sacerdotis de facili aperiatur. vnde opus est clausura quæ non de facili amoueatur: siue aliquis sit bonus siue malus necesse est vt magnum saxum taciturnitatis ad os eius ponatur, si bonus est: ideo ne gratiæ eius effundantur. Si malus: ne verbis suis alios cōturbet. Ecclesiast.20. Gratiæ fatuorum effundentur. Prouer.26. Qui imponit stulto silentium, iras mitigat. Iosue 10. Voluite saxa ingētia ad os speluncæ, &c.

Sermo quintus ad religiosos.

ET valde mane vna sabbatorū veniunt ad monumentum orto iam sole.

Notandum quòd est duplex corpus Christi, scilicet Corpus eius proprium, & corpus mysticum. Corpus vero propriū potest considerari quasi in duplici statu, scilicet vel vt apparet in sua specie. vel vt latet in sacrificio altaris. Secundum hoc, quasi triplex est eius sepulchrum: vel monumentum, scilicet Illud in quo fuit propriū eius corpus mortuum: Et illud in quo nunc sumitur in sacramento: & religio in qua corpus eius misticum mundo mortuum quiescit. De quo potest intelligi dictum illud Esa.11. Erit sepulchrum eius gloriosum. Sepulchrum claustri figuratum est in sepulchro Helysei, de quo 4.Reg.13. Quòd timore latrūculorum proiectum est cadauer in sepulchrum Helysei. Quod cum tetigisset ossa Helysei, reuixit homo & stetit supra pedes suos. His verbis ostenditur qua intentione & quomodo debeat quis claustrum intrare & qualiter debeat se ibi habere. Heliseus ratione nominis & actuum figurā tenet Christi. Interpretatur enim dei mei salutare. Timore vero latrunculorum infernalium intrare debet quis claustrum. Mortuus etiam debet esse. Crudele enim est sepelire aliquem viuum. Habitus religiosorum est sudariū religiosorum cum in eo sepeliātur. In duobus

casibus sepelitur aliquis viuus, scilicet Quandoque propter iustitiam: vt cum scilicet aliquod scelus commisit:& tunc in sepulchro non quiescit, sed torquetur. Sic qui viui mundo claustrum intrant multum ibi torquentur. Quandoque sepelitur aliquis viuus propter cupiditatẽ sepelientium: vt eius bona habeant. Sic multi in claustro recipiuntur nondum mundo mortui. Diligenter esset attendendum antequam aliquis sepeliretur in sepulchro claustri, vtrum spiritum mundi adhuc attraheret, diuitias vel delitias vel honores appetendo. Et notandum quòd tripliciter debet esse claustralis mortuus. Primo quia propinquus eius assidua meditatione. Sic archisynagogus dixit filiam suam mortuam. Matth. 9. Filia inquit mea modo defuncta est. & Grego. Fere se esse mortuum considerat: qui se moriturum esse non ignorat. Secundo sui despectione. Sic dauid mortuus erat 1. Regum 24. Quem persequeris rex Israel, quem persequeris? canem mortuum. Tertio debet esse sibi mortuus, idest suis concupiscentiis: & deo, id est dei beneplacito. Roma. 14. Nemo nostrum sibi viuit. Gal. 2. Viuo ego iam non ego: viuit vero in me Christus. Rom. 6. Si mortui sumus cum Christo, credimus quia simul viuemus cum illo. Ossa Helisei tangit quis quando eis sociatur qui inflexibiles sunt à rigore religionis. Qui carnales sustinent exterius duri per patientiam, interius vncti diuinis consolationibus. Sen. Cum iis conuersare, qui te meliorem facturi sunt. Illos quoque admitte quos tu potes meliores facere. Sunt aliqui qui in viris religiosis inflexibilitatem calumniantur. Quibus si crederetur, religio esset sine ossibus nec durare posset. Qui in sepulchro religionis proiicitur reuiuiscere debet, idest vitã nouam inchoare. Debet etiam stare supra pedes suos in modico terram tangendo 1. Tim. 6. Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus. In hoc quòd valde mane veniunt ad monumentum: datur exemplum cito veniendi ad religionem. Tren. 3. Bonum est viro portare iugum domini ab adolescentia sua. &c. Hiere. 13. Si mutare potest Æthiops pellem suam, &c. In hoc quòd prima die à sabbato, idest primo tempore apto ad laborandum venerunt: ostenditur quòd tunc debeat aliquis ingredi religionem cum laborem & onus potest portare: & non expectare

ætatem

ætatem decrepitam in qua religioni ſit oneroſus. Pater familias primo mane exiuit conducere operarios in vineam ſuam. Matth. 20. Attendendum etiam eſt quòd veniunt orto iam ſole. Poſtquam enim ſol iuſtitiæ illuxit alicui, quòd ſcilicet habet diſcretionem intellectus quid requirat religio: tunc poteſt in religione recipi. Pueros vero non intelligentes qui neſciunt quid ſit religio, cruci religionis affigi inhumanum videtur. Conſueuit eccleſia lumen cruci præferre. Diſcretio enim requiritur in eo à quo crux religionis aſſumitur. Illud autem. Quis reuoluet nobis lapidem, &c. Ad tentationem puſillanimitatis pertinet quæ volentibus ingredi religionē vel iam ingreſsis prima occurrit quam vocat Bern. Timorem nocturnum, loquens de illo verbo, Non timebis à timore nocturno. Lapis ſignificat apparentem duritiam religionis. Quem lapidem Iacob ſuppoſuit capiti ſuo, videns ſcalam attingentem cælos. Gen. 28. Illam enim duriciem peruenturam videt. Hæc eſt petra quæ fundebat riuos olei Iob. 29. Apparens enim duricies religionis oleum habet internæ & æternæ cōſolationis. In hoc quòd Ieſus prædicitur videndus in Galilea, quæ interpretatur traſmigratio dura: intelligitur eum qui religionē intrauit oportere tranſmigrare de virtute in virtutem: vt deus videatur per internam conſolationem in præſenti: & per ſpiritualem in futuro.

Dominicæ in oct. paſchæ Sermo primus.

CVm ſero eſſet die illa vna ſabbatorum, &c. Ioan. 20.

Hoc euangelium continet duas Chriſti manifeſtationes factas in Hieruſalem diſcipulis. Prima facta eſt Thomæ abſente ipſo de reſurrectione. Secūda octauo die, Thoma præſente. Sequitur, Et dixit eis, pax vobis. Legitur Iudicum 14. De forti egreſſa eſt dulcedo, &c. Hoc dixit Samſon de leone: in cuius ore poſt mortem inuenit fauum mellis. Sed de Chriſto poſſumus idem dicere qui eſt leo de tribu Iuda. Apoc. 5. Cuius os poſt eius paſsionem dulcem habuit doctrinam. Et ex iis verbis eius di-

ctis post resurrectionem sexdecim documenta possumus accipere. Commendantur nobis 16. Primo pietas. Ioh. 20. Vbi alloquitur mulierem flentem: Mulier quid ploras? Huius pietatis consolantis lugentes magnus defectus est hodie in mundo isto. Ecclesiast. 4. Vidi calumnias quæ sub sole geruntur: & lachrimas innocentium & neminẽ consolatorem. Secundo dissuadetur temeritas. Ioh. 20. Noli me tangere. Nondũ enim ascendi ad patrem meum. Non debet ad Christũ in sacramento altaris ascendere in cuius corde nondum Christus ascendit ad patris æqualitatem: cum ei debitam reuerentiam non exhibeat sed quasi eum crucifigat. Heb. 6. Rursum crucifigẽtes filium dei, &c. 1. Cor. 2. Si cognouissent nunquam deum gloriæ crucifixissent. Tertio notatur humilitas. Ioh. 20. Vade autem ad fratres meos. Adeptus gloriam resurrectionis non dedignatur seruos vocare fratres. Ber. Cum omni indifferẽter personæ humilitas sit quædam turris fortitudinis à facie inimici. Nescio quo pacto vis eius in maioribus maior: & in clarioribus clarior comprobatur. Quarto commendatur nobis bona societas: vbi Magdalenam cum socia salutat. Matth. vlt. Et Thomam cum aliis in fide confirmat. Ioh. 20. Quinto mansuetudo. In eodem. Nolite timere. Hoc multum necesse esset prælatis. Ber. super illud, Exultabimus & lætabimur in te: memores vberum tuorum. Cant. 1. Cur morsus à serpente paruulus conscientiam refugit sacerdotis, ad quem tamen magis oportuerat tanquam ad sinum recurrere matris, &c. Sexto patientia. Luc. vlt. Videte manus meas. Ibidem, Nonne oportuit pati Christum, &c. Ioh. 20. Cum esses iunior cin. te. &c. Ioh. 20. Sicut misit me pater & ego mitto vos. Septimò pax. Io. 20. Ter eis pacem optat. Octauo fides, Iohan. 20. Quia vidisti me Thoma, credidisti. Beati qui non viderunt, & crediderunt. Nono spes. Matth. vlt. Ecce ego vobiscum sum. Decimo charitas. Io. vlt. Petrus etiam interrogatur de amore. Vndecimo dissuadetur nobis curiositas. Io. vlt. Dictum est Petro. Quid ad te? tu me sequere. Act. 1. Non est vestrum nosse tempora vel momenta. &c. Vix habet deus vnum proprium seruientem. Fere enim omnes immiscent se terrenis. Quinque autem spiritualiter pertinent ad ministros ecclesiæ: quorum primum

mum est studere intelligentiæ sacræ scripturæ. vnde Luc. vlt. O stulti & tar. corde ad credendum ibidem, Incipiens à Moyse. &c. Et postea aperuit eis sensum vt intel. scrip. Secundum est studere virtuti. Luc. vlt. Sedete in ci. do. &c. Act. 1. Accipientis virtutem superuenientis spiritussancti in vos: & eritis m. t. in Hierusalem, &c. Tertium est dignitatis sacerdotalis cognitio. Ioh. 20. Accipite spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, &c. Quartum est intentionis directio. Ioh. vlt. Mitte in dex. na. rhete & im. &c. Quintum est: vt debito modo doceant. Quod fit si doceant vtilia: & efficaciter: instanter & vbique. Ad primum pertinet illud. Matth. vlt. Docentes seruate omnia quæcunque mandaui vobis. Ad secundum illud Io. vlt. Pasce: pasce: pasce idest Pasce verbo, Pasce exemplo, Pasce temporali subsidio. Exemplum enim & temporale subsidium debent adiuuare verbum. Ad tertium vero & quartum pertinet illud Matth. vlt. Ite, docete omnes gentes. Item, Mar. vlt. Euntes in mundum vniuersum, prædicate euangelium omni creaturæ. Ista sexdecim documenta possunt intelligi folia ligni vitæ: ad quorum vmbram deberent se homines æstiuo tempore obumbrare contra ardorem peccati. Canticorum 2. Sub vmbra illius quem desideraueram sedi: & fructus eius dulcis gutturi meo. Greg. Dum sacrorum eloquiorũ secreta scrutamur: quid aliud quam ad refrigerandum nos opaca siluarum ingrediemur?

Sermo secundus de eodem.

CVm sero esset die illo venit Iesus, &c. Ioh. 21.

Decem legimus apparitiones Christi in euangelio. Quinquies apparuit ipso die resurrectionis, videlicet Primo, Magdalenæ flenti ad monumẽtum. Ioh. 20. Secundo, eidem & alij Mariæ euntibus nunciare discipulis Christi resurrectionem. De qua hic. Tertio, Petro. Lucæ vltimo. Quarto, duobus discipulis euntibus in Emaus. Lucæ vlti.

Quinto, ipsis reuersis in Ierusalem decem apostolis absente Thoma. Iohannis 20. Sexto, post octo dies in Ierusalem apparuit apostolis præsente Thoma. Ioan. 21. Septimo, piscantibus ad mare Tyberiadis. Iohan. 21. Octauo in Galilea. Matth. vlt. Nono in cœnaculo ipsis recumbentibus. Act. 1. Decimo in monte Olueti. Lucæ vlt. Et notandum est quòd septem harum apparitionum Bernar. refert ad septem dona spiritussancti his verbis. In septem apparitionibus quæ post resurrectionem factæ leguntur, septē illa dona spiritussanti possumus inuenire vt sequitur. In prima spiritum timoris accipe: quando venientibus mulieribus sanctis descendit angelus de cælo, & terræmotus factus est magnus: ita vt ipsas pauore perterritas oportuerit ab angelo consolari. In spiritu pietatis apparuit Symoni: quia magna omnino & vere domino Iesu digna pietatis dignatio quòd ei singulariter & ante cæteros dignatus est apparere: quem præ ceteris de negatione eius rea conscientia confundebat. In spiritu scientiæ duobus pergētibus in Emaus: quibus exposuit scripturas incipiēs à Moyse & prophetis. In spiritu fortitudinis: ianuis clausis intrauit ostendens manus & latus. Sicut solent in signū virtutis clipeorum foramina demōstrare. In spiritu consilij frustra in piscatione laborantes mittere in dexteram rhete consuluit. Io. 21. In spiritu intellectus aperuit eis sensum vt intelligerent scripturas. In spiritu sapientiæ die quadragesima eis apparuit, quando videntibus illis eleuatus est: & viderunt filium hominis ascēdentem vbi erat prius: vsque ad illam enim diem quasi per stulticiam saluos faciebat credentes. Postquam vero ascēdit coram eis ad patrem: iam cepit sapientia dilatari. Plures fuerunt apparitiones: quod innuit Paulus dicens: visus est Cephæ: visus plusquam quingentis fratribus simul. 1. Cor. 15. Videntur tamen omnes apparitiones misericordiæ fuisse. Misericordia enim quæ filium dei de cælo deposuit & corpore induit iuxta verbum Augustini, eum post resurrectionem detinuit ne tam cito in cælum ascenderet. Nunquid misericordiæ fuit quòd Magdalenæ ad monumentum flenti, Ioh. 20. de qua eiecerat septem dæmonia. Mar. vltimo, primo apparuit. Itē, Misericordiæ fuit quòd duas mulieres primo salutauit. Matth. vlt. Ne mulieres de salute despe

te deſperarent:eo quod mulier cauſa perditionis extite-rit.Item Miſericordiæ fuit quòd Petro ſpecialiter appa-ruit:ne ex negatione deſperaret.De qua apparitione tan-gitur Luc.vltim.Item, Miſericordiæ fuit quod diſcipulis duobus eũtibus in Emaus cum triſtes eſſent apparuit:tar-ditatem credendi in eis reprehendens:& quæ ſcripta erat de ipſo eis exponens. Tandem in fractione panis ſe co-gnoſci faciens. Item, Miſericordiæ fuit quòd diſcipulis propter metum Iudeorum congregatis apparens cicatri-ces vulnerum eius oſtendit:fidem reſurrectionis aſtruẽs, & ad paſſiones eos animans. Ioh. 20. Item. Miſericordiæ fuit quòd ad certificandam dubitationem Thomæ ad diſcipulos rediit:vt ibidem habetur. Item, Miſericordiæ fuit quòd diſcipulis piſcantibus apparens qui tota nocte laborantes nihil ceperant conſilium eis dedit: & petrum de paſcendis tam agnis quàm ouibus admonuit. Ioh. vlt. Item,Miſericordiæ fuit quòd vndecim diſcipulis apparẽs poteſtatem ſuam eis oſtendit: ad eorum ſecuritatem di-cẽs: Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.De-dit etiam eis mandatum de cunctis gentibus docendis quod pertinet ad ſapientiam.Promiſit etiã eccleſiæ ſuam preſentiam:quod pertinet ad bonitatem.Item. Miſericor-diæ fuit quòd recumbentibus diſcipulis apparuit. Mar. vlt.Et cum eis comedere voluit.Act.1. Ber.loquens de illa apparitione,Apparuit inquit benignitas eius qui cogno-uit figmentum noſtrum : nec dedignatur neceſſitates no-ſtras,ſed miſeretur:ſi tamen carnis curam non in deſide-rio facimus:ſed in neceſſitate. In illa etiam apparitione omni creaturæ euangelium prædicari iuſſit: & expectari in Ieruſalem promiſſum ſpiritum voluit. Miſericordiæ etiam fuit quòd in monte Oliueti eis apparens benedi-ctionem paruo gregi quem in terris relinquebat inter perſecutores dedit.Luc.vlt. Et videntibus illis in cælum aſcendit.Act.1.Item,Notandum quòd Chriſtus reſurgẽs ante ſuam aſcenſionem his qui ſpiritualiter reſurrexerãt multa exempla ſalubria dedit.De quibus cauſa breuitatis ſeptem ponamus.Primum eſt quòd primo mundo ſe im-miſcuit.licet aliquibus bonis apparuerit. Sic faciendum eſſet ei qui ſpiritualiter reſurrexit.Sen. Inimica eſt mul-torum conuerſatio.Idem,Quo maior eſt populus cui ad-

miſcemur, hoc periculi plus eſt. Nihil adeo damnoſum moribus bonis quàm in aliquo ſpectaculo reſidere. Secundum eſt quòd dixit Magdalenæ, Noli me tangere. Nondum enim aſcendi ad patrem meum. Ioh.20. Non eſt ſecurum homini tágere mulierem dum eſt in hac vita. Nec etiam conſanguineam: quia corpus mulieris ignis eſt. Ignis vero neſcit conſanguinitatem. Iob.31. Ignis eſt vſque ad con.de. Tertium eſt, quòd pacem in ore habuit. Columba tamum oliuæ defert in ore. Gen.8. Sic qui ſpiritum ſanctum habet verba pacis habere debet. Quartum eſt, quòd loca vulnerum oſtendit. Luc. vlt. &c. Io. 20. Sic qui reſurrexit peccata ſua per confeſſionem oſtendere debet. Prouer.28. Qui abſcondit ſcelera ſua non dirigetur: qui autem confeſſus, &c. Ozee 13. Colligata eſt iniquitas Ephraym: abſconditum eſt peccatum illius. Quintum eſt, quòd tangi ſe permiſit etiam in manifeſto. Sic qui vere reſurrexerit etiam in manifeſto ſuſtinet vt arguatur. Sed ſunt quidam qui videntur habere illud apoſtema, Noli me tangere: qui dicunt illud Exod. 21. Beſtia ſi tetigerit montem, lapidabitur. Sextum eſt, quòd inſufflauit, & ſpiritum ſanctum dedit. Ioh.20: Sed ſunt quidam qui potius ignem infernalem ſpirant & malignum ſpiritum cordibus hominum inſpirant: vt ſuggeſtores maliciæ & conſiliatores turpitudinis. Septimum eſt: quòd cibum ſumpſit, ſcilicet panem. Ioh. vlt. Et piſcem. Lucæ vlt. Et fauum mellis. Lucæ vlt. In pane ſacramentum altaris intellige, quod habet panis ſpeciem. Piſces vero ſunt ſancti qui aquis tribulationum non ſubmerguntur: ſed meliorantur. Piſcis aſſus eſt Chriſtus paſſus: piſces aſſati ſunt diuerſi ſancti æſtu tribulationum afflicti, vnde. Aſſos piſces comedere: eſt ſanctorum exemplis refici. In fauo habente ceram quæ eſt materia luminis, & mellis dulcedinem, intellige ſacram ſcripturam, quæ illuminat intellectum, & affectui bene diſpoſito dulciter ſapit. Sap.16. Fauus mellis verba compoſita. Auguſt. O litteras melle cæli mellicatas: & dei lumine luminoſas. Item Palatum febricitantis habet cui mel cæli inſipidum eſt.

Sermo

Sermo tertius de eodem.

CVm sero esset,&c.
Hoc euangelium ostendit duplicem aduentum Christi ad discipulos post resurrectionem eius. Et circa primum aduentum: primo ostenditur quando ad eos venerit. Secundo in quo statu eos inuenerit. Tertio qualiter ad eos se habuerit. Tempus quando venerit fuit dies resurrectionis: cum esset sero: & erat vna sabbatorum. Status in quo eos inuenerit, fuit quòd fores erant clausæ, vbi congregati erant propter metum Iudæorum & persecutorum. Modus vero quo se habuit ostenditur ibi: Stetit Iesus in medio,&c. Circa primum notandum quòd dies resurrectionis est: illis qui tenebris erroris fugatis lumine diuinæ cognitionis à ruina culpæ surrexit in nouitatem vitæ 1. Thes. vlt. Omnes vos filij lucis estis: & filij dei. Non sumus filij noctis neque tenebrarum. Ephe. 2. Sicut ipse Christus resurrexit à mortuis per gloriam patris: ita & nos facit in nouitate vitæ ambulare. Colossen. 3. Si consurrexistis cum Christo quæ sursum sunt quærite: vbi Christus est in dextera dei sedens,&c. Item, Cum sero dies deficiat & finiatur: sero est illi cui per humilitatem in sua æstimatione dies quodammodo deficit qui sibiipsi vilescit. ad quod monemur, Lucæ 17. Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite quia serui inutiles sumus, &c. In hoc quòd dicitur vna sabbatorum, innuitur quòd multiplex sit sabbatum siue quies. Est enim quies corporis sine quiete mentis quæ non est vera quies: de qua Iere. 48. Requieuit in fæcibus suis. Esa. 48. Non est pax impiis dicit dominus. eiusdem 57. Impij quasi mare feruens quod quiescere non potest. Quies ista ridiculosa est: cum quiescit seruus & laborat dominus, scilicet spiritus. Tre. 1. Viderunt eam hostes & deriserunt sa. e. Secunda quies est, quies mentis sine quiete corporis. Hanc habent illi qui carnem suam crucifigunt cum vi. & com. Leuit. 16. Sabbatum requietionis domini est: & affligetis animas vestras religione perpetua. Hanc quietem non habent qui incedunt onerati peccatis, Ierem. 17. Custodite animas vestras & nolite pondera portare in die sabbati. Pondera inquam

peccatorum.In eodem,Non feratis onera per portas ciui.scilicet per portas quinque sensuum.Exod.16. Requies sabbati sanctificata est domino.& post,Maneat vnusquisque apud semetipsum.Nullus egrediatur de loco suo die septimo locum istum intellige mentis quietem. Tertia quies est: quies mẽtis & corporis, quæ erit in futuro. Esa. vltimo,Erit mensis ex mense:& sabbatum ex sabbato.Vna ergo sabbatorum in qua venit dominus ad consolandum homines humiles,& secunda quies : scilicet tranquillitas mentis.

Circa statum in quo discipulos inuenit, notandum est quòd ipsi erant in timore:congregati in domo vna:& fores erant clausæ. Notandum quòd primum pertinet ad irascibilem cui necessarius est timor cautelæ. Bernar.super Cant : In veritate didici nihil æquè efficax esse ad gratiam promerendam,recipiendam, recuperandam , quam si omni tempore inueniaris non alta sapere sed timere. Prouer.28:Beatus homo qui semper est pauidus : qui vero mentis est duræ,corruet in malum.Congregatio necessaria est concupiscibili,ne per vana desideria dispergatur. Ecclesiastici 30.Congrega cor tuum in sanctitate eius : & tristitiam lõge expelle à te.Rationabili vero necessarium est: vt fores sensuum claudantur:ne ipsa mundana sollicitudine inquietetur.Esayę 26.Vade popule meus.Intra cubicula,& claude ostia super te. Portæ enim quinque sensuum sunt portæ fluuiorum : id est concupiscentiarum. Naum 2.Portæ fluuiorum sunt apertæ : & templum ad solum dirutum est.Templum dei anima est 1. Corinthiorũ 3.& 6.quod ad terram diruitur , id est ad terrena inclinatur:cum fores sensuum apertę sunt:Possent hæc ad statum claustralium specialiter referri , in quibus continentiæ fores sensuum claudit ad delectationes corporales cum congregationem facit obedientia & paupertas voluntaria.Obedientia membra capiti coniungit.Paupertas voluntaria siue charitas perfecta omnia communicans membra adinuicem coniungit.Horum vero causa est timor periculi mundani. Circa tertium notandum quòd saluator ad discipulos veniens in medio stat : pacem eis optat : passionem suam eis ad memoriam reuocat: aspectu suo eos lætificat : mittendos ad prædicationem

inter

inter persecutores confortat. Et necessaria eis ad officium iniunctum dat. In hoc quòd stat, prælatos instruit quorum est stare, non per inertiam iacere. Pigritia enim eorum multum nocet ecclesiæ. Matth. 13. Cum dormirent homines venit inimicus, & superseminauit Zizaniam in medio tritici. Item, In hoc quòd stat, exemplum stabilitatis eis dat. Stabilis debet esse prælatus vt ad vêtus tentationum non flectatur. Ecclesiastici 15. Firmabitur in illo & non flectetur. Eiusd. 5. Non te ventiles in omnẽ ventum &c. Quibusdam vero prælatis conuenit illud Iob. 21. Erunt sicut paleæ ante faciem venti. Prælatus debet esse stabilis: resistens malis. Vnde dicitur Esay. 26. de vrbe fortitudinis, Ponetur in ea murus, & antemurale. Murus & antemurale in claustro, sunt abbas, & prior, vel prior & supprior: qui sunt necessarij ibi, vt dissolutioni cui vnus non resistit, alter resistat. Sed sunt qui in iis muris solam calumniantur resistẽtiam, dicentes illos solos esse beatos prælatos qui nulli dissolutioni resistunt. Ipsi volunt habere murum sine lapide, qui de facili suffodiatur. Gen. penul. In voluntate sua suffoderunt murum. De iis prælatis conqueritur dominus, Eze. 13. Non ascendistis ex aduerso, nec opposuistis murum pro domo Israel. Prælatus debet esse stabilis vt columna ædificium domus sustinens, scilicet ecclesiæ. Hiere. 1. Dedi te in columnam ferream & in murum æreum. Item, Notandum quòd mediator locum sibi congruum elegit, in medio stans. In hoc prælatis communitatem commendans. Sicut est indecens in corpore humano si caput ad humerum dextrum vel sinistrum declinet: sic indecẽs est si prælatus non omnes amet: vel nõ de omnibus curam debitam habeat. Exemplum debet accipere ab illo qui præest omnibus: de quo legitur Sap. 6. Pusillum & magnũ ipse fecit, & æqualiter est ei cura de omnibus. Et sciendum quòd dominus in natiuitate fuit in medio duum animalium. Abacuc. 2. secũdum aliam litteram, In medio duum a. con. In passione fuit in medio duorum latronum. Io. 19. Crucifixerunt duos latrones hinc & inde: Medium autem Iesum. In resurrectione fuit in medio discipulorum: vt hic habetur. In iudicio vero erit in medio bonorum & malorum. Statuet enim oues à dextris: hœdos vero à sinistris. Mat. 25. In hoc autem quòd dominus stat in medio

in medio:commendat nobis medium virtutis:virtus enim conſiſtit in medietate inter ſuperfluitatem & indigētiam. Hoc medio tutiſſimus ibis. Iſtud medium tenuere beati. In medio duum animalium ſtans dominus commendat nobis mediū prudentiæ.Illa enim animalia dicuntur fuiſſe bos & aſinus.Eſa.1. Cognouit bos poſſeſſorem ſuum,& aſinus præſepe domini ſui.In boue qui ruminat intelligitur curioſitas philoſophiæ in populo gentili. In aſino intelligitur ruditas in populo Iudaico. Gen.22. Expectate hic cum aſino. In medio ergo bouis & aſini ſtat: qui nec ad curioſitatem philoſophorum gentilium declinat, nec ad ruditatem Iudaicam:ſed media via incedit.Eccleſiaſtici 2. Quod præcepit tibi deus cogita ſemper & in multis operibus eius ne fueris curioſus.Exod. 12. Primogenitum aſini mutabis oue.id eſt puerilem ſimplicitatem in ſimplicitatē cum diſcretione quæ in oue intelligitur.Ouis enim animal ſymplex eſt:tamē ruminat. Item, Dominus autem ſtans in medio duorum latronum commendat nobis medium temperantiæ,quæ in hoc attenditur vt ſic crucifigātur carnalia deſideria,vt ſaluetur natura. Rationale debet eſſe obſequium.Roma. 12. In latrone qui à dextris crucifigitur intelligitur irrationabilitas pænitentiæ. Per dextrā enim ſpes virtutis deſignatur. In latrone blaſphemante qui à ſiniſtris crucifigitur,carnalitas intelligitur quæ deū blaſphemat: ſicut temperātia eum glorificat vtrunque cauendū eſt:& ne caro irrationabiliter affligatur:& ne carnaliter viuatur.Num.20.Via publica gradiemur:nec declinabimus ad dexteram vel ſiniſtram. Stans in medio diſcipulorum commendat nobis medium fortitudinis,quod cauet præſumptionem, & puſillanimitatem. Præſumptio fuit in Petro,dicente Mat.26.Et ſi omnes ſcandalizati fuerint &c.& Luc.22.Tecum paratus ſum & in carcerem & in mortem ire.Puſillanimitas fuit in diſcipulis in vnum propter metum Iudæorū cōgregatis: quos exemplo ſuæ paſſionis ad medium fortitudinis vult reuocare. Stans in iudicio in medio bonorum & malorum,commendat mediū iuſticiæ quod cauet remiſſionem & crudelitatem. Crudelitas non nouit parcere: Remiſſio non nouit mala punire. Iuſticia vero tribuit vnicuique quod ſuum eſt: videlicet malis pænam: bonis præmia. De hac materia require in

quarta

In quarta dominica aduentus in sermone de illo verbo, Medius autem vestrum stetit.&c. Post dies octo iterũ venit Iesus,&c. Circa hunc aduentum domini ad discipulos, commendatur nobis primo communitas: Secundo veritas fidei ostenditur. Tertio habens veram fidem beatificatur. Communitas commendatur in hoc quòd dominus Thomæ apparet in congregatione existenti:& non apparet separato ab ea. Sicut filij Iacob congregati benedictionem patris receperunt. Gene.49. Et spiritus sanctus descẽdit super discipulos in vnum congregatos. Act.2. Vtile est valde communitatem sequi. Psalmus, Ecce quam bonũ & quã iocũdum habitare fratres,&c. Periculosa vero est singularitas. Ecclesiastes 4. Væ soli: quia si ceciderit non habet subleuãtem se. Quis extra gregem à lupo rapitur? Vna candela citò à vento extinguitur: non sic multæ. Diabolus sciens quòd non possit ita prævalere vni congregationi, sicut vni personæ: inuitat ad singulare certamen. quod in Golia significatum est, 1. Regum 18. Veritas fidei cõmendatur in confessione Thomæ. Dominus meus, & deus meus. Dominus qui me redemisti: deus qui me creasti. Exemplo ergo Thomæ & nos eum verum dominum & verum deum confiteamur. Vere confitetur aliquis eum dominum præ omnibus ei obediendo. Deum vero præ omnibus diligendo. Vera enim recognitio domini est obediẽtia: Non vere confitetur eum dominũ: qui membris morti deputatis plus obedit circa mortifera: quã deo circa salubria. Luc.6. Quid vocatis me dómine, domine: & non facitis quæ dico? Itẽ. Non vere confitetur eum deũ qui aliquid plusquã deum diligit, vnde super illud Pamphil. 3. Quorũ deus venter est. dicit Glos. Hoc ab homine colitur quod præ ceteris diligit. Non vere cõfitetur eum deũ superbus, à deo se auertens & se deificans, sibi bona sua attribuẽdo. Esse enim α, & ω siue principium & finem, dei est. Hierem. 2. Verterunt ad me tergum, & non faciem. Item, Non vere confitetur eum deum auarus pecuniam deificans. Ephe.5. Auaricia est ydolorũ seruitus. Glosa, Auari deus, est nummus. Oseæ 8. Argentum suum & aurum suum fecerunt sibi ydola. Psalmus, Simulacra gentium argentum & aurum. Gulosus etiam non vere confitetur eum deum, cùm deificet ventrem suum. Phil.3. Quorum deus venter est. Habẽs veram

veram fidem beatificatur, ibi, Beati qui non viderũt & crediderunt. simile Lucæ 1. Beata quæ credidisti. & Matte. 16. Beatus es Symon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi. Thomæ difficile credenti domini resurrectionẽ similes sunt qui de facili mala de proximo credentes, bona de eo vix credere possunt. Ex leui suspitione mortem culpæ de proximo credunt: resurrectionem vero quæ per gratiam fit vix credere possunt.

Dominicæ primæ post octa paschæ,

SERMO PRIMVS..

Ego sum pastor bonus &c. Ioan 10. Princeps pastorum bonos præficit gregi quẽ acquisiuit sanguine suo. Primo notificat pastorem bonum exemplariter, dicens, Ego sum pastor bonus. Secundo describendo, ibi, Bonus pastor animam suam dat. Tertio quia opposita iuxta se posita magis apparent: notificat mercenarium qui contrarius est bono pastori. ibi, Mercenarius animam, &c. Quarto exemplum positum manifestat, ibi, Ego sum pastor bonus: & cognosco oues meas: &c. Ego sum pastor bonus. Notandum est quòd ad bonitatem pastoris quattuor requiruntur: videlicet Rectitudo intentionis: Solertia pascendi: Audacia resistendi: Diligentia custodiendi. Per primum distinguitur bonus pastor à mercenario: mercenarius enim sua quærit. Bonus vero pastor non. Immo gloriam dei & vtilitatem proximi. 2. Corin. 10. Non quæro quod mihi vtile est: sed quod multis: vt salui fiant. Eiusdem 13. Non quæro vestra, sed vos. Dei gloriam quærit per ostium intrans. Ioanis 10. Qui intrat per ostium, pastor est ouium. Vtilitatẽ gregis Christus quæsiuit secundum illud Ioan. 10. Ego veni vt vitam habeant: vitam inquam gratiæ, & abundantius habeant: scilicet vitam gloriæ. Sed multi possunt dicere, Ego veni vt vitam habeam: & abundãtius habeam, quam haberem in domo patris mei. Qui econtrario mortẽ æternam habebunt. Sciendum quòd timor periculi, quod est in officio pastorali, multum debet hominẽ ab eius appe-

titu retrahere: & quasi nolentem reddere. Amor tamen gloriæ dei & profectus gregis eum qui idoneus est ad susceptionem debet cogere. Cris. Primatus fugientem desiderat, desiderantem horret. Aug. Honor debet te quærere, non tu honorem. Gre. Sicut ille qui vocatus renuit, quæsitus refugit, sacris altaribus est admouendus: ita ille qui se vltro ingerit, proculdubio est amouendus. Ber. Non volētes, non currentes: sed cunctantes eligito & compelle intrare. Pro quo rogaris, sit tibi suspectus: Qui pro se rogat, iam iudicatus est, nec interest vtrum per se an per alium quis roget. Adulantem etiam & placitum, obloquentem vnum de rogantibus puta: etiam si nihil rogauerit. Profectum populi multum debet optare prælatus 3. Ioan. Maiorem horum non habeo gratiam quam vt videam filios meos in veritate ambulantes. Intentio prælati debet esse vt ministret non vt sibi ministretur. Ieronimus super illud, Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat: opus, inquit, non dignitatem, laborem non delicias: non crescere fastigio sed decrescere humilitate & seruum omnium velle fieri propter Christum. Solertiā pascendi debet habere pastor: pascendi inquam, & verbo & exemplo & temporali subsidio, propter quòd ter dictum est Petro, Pasce. Ioan. vlt. Ecclesiasti. 18. Qui misericordiā habet docet & erudit quasi pastor gregem suum. Eiusdem 37. Sapiens plebem suam erudit. Iere. 3. Dabo vobis pastores iuxta cor meum: & pascent vos scientia & doctrina. Eiusdem 23. Suscitabo super eos pastores & pascent eos. 1. Pe. 5. Pascite qui in vobis est gregem domini. Ad pabulum exempli monet Apostolus 1. Tim. 4. Exemplū esto fideliū in verbo & conuersatione. Tit. 2. In omnibus exemplum prebe teipsum bonorum operum. De pabulo subsidij temporalis dicit Aug. Talis debet esse rector ecclesiæ qui proponat verbum doctrinæ ignorantibus: libenter audit linguam eius loquentem, cuius dexteram expectat porrigentem. Ad solertiam pascendi pertinet quòd doctina sit facilis, breuis, & vtilis. De primo prouer. 13. Doctrina prudentiū facilis &c. De breuitate Aug. Sicut ingratus est qui incognita obnubilat: sic onerosus est qui cognita inculcat. Ecclesiasti. 21. Verba sapientū statera ponderabuntur. Vtilitatē doctrinæ commendat nobis dominus Esa. 18. dicēs,

Ego

Egosum dominus deus tuus,doce͂s te vtilia.non dicit subtilia. Esa. 19. Confundentur plectentes texentes subtilia. Eiusdem 2.Conflabu͂t gladios suos in vomeres, & lanceas in ligones. Item audax ad resistendu͂ debet esse prælatus secu͂du͂ illud Bonus pastor animam suam dat pro ouibus. 2. Cor.12. Libe͂tissime impendar & superimpe͂dar ego ipse pro animabus vestris.Ecclesiasti.48.Dicitur de Helya, In diebus suis non pertimuit principem. Iob.29. Contere-bam molas iniqui.Prouer.12. Qui negligit damnum,propter amicum, iustus est. De mercenario vero dicit Augusti. Si ouis eius deuiat, non reuocat, si infirmatur: non medetur: si deuoratur, non lachrimatur. si subterfugiunt temporalia quæ ipse amauit,fugit,& animas deserit, quas amare simulauit. nec solum debet opponere se tyranno: immo quodammodo ipsi deo. Ezechi.22. Quæsiui de eis virum qui se interponeret sepem. Exo.35. Aut dimitte eis hanc noxam:aut dele me de &c.Esa. 44. Non est qui consurgat & teneat te. Hiere.7. Noli orare pro populo isto &c.& non obsistas mihi.Sapien. 18. Properans homo sine querela &c.restitit iræ dei.Item diligenter sunt custodie͂dæ oues tanquam sanguine Christi acquisitę.Act.10.Atte͂dite vobis & vniuerso gregi:in quo vos spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesia͂ dei,quam acquisiuit sanguine suo.Sicut diligenter sanginem Christi seruares: sic animas quas plus Christus amauit quam sanguine͂ suum diligenter debes seruare. Præterea in periculo animæ tuæ tibi commissæ sunt.4.Reg.10.Quicu͂que fugerit ex omnibus iis quos adduxero in manus vestras: erit anima eius pro anima illius.Ezechi.29.Sanguinem eius de ma.spe.re. Gen. 43. Non videbitis faciem meam nisi adduxeritis fratrem vestrum minimu͂. Debet ergo pastor custodire gregem sicut vitam propriam.Ad diligentem custodiam gregis sex requiruntur. Primo vt pastor seipsum custodiat. Ipso enim capto grex est in periculo. 2. Reg.18. Si media pars è vobis ceciderit,non multum curabu͂t quòd tu vnus pro decem milibus computaris.dictum est Dauid, Eiusde͂ 16.Iurauerunt viri Dauid,dice͂tes,Iam non egredieris nobiscum in bellum:ne,&c.1.Reg.vlti.Totum pondus prælij ver.est in Saul.3.Reg.vlti.Non pugnetis nec contra minorem nec contra maiorem sed contra regem Israel.Secundo ne

do necessarium est vt orando frequenter deo gregẽ commendet. Mat. 14. Iesus in monte orat cum nauicula in mari iactaretur fluctibus. Ioan. 17. Orat Iesus pro grege suo, Ego inquit pro eis rogo non pro mũdo. Item, Pater serua eos, &c. Psalmus, Nisi dominus custo. ci. fru. vi. &c. Tertio, vt gregem suum ante oculos habeat vel cordis vel corporis. Ecclesiasti. 7. Pecora tibi sunt: attende illis &c. Prouer. 27. Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera. Act. 20. Attendite vobis, & vniuerso gregi. Quarto vt malum manifestum diu in grege non sustineat 1. Cor. 5. Nescitis quia modicũ fermẽtu totam massam corrumpit. Expurgate vetus fermentum, &c. Ibidem, Auferte malum à vobismetipsis, &c. Apoc. 2. Scio quòd non potest sustinere malos. Quinto vt admonitionibus infirmorum multum insistat. 1. Macha. 5. Erat Iudas congregans extremos: & hortabatur populum per totam viam donec veniret in terram Iuda. Act. 20. Nocte & die non cessaui cum lacrymis monere vnum quemque vestrum 1. Thes. 4. Consolamini pusillanimes Sexto vt de reddenda ratione frequenter cogitet. Hebr. vlt. Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris redditur. Hiere. 33. Adhuc transibunt ad manum minãtis. Eiusdẽ 14. Vbi est grex qui datus est tibi?

Sermo secundus de eodem.

Ego sum pastor bonus, bonus past. &c. His verbis duo nobis ostenduntur scilicet Honor pastoralis officij: & onus. Honor ibi, Ego sum pa. bo. Onus ibi. Bonus pa. a. scilicet, &c. In hoc apparuit honor pastoralis officij, quòd altissimus hoc officium voluit habere in mundo isto, sicut prædictum erat per Esa. 11. Sicut pastor gregem suum pascet. In brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit. Fœtas ipse portabit: loquitur de ipso ad modum pij pastoris. Ipse pauit nos doctrina & exemplo & altaris sacramento. Ipse in brachio in cruce extento congregauit agnos qui sunt sine lacte & lana, idest spiritualiter pauperes qui in iis intelliguntur. Io. 11. Iesus erat moriturus pro gente: & non tãtum pro gente, sed vt filios dei qui erant dispersi congregaret in vnum. Ipse osten-

sione misericordiæ suæ in altitudine spei eos leuauit. Ipse animas grauidas conceptione boni propositi confortãdo passionis suæ memoria portauit. Oseæ 11. Ego quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis me. Detestantur Ægyptij omnes pastores ouium. Gen. 45. Sic seculares officium pastorale despiciunt dedignantes pascere gregem domini, vel propter nobilitatem suam vel propter secularem potestatem: non attendentes quod Dauid loquens in persona Christi dicit, Ego constitutus sum rex ab eo, tamen prædicans præceptũ eius. Ad hoc venit ipse altissimus in mundum. vnde Mar. 1. Eamus in ciuitates & vicos proximos, vt ibi prædicem. Ad hoc enim veni. Magnum enim reputãt pascere vẽtres, & dedignãtur pascere mentes: cum tamen dicat Augu. quòd non est magnum pascere ventres morientes: sed magnũ est pascere animas in æternum victuras. Gloriantur pascere porcos: & dedecus sibi putant pascere dei filios. Mat. 8. Si eiicis nos hinc: mitte nos in gregem porcorum. Sene. Quosdam ventri obediẽtes loco animalium numeremus non hominũ, &c. Onus pastoralis officij ostenditur, cum dicitur, Bonus pastor &c. Et si honor te delectat, onus terreat. Si pastor non est bonus, in magno periculo est. Ad hoc vero quòd sit bonus multũ requiritur vt si opus fuerit pro grege se exponat morti. Periculum magnum in quo est pastor malus, patet ex diuersis comminationibus quas ei facit scriptura sacra. Et de multis pauca ponere sufficiat. Hiere. 23. Væ pastoribus qui dispergunt & dilacerant oues pascuæ meæ. Eiusdem 25. Vlulate pastores & clamate, & aspergite vos cinere optimates gregis, quia completi sunt dies vestri vt interficiamini. Ezec. 34. Ve pastoribus Israel qui pascebant semetipsos. A pascendo semetipsos non prohibentur pastores nec negociis nec aliquibus debitis. A grege vero pascendo de facili prohibentur. Item Zacha. 10. Super pastores iratus est furor meus. Cum omne animal diligat simile sibi: ecclesiasti. 14. bene apparebit furor cum summus pastor ita deseuiet in pastores. sed ipsi lupi fuerunt: ideo merito dẽtes bestiarũ immittet in eos. Gregor. Considerate quid de grege agatur, quando lupi pastores fiunt. Circa secundum notandum quòd recipiẽs officium pastorale animam suam in pignore pro ouibus ponit. Si

bonus

bonus est, animam suam, id est animalitatem pro ouibus deponit, sollicitudinem & amorem quem habiturus erat circa se & suos & sua in gregis sollicitudinem & amorem commutando. Item animam suam, id est vitam disponit honeste cõuersando, vt pabulo boni exẽpli, gregẽ pascat. Item si opus fuerit animam suam, id est vitam corporalem pro grege morti exponit. Propter primum multum debet esse sollicitus & strenuus circa ea quæ pertinẽt ad salutem gregis. Prouerb. 6. Fili mi si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneũ manũ tuam. Ideo discurre, festina &c. Ezec. 3. Sanguinẽ eius de manu specul. requiram, &c. Propter secundum dominus dicturus Petro, pasce: ter inquisiuit eum de amore suo, innuens quòd pastor debet amare gregem plusquam sua: plusquam suos amicos carnales: plusquam suam vitam corporalem. Propter tertium dicitur in hodierno euãgelio. Ego sum pastor bonus: non solum pascens verbo sed etiam exemplo. Sed sunt qui interficiunt quos reficere debuerunt. Zachariæ vndecimo. Pasce pecora occisionis quæ qui pascebant, occidebant. Tripliciter occidit pastor gregem. Primo sustẽtationem corporalem ei auferendo. Ecclesiasti. 34. Panis egentium vita pauperis est: qui defraudat eum, homo sanguinis est. Ibidem, Qui aufert in sudore panẽ quasi qui occidit proximum suum 3. Reg. 21. Dictum est regi Achab: Occidisti insuper & possedisti. Secundo negligendo quæ pertinent ad pastorale officium. Ezech. 3. Si dicente me ad impium, &c. sanguinem de manu tua requiram. Greg. Tot occidimus quot ad mortẽ quotidie tepidi & iacẽtes ire videmus. Tunc subiectus moritur sine te: quando in causa mortis contradictorem pertulerit te. Tertio pabulum venenati exempli: Greg. Si ministrãdo 1. Cor. 4. Noli cibo tuo illum perdere pro quo Christus mortuus est. Ozeæ 6. Particeps sacerdotum in via interficientium. Circa quartum notandum quòd cum non minor sit virtus quam quærere, parta tueri: sicut princeps pastorũ pro grege liberando morti se exposuit: sic cæteri pastores pro grege cõseruando morti se debẽt exponere, cum opus fuerit. Greg. in homel. Primũ in nobis est exteriora nostra misericorditer ouibus impendere. Postremũ vero si necesse sit etiã mortẽ nostram pro eis ouibus ministrare. Sed cum incõparabiliter longe

sit anima qua viuimus, aliud quàm terrena substantia quam exterius possidemus: qui nō dat pro ouibus substantiam suam, quando pro iis daturus est animam suam?

Sermo tertius de eodem.

EGo sum pastor bonus, &c.

Notandū quòd sex pertinent ad bonitatē pastoris. Primum est: vt debito modo intret, scilicet per ostium. Et in hoc distinguitur à fure, qui ascendit aliūde. Secundum est: vt oues agnoscat. Ioh. 10. Cognosco oues meas: & cognoscunt me meæ. Tertium est: vt amet dominum ouium: & gratia illius oues intantum vt pro eis si opus fuerit se morti exponat, Ioh. vltimo, Petre amas me. Eiusdem 10. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Et in hoc distinguitur à mercenario qui fugit lupo veniente. Quartum est: vt antecedendo oues, eis viam demonstret. Ioh. 10. Cum proprias oues emiserit, ante eas vadit: & oues illum sequuntur. Quintum est: vt eas pascat. Ioh. vlt. Pasce oues meas. Sextum est, vt earum conseruationi & multiplicationi intēdat. vnde hic dicitur, Alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili: & illas oportet adducere: & fiet vnū ouile & vnus pastor. Congregatio ad conseruationē facit. Circa primum notandum quòd ostium Christus est. Per ostium intrat qui intrat propter Christū & per Christum. Non intrant propter Christum qui non quærunt Christi gloriam & ouium vtilitatē. Phil. 2. Isti non sunt pastores: sed potius ouium tonsores. Iacob pastor erat: Laban vero tonsor erat. Fugit Iacob cum Laban iuisset ad tōdendas oues. Gen. 31. Sic Christus fugit eos qui non curant pascere, sed solum tondere. Ter dictum est pasce: sed nec semel dictum est tonde, vel mulge, vt dicit Bern. Et notandum quòd non intrat per Christū, qui intrat per donum, vel per carnem & sanguinem, vel per terrenam potestatem. Per donum intrans symoniacus est: siue sit à manu, siue à lingua, vel à corde. Munus à manu, potest esse vel pecuniæ, vel sordidi officij. vnde Damasus papa, Omnia crimina ad comparationem symoniacæ hæreseos, pro nihilo reputantur. Contra hoc peccatum magnum zelum habue

habuerunt sancti: vt patet testimoniis scripturæ quæ sequuntur. vnde 4. Reg. 5. dixit Helyseus ad Gyezi, Lepra Naaman adherebit tibi & semini tuo in sempiternum. Contra hoc peccatum multum videtur exarsisse Christus in aduentu primo bis eiiciens vendentes & ementes de templo. De prima eiectione Ioh. 2. De secunda Mat. 21. & Act. 8. Dixit Petrus Symoni mago, Pecunia tua tecũ sit in perditonem. Hoc peccatum facit latrones in ecclesia dei locum obtinere. Ioh. 10. Qui non intrat per ostiũ in ouile ouium, ille fur est & latro. Non solum latro: sed etiam sacrilegus. Absurdum est enim sacrilegum dicere illum qui furatur calicem: & non illum qui furatur ecclesiam cum calice & ceteris pertinentibus ad ecclesiam. Peccatũ istud est valde periculosum: quia oportet symoniacũ resignare beneficium symoniace acquisitum. vnde quasi nassa diaboli est. Piscis qui in nassam ingreditur non de facili regreditur per locum per quem intrauit: & per alium non exit nisi captus. Sic non de facili renunciatur beneficio symoniacè acquisito: & aliter non est salus. Qui per carnem intrat vt frequenter, post carnaliter agit. Ioh. 4. Quod natum est ex carne caro est. Petrus per ancillam ostiariam introductus in atrium pontificis, Christũ negauit. Ioh. 18. Sic quẽm caro introduxit quæ ancilla est animæ, de facili negat Christum. Hoc peccatum hominem maledictum reddit. Micheæ 3. Væ qui ædificatis Syon in sanguinibus. Hoc peccatum multum impedit ne ecclesia regatur a spiritu sancto. Iob. penul. Corpus eius quasi scuta fusilia: & compactum quasi squamis sese prementibus. Vna vni coniungitur & nec spiraculum incedit per eas. Hoc peccatum in multis locis deum exheredat. Bona enim quæ dominus vellet dare filiis suis: prelati dant consanguineis suis: & nepotulis. Contra illos qui intrare volunt per terrenam potentiam, notandũ quòd multiplex pœnæ talium legitur in scriptura sacra. vnde Num. 16. Legitur de Chore, quòd cum ducentis & quinquaginta de maioribus Leuitarum igne diuino succensus est: quia sacerdotium rapere voluerunt. Ibidẽ legitur de Datan & Abyron, qui ducatui Moysi inuidebant, quibus iure primogenituræ videbatur deberi, cum essent de tribu Ruben primogeniti: quòd dirupta est terra sub pedibus eorum: & aperiens os suum, deuorauit

sit anima, qua viuimus, aliud, quàm terrena substantia quam exterius possidemus: qui nō dat pro ouibus substantiam suam, quando pro iis daturus est animam suam?

Sermo tertius de eodem.

EGo sum pastor bonus, &c.

Notandū quòd sex pertinent ad bonitatē pastoris. Primum est: vt debito modo intret, scilicet per ostium. Et in hoc distinguitur à fure, qui ascendit aliūde. Secundum est: vt oues agnoscat. Ioh. 10. Cognosco oues meas: & cognoscunt me meæ. Tertium est: vt amet dominum ouium, & gratia illius oues intantum vt pro eis si opus fuerit se morti exponat, Ioh. vltimo, Petre amas me. Eiusdem 10. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Et in hoc distinguitur à mercenario qui fugit lupo veniente. Quartum est: vt antecedendo oues, eis viam demonstret. Ioh. 10. Cum proprias oues emiserit, ante eas vadit: & oues illum sequuntur. Quintum est: vt eas pascat. Ioh. vlt. Pasce oues meas. Sextum est, vt earum conseruationi & multiplicationi intēdat. vnde hic dicitur, Alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili: & illas oportet adducere: & fiet vnū ouile & vnus pastor. Congregatio ad conseruationē facit. Circa primum notandum quòd ostium Christus est. Per ostium intrat qui intrat propter Christū & per Christum. Non intrant propter Christum qui non quærunt Christi gloriam & ouium vtilitatē. Phil. 2. Isti non sunt pastores: sed potius ouium tonsores. Iacob pastor erat: Laban vero tonsor erat. Fugit Iacob cum Laban iuisset ad tōdendas oues. Gen. 31. Sic Christus fugit eos qui non curant pascere, sed solum tondere. Ter dictum est, pasce: sed nec semel dictum est tonde, vel mulge, vt dicit Bern. Et notandum quòd non intrat per Christū, qui intrat per donum, vel per carnem & sanguinem, vel per terrenam potestatem. Per donum intrans symoniacus est: siue sit à manu, siue à lingua, vel à corde. Munus à manu, potest esse vel pecuniæ, vel sordidi officij. vnde Damasus papa, Omnia crimina ad comparationem symoniacæ hæreseos, pro nihilo reputantur. Contra hoc peccatum magnum zelum

habue

habuerunt sancti: vt patet testimoniis scripturæ quæ sequuntur. vnde 4. Reg. 5. dixit Helyseus ad Gyezi, Lepra Naaman adherebit tibi & semini tuo in sempiternum. Contra hoc peccatum multum videtur exarsisse Christus in aduentu primo bis eiiciens vendentes & ementes de templo. De prima eiectione Ioh. 2. De secunda Mat. 21. & Act. 8. Dixit Petrus Symoni mago, Pecunia tua tecũ sit in perditonem. Hoc peccatum facit latrones in ecclesia dei locum obtinere. Ioh. 10. Qui non intrat per ostiũ in ouile ouium, ille fur est & latro. Non solum latro: sed etiam sacrilegus. Absurdum est enim sacrilegum dicere illum qui furatur calicem: & non illum qui furatur ecclesiam cum calice & ceteris pertinentibus ad ecclesiam. Peccatũ istud est valde periculosum: quia oportet symoniacũ resignare beneficium symoniace acquisitum. vnde quasi nassa diaboli est. Piscis qui in nassam ingreditur non de facili regreditur per locum per quem intrauit: & per alium non exit nisi captus. Sic non de facili renunciatur beneficio symoniacè acquisito: & aliter non est salus. Qui per carnem intrat vt frequenter, post carnaliter agit. Ioh. 4. Quod natum est ex carne caro est. Petrus per ancillam ostiariam introductus in atrium pontificis, Christũ negauit. Ioh. 18. Sic quem caro introduxit quæ ancilla est animæ, de facili negat Christum. Hoc peccatum hominem maledictum reddit. Micheæ 3. Væ qui ædificatis Syon in sanguinibus. Hoc peccatum multum impedit ne ecclesia regatur à spiritu sancto. Iob. penul. Corpus eius quasi scuta fusilia: & compactum quasi squamis sese prementibus. Vna vni coniungitur & nec spiraculum incedit per eas. Hoc peccatum in multis locis deum exheredat. Bona enim quæ dominus vellet dare filiis suis: prelati dant consanguineis suis: & nepotulis. Contra illos qui intrare volunt per terrenam potentiam, notandũ quòd multiplex pœna talium legitur in scriptura sacra. vnde Num. 16. Legitur de Chore, quòd cum ducentis & quinquaginta de maioribus Leuitarum igne diuino succensus est: quia sacerdotium rapere voluerunt. Ibidẽ legitur de Datan & Abyron, qui ducatui Moysi inuidebant, quibus iure primogenituræ videbatur deberi, cum essent de tribu Ruben primogeniti: quòd dirupta est terra sub pedibus eorum: & aperiens os suum, deuorauit

eos cum tabernaculis eorum & vniuersa substantia: descenderuntque viui in infernũ. Legitur etiã 4. Reg. 15. & 2. Paralip. 30. De Ozia rege, qui in festo propiciationis indutus pontificalibus intrauit in templum vt incẽsum poneret: & factus est terræmotus: & percussus est: in facie lepra: & fuit leprosus omnibus diebus vitæ suæ. Et notandum quòd ille quem diabolus introducit, voluntatem introducentis se postea facit. Ber. Qui infideliter intrat, & non per Christũ: quid nisi infideliter agat, & contra Christum. Circa secundum notandum quòd oportet vt pastor oues suas agnoscat. Prouer. 27. Diligenter agnosce vultũ pecoris tui, &c. eiusdem 12. Nouit iustus animas iumentorum suorum: viscera impiorum crudelia. Oportet vt interiora subditi agnoscat prelatus: vt agnoscat quis indigeat increpatione: quis consolatione. 1. Thes. 4. Corripite inquietos: consolamini pusillanimes: sed multi sunt sicut stultus auriga: de quo dicitur, Non retinere valet: nec nomina nouit equorum. Item, Amor Christi & ouium necessarius est pastori. vnde Matth. 22. Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? vestis nuptialis est charitas, sine qua nemo debet accipere curam animarum. Qua charitate deum habet charum super omnia & proximum suum citra deum: & super omnem terrenam substantiam. Ber. super cantica. Non ociose totiens repetitum est: Petre amas me? in commissione ouium: & ego quidem id significatum puto ac si illi dixisset Iesus, Nisi me valde perfecteque ames, hoc est videlicet, plusquam tua, plusquam tuos, plus etiam te: nequaquam suscipias curam hanc, neq; te intromittas de ouibus meis pro quibus vtique sanguis meus effusus est. Pastores ecclesiæ ad multa admittuntur quæ solum amicorum sunt, videlicet Primo ad custodiam dominici corporis. Illud idem corpus quod in vtero virginis formatum est: ad verba sacerdotis incipit esse sub specie panis. Sicut deus pater filium suum commisit beatæ virgini: sic commisit & sacerdoti. Item, Sicut Symeoni concessum est tenere filium dei, sic concessum est & sacerdoti. Caueat tamen quid inde faciat: sicut enim Symeõ infelix fuisset si in lutum proiecisset filium dei: sic infelix est sacerdos qui corpus dominicum indigne tractat. Ieremiæ 26. Ego autẽ ecce in manibus vestris sum: facite mihi

quod

quod bonum & rectum est in oculis vestris. Veruntamen scitote & cognoscite quia si occideritis me: sanguinem innocentem tradetis cõtra vosmetipsos velut occisio est, indigna sumptio corporis dominici. Ambros. Qui indigne Christum sumit: idem est acsi interficiat. Et super illud 1. Cor. 11. Quicunque manducauerit panem hunc, &c. Glosa, reus erit acsi Christum occiderit. Secundo admittitur ad eius mensam. Tertio ad osculum. Quarto ad consilia & secreta. Ioan. 15. Iam non dicam vos seruos sed amicos &c. Quinto ad officium reconciliationis ad quod non est admittendus filius iræ: quia secundum Greg. Cum his qui displicet ad intercedendum mittitur: irati animus ad deteriora prouocatur. Ber. Væ filiis iræ qui nondum reconciliati reconciliationis alienæ negocium quasi gens quæ iusticiam fecerit apprehendunt. Circa quartum notandum quòd pastorem oportet præcedere oues exemplũ bonum eis ministrando & honestate vitæ excellendo. Sicut legitur 1. Reg. 10. de Saule, quòd stetit in medio populi: & altior fuit vniuerso populo ab humero sursum. Item in eodem, Ecce videtis quem elegit dominus: quòd non sit ei similis in omni populo. Gre. in moralibus, Non debet hominum ducatum suscipere: qui nescit homines bene viuendo præire. Item Grego. Tantum debet actionem populi actio transcendere præsulis: quantum distare solet à grege vita pastoris. Idem, Quisquis speculator ponitur in alto stare debet per vitã: vt possit prodesse per prouidentiam. Et secundum Iero. Nihil intantum destruit ecclesiã dei: sicut clericos laicis esse deteriores. Esa. 24. Erit sicut populus sic & sacerdos. Et dicit Bernardus, Et vtinã sic: & non peior populo sacerdos. Circa quintum notandum est quòd pastoris est pascere pabulo, videlicet verbi, exempli, & temporalis subsidij, vel secundum Ber. Pabulo prædicationis, operis, & orationis. Vnde Petro dictum est ter, Pasce, scilicet, Exemplo conuersationis: verbo prædicationis: fructu orationis. Circa sextum notandum quòd pastor debet intendere his quæ fiunt ad conseruationem gregis: vt est congregatio siue pacificatio eius. Oseæ 1. Congregabuntur filij Israel & filij Iuda pariter: & ponent sibi caput vnum. Et sciendum quòd qui deberent esse pastores, facti sunt lupi. Ezechiel. 22. Principes eius in me-

dio eius quasi lupi rapientes prædam.Prouerb.28. Leo rugiens & vrsus esuriens, princeps impius super populum pauperē.Vulpes etiā facti sunt multi dolóse rapiētes,Vox quidē vox Iacob est:sed manus manus sunt Esau.Genes. 27.Ezech.13.Quasi vulpes in deserto prophetæ tui Israel erant.Tren.vltimo dicitur de monte Syon,Vulpes ambulauerunt in eo.Notandum,quòd supra illud Ioh.vltimo, Pasce oues meas,Glosa enumerat quinque pertinentia ad pastorem,scilicet Credentes ne deficiant cōfortare. Terrena subsidia si necesse est subditis prouidere: Exempla virtutum præbere:Aduersariis obsistere:Peccantes corrigere.Sequitur,Alias oues habeo, &c.& vocem meam audiunt,&c.Circa verbum propositum considerandum est quare ille qui non solum sapiens est,sed etiam ipsa sapientia patris,fideles oues vocet.Ad quod dicendum quòd in hoc quòd eos vocat oues, septem gratias eius commendat in septē proprietatibus ouis designatas. Prima est fidei simplicitas:quæ in hoc nobis commēdatur quod ouis animal simplex est.In his quæ fidei sunt qui ambulat simpliciter,ambulat confidenter.Prouer.10.Ambros.Auferātur argumenta vbi fides quæritur 2. Cor.11. Timeo ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua:ita corrumpantur, &c.Sine disceptatione credendum est deo: quod ipse de se in scriptura sacra docet.Hylarius,Soli deo de se credendum est:qui se solus nouit.Exod.12.Si altare lapideum feceris mihi:nō ædificabis illud de sectis lapidibus.Si enim leuaueris cultrum tuum super eo, polluetur. Altare lapideum est fidei soliditas: super quam non est leuandum acumen ingenij quòd per cultrum intelligitur: vt ingenium nostrum in his quæ fidei sunt auctoritati scripturæ proponamus,Et notandum quòd ouis animal simplex ruminat & findit vngulam. Sic qui habet simplicitatem fidei,scripturam sacram debet ruminare: & secūdum illam in cauendis & agendis discretionem habere:Ecclesiasti.3. Quæ præcepit tibi Deus cogita illa semper,& in pluribus operibus eius ne fueris curiosus. Secunda est timor vel fuga mali:in hoc quòd ouis naturaliter timet lupum: sic fidelis timere debet lupum infernalem vel peccatum. Ecclesiastici 21.Quasi à facie colubri fuge peccatum.Nullus hostis potest tibi nocere nisi per istum:quia non nocebit

aduer

aduersitas si non dominetur iniquitas. Prouer. 28. Beatus homo qui semper est pauidus: qui vero mentis est duræ, corruet in malum. Tertió stabilitas vel pax: in hoc quòd ouis animal quietũ est. Cõmendabile est quietũ esse etiã quantũ ad corpus, vnde Sen. in epistolis, Primũ argumẽtum cõpositæ mentis existimo posse consistere & secum morari. Cõmendabile etiã est esse quietum mente Io. 14. Pacem relinquo vobis: pacem meã do vobis. Hebr. 4. Relinquitur sabbatismus populo dei. Grego. Quid quietius quam nihil in hoc mundo appetere? quid laboriosius quã terrenis desideriis æstuare? Hinc est quòd Israel sabbatũ accepit in munere, Ægyptus percutitur, muscarum multitudine. Sed de quibusdam potest dici illud, Contritio & infælicitas in viis eorum: & viam pacis non cognouerũt. Quarto commendatur eis charitas, qua proximi vtilitati debent intendere: in hoc quòd ouis est aliis vtilis ad victum & vestitum. Ouis, secundum Augustinum, mandatum euangelicum implens de duabus tunicis dat vnam non habenti, scilicet, homini Ipsa pascit dominum suum & vestit. Sic ouis spiritualis Christum pascit & vestit vt ipse dicturus est in iudicio. Matth. 25. Esuriui, &c. Quinto obedientia in hoc quòd ouis est animal tractabile siue obediens. Ad quod pertinet verbum propositum, Vocem meam audierunt, &c. Sicut dicitur in libro de animalibus. Pastores docent oues ambulare festinò, ad auditum alicuius vocis. Sexto sobrietas in hoc quòd aridis vescitur: modicis expensis sustentatur. Esa. 49. Super vias pascentur: & in planis erunt pascua earũ. Sen. Victus sit tibi ex re facili; nec ad volũtatem sed ad cibum accede. Palatum tuum fames excitet, non sapores. Desideria tua paruo redime: quia hoc tantum curare debes vt desinant. Septimo mansuetudo in hoc quòd ouis malum non nouit inferre: sed potius ferre. Esa. 53. Quasi ouis ad occisionem ductus. Rom. 12. Nulli malum pro malo reddentes. Prouer. 20. Ne dicas: reddam malum pro malo, &c.

Dominica secunda post octa. Paschæ

SERMO PRIMVS.

Modicum & non videbitis me: & iterum modicũ, & videbitis me, &c. Iohan. 16.

Hoc euangelium tria continet. Primo quædam verba quæ à saluatore discipulis dicuntur. Secundo intellectus verborum illorum à discipulis quæritur, ibi, Quid est hoc quòd dicit modicum? Tertio verba illa à saluatore declarantur, ibi, Plorabitis & flebitis vos, &c. Modicũ, &c. Moraliter potest verbum propositum intelligi duobus modis. Primo, vt modicum intelligatur totum tempus vsque ad finem seculi, secundum glosam. Secundo, vt modicum quo saluator non videtur intelligatur tempus tentationis vel tribulationis: modicum quo videtur intelligatur tempus consolationis. Secundum primum intellectum valet verbum propositum ad contemptum præsentis prosperitatis: & ad tolerantiam præsentis aduersitatis. Contemnenda est præsens prosperitas quasi punctalis. Iob 20. Gaudium ypocritæ ad instar puncti. Item patienter toleranda est præsens aduersitas: quasi momentanea: cui succedet iocunditas diuinæ visionis. Ecclesiasti. 1. Vsque in tempus sustinebit patiens: & postea redditio iocunditatis. Multi tamen non intelligunt hanc modicitatem: dicentes sicut dicebant discipuli, Quid est hoc quòd dicit modicum? Nescimus quid loquitur. Aug. Hoc modicum nobis longum videtur quoniam adhuc agitur: sed cum finitum fuerit sentietur quàm modicum fuerit. Possumus autem tripliciter ostendere hanc modicitatem. Primo per sacræ scripturæ auctoritatem. Secundo comparando tempus vitæ præsentis ad gloriæ æternitatem. Tertio comparando illud ad pœnæ infernalis diuturnitatem. Testimonia scripturæ hæc sunt. scilicet 1. Pe. 1. Modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus, vt &c. 2. Cor. 4. Id quod in præsenti est momentaneum & leue, &c. 1. Ioh. 2. Filioli mei no. ho. est, &c. Esa. 54. Ad punctum in modico dereliqui te, & in momento indignationis meæ abscondi faciem meam

meam parumper à te &c. Iac.4. Quæ est vita nostra: vapor est ad modicum parẽs. Specialiter temporibus nostris vita hominis modica est. Pauci enim sunt qui viuant vsque ad 60. Annũ. Vixit Adam, nongẽtis & triginta annis: Seth, nongentis & duodecim. Tunc non erat mirum si amabant præsentem prosperitatem, vel timebant pręsentem aduersitatem. Sed hodie nec est amanda mundana prosperitas, nec est timenda aduersitas cum quasi momentaneæ sint. Item, patet hæc modicitas si habeatur respectus ad gloriæ æternitatem. Minus enim est totum tempus præsentis vitæ in comparatione ad gloriam æternam: quam vna gutta aquæ respectu totius maris. Roma.8. Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram, &c. Item patet hæc modicitas si habeatur respectus ad pœnæ infernalis diuturnitatẽ. vnde dicunt in inferno, Sap.5. Transierũt omnia illa tanquam vmbra. & paulo post, Nos nati continuo desinimus esse, &c. Iuxta secundum intellectum sciendum quòd amici dei in hac vita: nunc habent tentationem vel tribulationem. Nunc consolationem, sicut ostendit Ber. Loquẽs de illo verbo, Cant.1. Trahe me post te: curremus in odore vnguẽtorum tuorum. Trahimur inquit cum tribulationibus & tentationibus exercemur. Currimus cum interius consolationibus & inspirationibus visitati tanquam in suaue olentibus vnguentis respiramus. Sic nox spiritualis & dies in eis succedunt sibi. Sic modicum est: & non videtur saluator: & iterum modicũ est & videtur. Sic lætitia salutaris dei subtrahitur & postea redditur, Ber. super cantica. O modicum non modicum: ô modicum longum. Pie domine, Modicum dicis quòd non videmus te: saluum sit verbum domini mei, longum est multum, valde, nimis. Videtur tamen vtrunque verum: & modicũ meritis, & non modicum votis, Idem loquens de illo verbo, Si morã fecerit ex e. quia ve. ve. & non tar. Quomodo non tardabit si moram fecerit: nisi quia quo ad meritum plusquam satis est. Non est tantum satis, quantum ad desiderium. Et notãdum quòd multis de causis iocunda præsentia saluatoris alicui subtrahitur. Primo: vt humilitas seruetur ne illam lætitiam credat se habere à se. Ideo Paulus ab Angelo sathanæ colaphizatur: ne extollatur 2.Cor.12. Ne magnitudo reuelationũ extollat me, datus est &c. Secũdo

vt tanta

vt tanta securitas vitetur: quæ mater est negligētiæ & periculo propinqua. Greg. in mor. Cum mens secura redditur, in torporem laxatur. Idem, Mater negligentiæ solet esse securitas. Idē in moral. Multis sæpe graue periculum tanta securitas fuit. Bern. super Cant. Ne dixeris in abundantia tua, Non mouebor in æternum: ne cum gemitu cogaris dicere, Auertisti faciē tuam à me & f. f. con. Curabis si sapis in die malorum non immemor esse bonorum: & in die bonorum non immemor esse malorum. In die virtutis clama, Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me: In tempore tentationis consolare & dic, Trahe me post te. Sic non deseret te spes in tempore malo: & in bono prouidentia non deerit. Tertio vt ardentius quæratur. Cant. 3. In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea, &c. Surgam & circuibo ciuitatē: per vicos & plateas quæram quem diligit, &c. Quarto vt inuētus fortius teneatur, in eodē, Tenui eum nec dimittam, &c. De his duobus similiter dicit Ber. super Can. Ideo subtraxit se quo auidius reuocaretur, teneretur fortius. Præteriens teneri vult: abiens reuocari. Quinto vt pateat ex eius absentia quid conferebat sua præsentia. Ostendit infirmitas quantum bonum erat sanitas: Ostendit guerra quantum bonum erat pax: Ostendit tentatio quantum bonum erat mentis tranquillitas. Et sic de ceteris. Sexto vt ex hac tristicia perpendatur quam male sit homini si ex deo separetur omnino: quod fiet in damnatione. Iere. 2. Scito & vide quia malū & amarum est dereliquisse te dominū deum tuum. Aug. Tale bonum est deus vt nemini eum deserenti bene sit. Tristicia vestra vertetur in gaudium. Nota quòd tristitiā quā boni habent in præsenti: præferenda est gaudio mundi septem de causis. Primo propter benedictionē quam habet à deo. Mat. 5. Beati qui lugent. item, Lucæ 6. Beati qui nunc fletis: Econtrario gaudium mundi maledictum est à deo, secundum illud Luc. 6. Væ vobis diuitibus qui habetis consolationem vestram. Quis audeat gustare cibum ab aliquo sancto maledictum? Quantum ergo timendum est gaudiū maledictum ab ipso sancto sanctorum. Dauid, Renuit cōsolari anima mea. Secundo quia sapientes tristiciam præsentem gaudio præsenti præeligunt: quòd autem sapientes præeligunt, præeligendum est. Malunt sapiētes se esse

ſanos lugentes, quam freneticos gaudentes. Eccleſiaſtes 2. Riſum reputaui errorẽ:& gaudio dixi, Quid fruſtra decipieris? Eiuſdem 7. Cor ſapientum vbi triſticia eſt:& cor ſtultorum vbi lætitia. Ex fatuitate eſt gaudiũ huius mondi: immo ex cæcitate: ſecundum illud Luc. 19. Videns Ieſus ciuitatem: fleuit ſuper illam, dicens: quia ſi cognouiſſes & tu, ſupple, fleres: prælegit ſapiẽtiſſimus, ſcilicet dei filius in mondo iſto triſticiam gaudio. Ber. in ſermonibus, Chriſtum ſuper Lazarum & ſuper ciuitatem fleuiſſe & in orationibus pernoctaſſe: riſiſſe vero aut iocaſſe nuſquam legimus. Tertio quia triſticia ſalubris eſt, licet ſit amara: gaudium mortiferum eſt. Eccleſiaſti. 7. Inueni amariorem morte mulierem, &c. Mulier iſta eſt mundi lætitia. Gaudium mundi eſt velut vinũ forte capita debilia deſtruens niſi aqua tribulationis miſceatur: vt in Salomone qui non prohibuit cor ſuum quin omni voluptate frueretur. Eccleſiaſtes 2. Et ideo infatuatus eſt 3. Reg. 11. Sapientia non inuenitur in terra ſuauiter viuentium. Iob. 28. Hoc eſt vinũ damnatorũ, de quo Amos 2. Triſticia vero eſt aqua ſapiẽtiæ, id eſt hominem ſapientẽ reddens. vnde Eſa. 28. Tãtum ſola vexatio dabit intellectũ auditui. & Iere. 6. Secundum translationem 70. Per omnem dolorem & flagellum erudiens Hieruſalem. Quarto: quia triſticia conuenit loco in quo ſumus & tempori. De loco Aug. In valle miſeriæ ſumus in quo eo magis flendum eſt quo minus flemus. Ipſe puer naſcens fletu ſuo oſtendit locum in quo ſumus, eſſe locum fletus. Aug. ſuper illud Eph. 5. Redimentes tempus: quoniam dies mali ſunt. Puer inquit qui naſcitur à ploratu incipit: nec ridere poteſt: lachrymæ ſunt teſtes miſeriæ: Nondum loquitur & iam prophetat. Tempus etiã in quo ſumus: tempus flendi eſt. Eccleſiaſtes 3. Tempus flendi: & tempus ridendi. Tempus flendi eſt in præſenti vbi eſt multa materia fletus: & lachrymæ ſunt in valore ſuo: lachrymæ in futuro quantum ad reprobos nullius valoris erunt. Electis vero materia fletus deerit. Materia fletus in præſenti ſunt, dei iniuriæ & contumeliæ: ſtrages animarum: incolatus præſentis miſeriæ: dilatio patriæ. Ordo cõgruus eſt, vt vigilia fiat ante feſtum. Electi faciunt hic vigiliam in pane tribulationis & aqua doloris: poſt facient feſtum. Reprobi vero prius faciunt feſtum quam vigiliam. Ipſi

videntur

videtur facere festum stultorũ. Quinto propter breuitatẽ. Habituri sunt & boni & mali tristiciam & gaudiũ. Sed boni scientes quod est præsentis vitæ esse breue: quod vero est futuræ vitæ esse longũ: tristiciam eligunt in præsenti: & gaudium in futuro. Augu. Sapientia sanctorum est hic temporaliter cruciari & in æternum delectari. Mali vero ecõtrario faciũt. Iob 20. Et gaudiũ hypocritæ; scilicet mundi, ad instar puncti. Electi non timent hic sumere guttam amaritudinis: quam sequatur abyssus æternæ dulcedinis. Ecõtrario reprobi guttam dulcedinis sumunt: post quam habituri sunt abyssum æternæ amaritudinis. Sexto, quòd tristicia præsens electorum habet adiunctam veram læticiam. Psal. Secũdũ multitudinem do.m.in.c.m.con.t.le.a.m. Sen. Viri boni gaudium est ex bona conscientia. Econtrario gaudium mũdi est cum tristicia: quia de malo gaudent. Prouer. 2. Qui lætãtur cum malefecerint: & exultant in rebus pessimis. Malis vero tormentum animæ. Augusti. Curre per singula: tot inuenies animæ tormenta, quot vicia. Septimo, quia tristicia vertetur in gaudium: & econtrario gaudium mundi in tristiciã. De hoc habetur exemplum de diuite & lazaro. Luc. 16. Plus valet lutum in breui mutandum in aurum: quam aurum in breui mutandum in lutum. Iere. 31. Conuertam in lutum gaudium eorum. De gaudio malorũ legitur Prouer. 14. Extrema gaudij luctus occupat. Amos 8. Conuertam omnes festiuitates vestras in luctũ. Iob. 21. Ducunt in bonis dies suos. &c. In hac vero conuersione attendendũ est: quòd vna gutta tristiciæ electorum mutabitur quasi in mille modios gaudij: & econuerso vna gutta gaudij reproborũ quasi in mille modios tristiciæ. Luc. 6. Væ vobis qui ridetis quia plorabitis & flebitis. Sequitur. Mulier cum parit. &c. Mulier dicitur ecclesia vel anima fidelis: quia deo subiecta est per obediẽtiam. Gen. 3. Sub viri potestate eris. Item, quia fœcunda. In Psal. Vxor tua sicut vitis abundans. Item, quia compatiens. Ecclesiastici 36. Vbi non est mulier, ingemiscit egens. Item, quia virum molliens, id est Christum: orando eum ad misericordiam flectens. Comparatur autem tristicia animæ vel ecclesiæ angustiæ parturiẽtis propter tria, scilicet proprer acerbitatem. Tren. 2. Magna velut mare con.t. Iere. 6. Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum. Breuitatẽ, 1.

Pet.1. Modicum nunc si oportet cõ.in.d.&c.Gaudium fructus sequentis.de quo hic. Cũ peperit puerũ iam nõ meminit pres.propter.g.&c.Itẽ notandũ quòd ecclesia parturit & in prædicatoribus:& in penitentibus.Prædicator habet dolores vt parturientis: eiulando pro his qui in vtero moriũtur.Iere.4.Ventrem meum doleo.Ambro. Ventrem meum doleo vt prophetico vtar eloquio: quia quẽ regeneraturus erã amisi.Itẽ,pro his qui in vtero collidũtur.Gen. 25. Dedit deus conceptũ Rebeccæ:sed collidebãt in vtero eius paruuli.Quæ ait, Si sic mihi futurũ erat:quid necesse erat cõcipere?Itẽ,pro his qui à partu retrahuntur. Esa.27. Venerunt filij vsque ad partũ & virtus nõ est pariẽdi. Gre. Pensandũ est quantus sit sanctis prædicatoribus dolor de cadentibus:quantus de stantibus timor: quãtus feruor de cõuersis:quãta sollicitudo de cõuertẽdis.Iob.29.Curuantur ad fœtum & pariunt: & rugitus emittunt.Gal.4.Filioli mei quos iterũ parturio.&c.Apoc,12. Mulier in vtero habens,& clamabat parturiẽs,& cruciatur vt pariat.Sed quidam cruciãtur vt pereant.Iere.9. Vt inique agerẽt laborauerunt.Ecclesiastes 10.Labor stultorum affligit eos,Penitens etiam habet dolores vt parturiẽtis.In angustia cõtritionis.In erubescẽtia cõfessionis .In labore satisfactionis: Gen.3.In dolore paries &c.Mulier cũ parit &c. Ostẽditur hic quòd tristicia sit via ad gaudiũ. Greg.Si dulcia quærimus necesse est vt amara toleremus.Circa gaudiũ verò futurũ tria nobis insinuantur.Primo quòd erit post tristiciã: & ideo dulcius. Ecõtrario erit de pœna diuitũ quæ maior erit quia deliciis & diuitiis & honoribus sunt assueti.Difficile enim est carere assuetis:& cõtrariis vti. Secũdo quòd erit gaudiũ cordis,ibi,Et gaudebit cor vestrum.Gaudium amatorũ mundi est de exterioribus.Tertio, quod erit sine fine.de quo ibi, Et gaudium vestrum nemo tollet à vobis, Esa.51.Lætitia sempiterna super capita eorum,&c.

Dominica tertia post octa.pascha,
SERMO PRIMVS.

VAdo ad eum qui me misit , &c. Ioan.16.

In hoc Euangelio dominus primo suum corporalem

ralem discessum suis prædixit. Secundo missionē spiritussancti eis promisit, ibi, Expedit vobis vt ego vadam. Tertio effectum aduentus spiritussancti ostendit, ibi, Et cùm venerit &c. Triplex ostenditur effectus spiritussancti, videlicet Mundi arguitio, ibi, Arguet mundum. Apostolorum instructio, ibi, Adhuc multa habeo vobis loqui, &c. Christi clarificatio, ibi, Ille me clari. Vado ad eum qui me misit &c. Solēt homines peregrinaturi prædicere familiæ suæ recessum suum, & consolari eam de suo recessu: vel dicendo se in breui tempore reuersuros: vel per personam ydoneam se ei prouisuros. Sic dominus recessurus à discipulis suis: & quasi peregrinaturus ascendendo in cælum secundum illud Matth. 25. Homo quidam peregre proficiscens vocauit seruos suos, &c. Recessum suum ipsis prædixit: & consolatus est eos ostendendo se in breui reuersurum ad eos, vt recoluit ecclesia in euangelio præcedentis dominicæ. Modicum inquit, & non videbitis me, &c. Item promittēdo se eis prouisurum per spiritum sanctum quod recolitur in hac dominica. Et notandum quòd cum ascensio domini prope sit secundum ecclesiæ representationem: conuenienter legitur hodie euangelium cōtinens verba quæ dixit dominus de ascensione sua in breui futura. Duo autem ostendit specialiter hoc Euangelium videlicet Discipulorum desolationem de recessu magistri audito. Et exhibitam eis à deo consolationem. In prima vero parte tria ostenduntur. Primò ascensio domini prædicatur, ibi, Vado ad eum &c. Secundo modus ascendendi insinuatur, ibi, Nemo interrogat me, quo vadis. Tertio ratio dicti contristantis discipulos ostenditur, ibi, Quia hæc locutus sum vobis, tristamini in cordibus vestris: Sed veritatem dico vobis. expedit vobis vt ego vadam, &c. Circa primum notandum quòd dominus de suo reditu ad patrē loquitur non tanquā de futuro remoto, sed quasi præsens esset. Exemplo ergo eius reditum tuum ad eum quasi semper præsentem habeas ne mors te inueniat imparatū. Luc. 12. Estote parati: quia qua hora non putatis, filius hominis veniet. Item exemplo domini vade ad eum qui te misit, saltem spiritualiter.

Debemus ire ad deum triplici modo. Primo gratias ei referendo de beneficiis & bonis ab eo receptis. Ecclesiastes

stes 1. Ad locũ vnde exeunt flumina redeunt, vt iterũ fluãt. Coruus non est reuersus ad archam: sed columba referẽs ramum oliuæ in ore, Gen. 8. Ramus oliuæ est verbũ gratiæ & misericordiæ quod debemus habere in ore: dicentes, Misericordiæ domini quòd non sumus consumpti: quia non defecerũt miserationes eius. Tren. 3. 1. Cor. 15. Gra. dei sum id quod sum, &c. Secundo: sapiẽtia eius, lucide videndo omnia & omnẽs actus nostros cogitando. Boe. Magna nobis, si dissimulare nolumus, indicta est probitatis necessitas: cum omnia agamus ante oculos iudicis cuncta cernentis. Hebr. 4. Omnia nuda & aperta oculis eius ad quem nobis sermo. Ioh. 7. Nudus est infernus coram eo. Tertio mercedem operis nostri ab eo paratam: frequẽter considerando. Aug. Labor te terret: vide mercedem, &c. Quarto, districtionem iudicis attendendo: sicut faciebat. Iob. 31. dicens. Quid faciam cum surrexerit ad iudicium deus: & cum quæsierit, quid respondebo ei? Circa secũdum notandum quòd dominus manifeste ascendit. Act. 1. Videntibus illis eleuatus est, &c. Non fuit necesse quærere quo iret cum hoc esset manifestum. Exemplo ergo eius & nos de virtute in virtutem ascendamus: & exemplum proficiendi proximo ministremus. Mat. 5. Sic luceat lux vestra coram hominibus. Item, Notandum est quòd non solum attendendum est vnde vel qua eatur, sed etiam quo itur: quia carnales in recessu amicorum suorum de hoc mũdo solum attẽdunt, vnde ipsi eant, scilicet quoniã ab eis recedunt: & ideo plorant. Sic faciebant discipuli. Vnde dicit Beda, quòd magis tristabantur de recessu quo eos deserebat: quam lætarẽtur de ascensu quo patrem petebat. Item, Homines carnales non attendunt quo à diabolo ducãtur: sed qua via ducantur. Vnde per amæna loca ducuntur ad tormẽta æterna. Gre. Qui præsenti suauitate capitur, quasi per amæna prata ad interitum ducitur. Sapiẽs vero finem vitæ attendit. Boetius, Num quod situm est ante oculos sufficit intueri. Rerum exitus prudentia metiam. Lumen mundanæ sapientiæ modicum est: & non sufficit ad hoc vt ad illud videantur remota: sed lumen sapiẽtiæ diuinæ magnum est. Vnde ad illud vident & propinqua & remota. Sap. 8. Sapiẽtia enim vincit maliciam: attingit enim à fine vsque ad finem fortiter, &c. Circa tertium notãdum quòd

dominus non dimittit eis dicere vtilem veritatem licet viderat eos contristatos. Exemplo ergo eius dic hominibus quæ eis prosunt, & si displiceant. Sen. Monstrabo tibi quid omnia possidentibus desit, scilicet qui verum dicat. Item, Dic eis non quod velint audire: sed quod velint semper audisse. Non omne dulce gustandum est: nec omne amarum proiiciendum est. Simia inueniens amaritudinem in cortice nucis, nucem proiicit: ideo de dulcedine nuclei non gustat. Sicut virtus est, placidis abstinuisse bonis: sic virtus est sustinere quæ displicent. Veritatem ergo vtilem dicas: & audire non refugias.

Sermo secundus de eodem.

EXpedit vobis vt ego vadam. Consolatur hic dominus discipulos de suo recessu cõtristatos, per vtilitatẽ sequentẽ suum recessum, scilicet per aduentum spiritussancti. Expedit enim vt ego vadam: corda vestra sursum tracturus. Matth. 6. Vbi est thesaurus tuus, &c. Ioh. 12. Cum exaltatus fuero à terra, omnia &c. & Mat. 24. Vbicunque fuerit corpus, con. &c. Spem ascendendi post me vobis daturus. Mich. 2. Ascendit, iter pandens ante eos. Cum caput ecclesiæ iam sit in cælo, & etiam multa membra corporis ecclesiæ: sperãdum est quòd alia debeant ibi recipi. Non faciet deus pater filio suo dimidium hospitiũ: verisimile est quòd illi qui de nostris sunt ibi, trahant nos illuc: nisi nos impediuerimus. Deut. 33. dicitur ecclesiæ, Ascensor cæli auxiliator tuus. Item, Petitiones vestras patri porrecturus & pro vobis oraturus. Hebr. 7. Accedens per semetipsum ad deum semper viuens ad interpellandum pro nobis 1. Iohan. 2. Si quis peccauerit: aduocatum habemus ad patrẽ Iesum Christum, &c. Item, Locum vobis paraturus. Ioh. 14. Vado vobis parare locum. Si autẽ abiero & preparauero vobis locũ: iterum veniam & accipiã vos ad me ipsum. Parauit nobis Christus locum in ascensione, cælum nobis in affectu aperiendo. Item, Præsentiam suam manifestam nobis subtrahendo: vt fides haberet meritum. Aug. Subtrahit se & latet: vt sit fides quæ non est de re visa. Grego. Fides non habet meritũ cui humanã ratio præbet experimentum. Item, Militibus dona

daturus

daturus. Eph. 4. Ascendens Christus in altum captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus. Item, Amorem carnalem amputaturus. vnde hic dicitur, Si non abiero, paraclitus non veniet ad vos. Bern. Nisi carnis præsentia subtrahatur: spiritualem gratiæ plenitudinem mens occupata non admittit. Si ita est, quis audeat de cetero carnis illecebris fantasticis deditus paraclitũ expectare. Quid huic sterquilinio & illi consolationi? Et notandum quòd, affectus carnalis turpis: gratiam expellit. Affectus carnalis & naturalis, gratiæ plenitudinem impedit. Ioh. 6. Caro non prodest quicquam. Hebre. 6. Qui lactis est particeps, expers est sermonis iusticiæ, Esa. 28. Quem docebit scientiam & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte. Bern. Delicata est diuina consolatio: & non datur admittentibus alienã. Turpis affectus est in illis qui tantùm amant filios vel vxores vel aliquos sibi coniunctos: quòd non timent offendere deum ne eos contristent: vel vt eorum voluntatem impleant. Sicut fecit adam. Gen. 2. Quia audisti vocẽ vxoris tuæ & co. &c. maledicta terra in opere tuo. Tales similes sunt pellicano qui dicitur effundere sanguinẽ suum vt viuificet pullos suos. Morte enim sua acquirunt, vnde vitam corporalem suorum sustẽtant. Si autem abiero mittam eum ad vos. Luc. 6. Date & dabitur vobis. Danti corporalem cõsolationem siue deserenti, datur spiritualis consolatio. Et cum venerit arg. &c. Notandum quòd spiritussanctus per spirituales viros in quibus habitat, Malos arguit: Bonos instruit: Gloriæ Christi intendit. Ad primum pertinet illud, Arguet mundum de peccato. Ad secundum illud, Docebit vos omnem veritatem. Ad tertiũ illud, Ille me clarifi. &c. Cum spiritussanctus sit bonitas, & malicia sit opposita bonitati: si spiritussanctus in te est, non habebit malicia potestatem iuxta te. Item, Cum omne animal diligat simile sibi. Ecclesiasti. 13. Ille in quo est spiritussanctus omne bonum diligit: & instructionẽ & alia beneficia bonis qui sunt iuxta se impendit. Item Cum spiritussanctus ignis sit cuius est tendere sursum: ille in quo est spiritus. sanctus diuinæ gloriæ intendit 1. Cor. 10. Siue comedatis, siue bibatis &c. Deut. 26. Faciet te deus excelsiorem cunctis gentibus quas creauit in laudem &c. Esa. 43. In gloriam meam creaui eum. Item,

Sciendum quòd cum dominus peccatum prohibeat: & iusticiam præcipiat: & non obedientibus sibi multas comminationes faciat: valde reprehensibilis est mundus qui & peccatum facit: & iusticiam omittit: & districtum iudicium dei de inobedientia sua non metuit. Item, Notandum quòd quadruplici ratione dicitur arguere spiritussanctus. Primo ad ostendendum quòd ille maxime se redarguit: qui abundantius spiritumsanctum accipit. Greg. super illud Iob vlt. Auditu auris audiui te: nunc autē oculus meus videt te &c. dicit, Quanto quis maioris gratiæ recipit: tāto magis reprehensibilē se agnoscit. Sicut puluis apparet in radio solis qui non apparet in vmbra. Secundo ad insinuādum quòd arguere non est alienum à benignitate & amore: cùm spiritussanctus qui est benignitas & amor dicatur arguere. Ecclesiasti. 20. Quam bonum est arguere. Esayæ. 11. Egredietur virga de radice Iesse: id est, de incendio amoris. Iesse enim interpretatur incendium. Apoc. 3. Ego quos amo arguo & castigo. Tertio ad insinuandum quia mansuetudo & benignitas seruanda est in arguendo. 2. Thessa. 3. Nolite æstimare vt inimicum: sed corripite vt fratrem. Galat. 6. Vos qui spirituales estis huiuscemodi instruite in spiritu lenitatis, &c. Dauid, Superueniet mansuetudo, & corripiemur. Sen. Vicia animi sicut vicia corporis leniter tractanda sunt. Quarto, quia spiritussanctus talem hominem facit: vt ydoneus sit arguere. Tria impediunt arguitionem, scilicet reprehensibilitas, ignorantia, & timor. Hæc autem remouet spiritussanctus: qui purgat: corroborat: illuminat. Ideo spiritus sanctus super apostolos descendit in specie ignis, qui facit hæc tria. Act. 2. Quòd reprehensibilitas impediat arguentem: ostendit Grego. dicens, Superiectas sordes tergere non valet manus quæ lutum tenet. Ecclesiasti. 34. Ab immundo quid mundabitur? Matth. 7. Quomodo dicis fratri tuo, frater sine eiiciam festucam de oculo tuo: & ecce trabes est in oculo tuo? Ad impedimentum ignorantiæ referri potest illud Matth. 15. Si cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foueam cadēt. Rom. 2. Qui alium doces: teipsum non doces. Timor etiam impedit. Ecclesiasti. 7. Noli quærere fieri iudex: nisi va. v. i. ne forte extimescas faciem potentis. De peccato quidem, supple, commisso. Quia non

credide

crediderunt in me. Ex defectu fidei est quòd aliqui peccant. Ideo Io. vlt. Qui credit in deum, non peccat. Esa.21. Qui infidelis est infideliter agit. Et notandum quòd multum est reprehensibilis de incredulitate. Non enim credit mundus: quæ dicuntur ei de suo transitu 1. Io. 2. Mundus transit & concupiscentia eius. Sic Loth visus est quasi ludens loqui cum prædiceret generis suis deletionem, Sodomæ. Gen. 19. Nec Noe credebatur de diluuio futuro, immo homines erant comedentes & bibentes: nubentes & nuptui tradentes vsque ad eum diem in qua introiuit in archam Noe: & non cognouerũt donec venit diluuium & tulit omnes. Venenositatem prohibitarum deliciarum. Ecclesiastes 7. Inueni amariorem morte mulierem, &c. Si enim eam crederet, prohibitas delicias caueret. Iob. 7. Angustare quis po. &c. Prouerb. 1. Vsquequo stulti ea quæ sibi noxia sunt cupiẽt. Vtilitatẽ aduersitatum Ecclesiastes 7. Melior est ira risu. Futuram pœnam peccatorum & tristiciam in presenti eis annexam. Ecclesiastici 21. Via peccantium complãtata lapidibus: & in finem illorum inferi, & tenebræ & pœnæ. De iusticia vero, &c. Sciendum quòd valde reprehensibilis est mundus de iusticia: quia eam dimittit quæ & deo tantum placet: & hominibus tantum prodest. Iusticia adeo placet deo, quòd in omni gente qui timet deum & facit iusticiam acceptus est illi. Act. 10. Et adeo est homini vtilis: vt nihil lucretur qui eam amittit. Glos. Aug. super illud. Rapinas nolite cõcupiscere. O lucra damnosa: inuenis pecuniam: & perdis iusticiã. Qui iusticiam deserit: miseriam necessario assumit. Aug. in libro de libero arbitrio. Tanta est beatitudo iusticiæ, vt nemo ab ea nisi ad miseriã possit abcedere. Iusticia in præsenti egentem releuat: in futuro à morte liberat. Prouerb. 14. Iusticia eleuat egentem. Idem 10. Nihil proderunt thesauri impietatis: iusticia autem liberabit à morte. Item, reprehensibilis est: quia ei detrahit: etiam iustitiæ domini nostri Iesu Christi detraxit. Ioh. 9. Non est hic homo à deo qui sabbatum non custodit. Item quia ad iusticiam non respicit vt eam imitetur. Immo potius respicit ad iniusticiam Summa enim malorum est iuxta verbum sapientis quod viuitur ad exemplar. Ad peiorem formã quam inueniunt se informare volunt: cum tamen sotularibus

suis vel vestibus formam optimam eligant. Potius de putrido pomi quam de sano mordere volunt. Ecclesiasti.32. Peccator homo vitabit correctionem: & ad voluntatem suam inueniet comparationem. De iudicio, &c. Notandũ est: quòd de triplici iudicio arguendus est mũdus. Primo de iudicio non pertinenti ad se quod sibi vsurpat. Matth. 7. & Luc.6. Nolite iudicare. Rom. 14. Tu quis es qui alienũ seruum iudicas, &c. Secundo, de iudicio proprio quod negligit. de quo 1. Corinth. 11. Si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur. Tertio, de iudicio dei quod non metuit: cum tamen lucifer qui tam nobilis creatura fuit iam iudicatus sit. Si superbia in diuite iudicata est: quid fiet de paupere superbo? Quis nesciat superbia magis tolerabilem esse in diuite quàm in paupere? Ecclesiastici 25. Tres species odiuit anima mea: & aggrauor valde animæ illorum. Pauperem superbum, &c. Damnatio eius in exemplum magistrorum posita est, Ezech.28. In terram proieci te: ante faciem regum dedi te: vt cernerent te.

De his quæ pertinent ad terrorem diuini iudicij, require in tractatu de dono timoris.

Sermo tertius de eodem, Ad clericos.

ILle arguet mundum de peccato, & de iusticia, & de iudicio. Ioh.16.

Cum communiter de his arguendus sit mundus: maxime de his arguendus est clerus qui amplius peccatum cauere debuit & iusticiam imitari: & iudicium dei metuere. Peccatum amplius debuit cauere: quia eius peccatum ecclesiæ magis nocet: & magis deo displicet. Ecclesiæ magis nocet: quia magis eam deformat: maculans nobiliorem partem ecclesiæ, scilicet, faciem. Iob. 30. Faciem meam conspuere non verentur. Item, Magis corrumpit: quia populus ad clerum respicit & exemplum ab eo accipit. vnde Clerici dicere possunt illud 1. Cor. 4. Spectaculum facti sumus mundo. Iudith. 8. Quoniam vos estis presbyteri: ex vobis pendet anima illorum. Deo vero magis displicet. Primo propter donum scientiæ quòd peccatum clericorum multum aggrauat. Greg. vbi maius est donum scien-

tiæ:

tiæ:transgressor maiori subiacet pulpæ. Iac. 4. Scienti bonum & non facienti:peccatum est illi. Secundo quia stipendia à domino recipiunt: quod non parum aggrauat. Psalmus, Homo pacis meæ qui edebat panes,&c. sed terribile est quòd sequitur. Tu autem domine miserere mei & resuscita me:quia videor esse mortuus: & retribuam eis. Ber. Onerati incedunt de bonis domini:cui tamen honorem non deferunt. Tertio quia ante faciem domini stant: quasi continue. Esa. 65. Populus qui ad iracundiam prouocat me ante faciem meam semper. Iustitiam maxime debent imitari clerici:triplici ratione. Primo quia sunt sanctorum successores. vnde sicut succedunt in dignitate: debent succedere in vitæ sanctitate:quod tamē multi non faciunt. Ber. super Canti. Successores omnes cupiunt esse: imitatores pauci. Propinquus Elimelech agrum eius voluit habere:sed vxor eius noluit ducere, ideo non potuit obtinere Ruth. 4. Qui succedit, in dignitate oportet vt succedat in vita; quasi in vxore. Valdè enim est periculosum in terra sanctorum male viuere. Esa. 23. In terra sanctorum iniqua gessit:& non videbit gl. d. Secundo ratione amplioris obligationis. Amplius enim obligati sunt vel voto vel ecclesiæ statuto. Multa enim statuta emanauerūt de vita & honestate clericorum. Sed de multis verum est illud, Ipsi obligati sunt:& ceciderunt. Tertio ministerij. Sacerdotes enim debent indui & sic intrare templum. Nō sicut Antiochus de quo legitur 2. Machab. 15. quòd ausus est intrare templum vniuersæ terra sanctius & scelestis manibus sumens sancta vasa contrectabat indigne:& contaminabat. Ber. de ministerio talium. Sic frequentare: sic circuire altaria:laus est execrabilis & oratio in peccatū. Iudicium multum debent metuere clerici:& maxime prælati:cum scriptum sit Sap. 6. Iudicium durissimum iis qui præsunt fiet:non solum durum vel durius. Exigetur enim ratio ab eis de talento accepto. Item de bonis temporalibus quorum dispensatores fuerunt. Et de animabus quas in custodia habuerunt. Quantum ad primum multum timendum est iudicium, vt patet ex verbis Gre. dicentis. Sūt nonnulli qui magnis vt diximus muneribus ditati dum solius contemplationis studiis inardescunt, vacare vtilitati proximorum in prædicatione refugiunt. De quo si di-

ſtricte iudicentur ex tantis proculdubio rei ſunt quantis ad publicum venientes prodeſſe potuerunt,vnde Matt.25. Seruum inutilem proiicite in tenebras exteriores, &c. Quantum ad diſpenſationem bonorum temporalium timendum eſt iudiciū.Si enim de omni verbo ocioſo quod locuti fuerint homines,reddent rationem:Matth.12. Item de cogitationibus,ſecundum Greg. & de momento temporis,ſecundum Ber.Indubitanter ratio exigetur de bonis temporalibus:qualiter fuerint expenſa. Et cum dicat Iero. Quicquid habent clerici,pauperum eſt,& Ber. Facultates eccleſiarum pattocinia ſunt pauperum: & ſacrilega eis crudelitate ſubripitur quicquid ſibi miniſtri & diſpenſatores non vtique domini & paſtores vltra victum & veſtitum accipiunt:Quid facient qui bona pauperum male expendunt:ſi dominus cum tanta ira dicturus eſt, Eſuriui & non dediſtis mihi mandu.&c.Matth.25. Cum quāta ira dicturus eſt,Eſuriui & cibum meum abſtuliſtis mihi. Timendum etiam eſt quòd temporalia accipiunt ab eis quibus ſpiritualia non conferunt.Ber.Indignus lana & lacte conuincitur qui non paſcit gregem.Aug.Penſemus cuius damnationis ſit ſine labore hic percipere laboris mercedem.Gre.Penſemus cuius ſit apud Deum criminis nihil contra peccatum agere:& peccatorum precium manducare.Ber.de talibus.Venient ante tribunal Chriſti vbi audietur pupillorum accuſatio grauis,allegatio dura: quorum vixere ſtipendiis,nec diluere peccata.Idem, Quid tibi inſipiens deliciæ ſapiunt?Quid diuitiæ illæ cæcos oblectant oculos quibus tam graue mercaris iudicium, tam dure te obligas rationi?vniuerſum ſi quidem vſque ad nouiſſimum quadrantem exigeris. Item quātum ad tertium valde timendum eſt iudicium. Amator enim animarum bene volet reddi rationem de illis.Sap.11.Omnia tua ſunt domine,qui amas animas.Prouer.16.Spirituum ponderator eſt dominus.Modo animæ vilipēduntur.Iere.12.Conculcauerunt partem meam.Ber.Cadit aſina, & eſt qui ſubleuet.Perit anima, & non eſt qui recogitet. Sed adhuc tranſibunt greges ad manum minantis.Iere.33.Aliquando dicet dominus illud Iere.33.Vbi eſt grex qui datus eſt tibi?

Sermo quartus de eodem.

ILle me clarificabit,&c.

Circa clarificationem de qua multum loquitur euãgelium Iohannis,notandum quòd est clarificatio capitis: & clarificatio membrorum. Clarificatio membrorum est duplex,videlicet vna, quæ est purgatio cætus bonorum, de qua Ioh.13.Nũc clarificatus est filius hominis: & Deus clarificatus est in illo.Hæc clarificatio perficietur cũ fiet illa separatio,de qua habetur Matth.25.Huic clarificationi debent intendere prælati ecclesiarum. Aliqui tamen contrarium agunt pestilentibus implentes ecclesias. Esa. 1.Iusticia habitauit in ea:nunc autem homicidæ. Luc.19. Vos autem fecistis eam speluncam latronem. Alia clarificatio est quæ inchoatur in clarificatione animarum: sed perficietur in resurrectione corporum.Et est valde cõueniens quòd sancti qui hic deum glorificant 1.Cor.10.Siue comedatis,siue bibatis, vel aliud aliquid faciatis: omnia in gloriam dei facite:à deo glorificentur:glorificati vero deum perfecte glorificent & laudent.Ber. Semiuiuus relictus in terra semilaudare possum.Vbi totus vixero,totus ibo in laudem.Clarificatio vero capitis est duplex,scilicet secundum humanitatem: & secundum deitatem. Prima fuit in resurrectione & ascensione.De qua Ioh.Iesus nondum clarificatus, &c.Item eiusdem 17. Pater venit hora clarifica filium tuum:vt filius tuus clarificet te.Augu.Humanitas in passione, supple, est ostensa:claritas in resurrectione cepit.Clarificatio secundum deitatem est ostensio gloriæ vel altitudinis,secundum quam filius est æqualis patri.De qua Iohan.17.Nũc clarifica me tu pater apud temetipsum,deitate quam habui priusquam mũdus esset, apud te.Eiusdem 16.Ille me clarificabit:quia de meo accipiet:& annũciabit vobis.Clarificauit spiritussanctus Christum sex modis.Primo ostendendo eum esse dominum. Deum enim,scilicet, spiritum sanctum non potuit dare nisi Deus.Aug.Magna misericordia dei:donũ dat æquale sibi, &c.vt habetur in sermone illo epistolarum, Erant omnes discipuli pa.In missione vero spiritussancti ostendit se deum dando spiritum sanctum qui Deus est. Hic

modus glorificandi ostenditur cùm subditur: quia de meo accipiet, id est à me dabitur qui à me procedit. Secundo ostendendo bonitatem effusæ magnitudinis. Ber. in sermonibus, Cogitemus fratres super nos & in nos opera trinitatis: & ab initio mundi vsque ad finem videamus quam sollicita fuerit illa maiestas ne nos perderet in æternum. Potenter quidem omnia fecerat: sapienter omnia gubernabat: & vtrarunque rerum tam potentiæ quàm sapientiæ signa manifestissima cernebantur in creatione & conseruatione machinæ mundialis. Et bonitas quidem in deo erat: & bonitas multa nimis: sed latebat in corde patris cumulanda quandoque super genus filiorum Adam. Sicut ergo mundi creatio non potuit esse nisi ab omnipotente: & gubernatio a summo sapiente: sic non potuit esse effusio datæ bonitatis quæ in pentecoste facta est nisi à summo bono. Tertio clarificauit spiritussanctus Christũ secundum gloriam faciendo viros spirituales qui intelligere possent æqualitatem filij cum patre. Prius pauci fuere spirituales. De numero virorum spiritualium equalitatem filij cum patre intelligentium fuit. Ioh. 1. Vidimus gloriam eius gloriam quasi vnigeniti à patre, &c. Vidimus id est cognouimus per miracula ab eo facta. Et per vocem de cælo lapsam. Et per transfigurationem & resurrectionem & ascensionem. Quarto tollendo ab eis timorem: vt Christi gloriam toti mundo annunciare possent. Prius princeps apostolorum ad vocem ancillæ negauit Christum. Matth. 26. Quinto quia spiritussancto dato credentes in Christum fecerunt maiora miracula in nomine Christi, quam Christus fecerat. Ioh. 14. Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet: & maiora his faciet. & subditur, Quodcunque petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam vt glorificetur pater in filio. Sexto quia in paucis per spiritum sanctum roboratis de mundo triumphauit, scilicet, in duodecim principibus, & 72. milibus. Bernar. Licet magna & plane diuina fuerũt miracula quæ dominus gessit in terris: hoc autem super omnia emicuit, quòd in paucis similibus totum mundũ & sapientiæ eius altitudinẽ sibi subiugauit. Cũ supra creaturã rationabilẽ non videatur esse nisi creator: non videtur quòd potuit esse nisi à deo quòd timore mũdano & humano illi irasci-

bili

bili sublato, adeo fortes effecti sunt. Facti enim sunt quasi omnipotentes. Bern. Nil omnipotentiam verbi clare ita reddit quàm quòd omnipotentes reddit qui in se sperant. Denique omnia possibilia sunt credēti. Paulus, Fili omnia possum in eo qui me confortat. Petrus potens fuit, scilicet in cælo Symonem volentem deiiciendo. In terra, cum ad verbum eius Ananias & Saphira expirauerunt. Act. 5. Rationabilem docuit omnem veritatem. Concupiscibilem inflammauit. Et respectu dei: & respectu proximi. Ad primum pertinet donum timoris & fortitudinis. Ad secundum, donum scientiæ, consilij & intellectus. Ad tertiū, donum pietatis & sapientiæ. Pietatis tantæ fuerunt vt pro salute proximi exponerēt se morti. Secundo tantam famem & sitim verbi dei habuerunt, quòd per ignem & gladiū ad illud vellent ire. Si solus deus potest hominem corrigere, secundum illud Ecclesiastes 7. Considera opera dei, quòd nemo possit corrigere quē ille despexerit. quo modo potuerunt ita totaliter immutari, nisi à deo? In missione spiritussancti specialiter amauit quod legitur 2. Mach. 1. Tēpus affuit in quo sol refulsit qui prius erat in nubilo. Sol inquam iusticiæ Christus deus noster.

Dominicæ quartæ post octa paschæ,

SERMO PRIMVS.

AMen amen dico vobis, si quid petieritis patrē in nomine meo, &c. Ioan. 16.

In hoc Euangelio dominus primo ad consolandum discipulos de discessu suo, virtutem sui nominis eis indicat suppleturam eius præsentiam: dicens, Si quid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis. Secundo ad consolationem eorundem ostendit statum discipulorum ante discessum suum & missionem sancti spiritus: & statum post: vt appareat quòd eis expedit vt ab eis discedat & spiritum sanctum eis mittat, ibi, Vsquemodo non pe.q.&c. Tertio ponit Euangelium verba quædam discipulorum quibus appareat ignorantia eorum qui non intelligebant quæ à deo dicebātur: nec intelligebant se non

intelligere, ibi, Dicunt ei discipuli, Ecce nũc palam lo. &c. Amen amen dico vobis, &c. Licet semper orandum sit, secundum illud, Luc. 18. Oportet semper orare & non deficere: specialiter tamen tempus orandi est ab hac dominica vsque ad festum pentecostes. Et de iis diebus qui sunt ante ascẽsionem hic patet cum sint dies rogationum. Præterea cum secundum repræsentationem ecclesiæ aduocatus eius iturus sit ad curiam cælestem: tempus est formandi petitiones. In die etiam ascensionis tempus orandi est. Cõsueuerunt enim principes cum de nouo recipiunt terras suas, liberalitatẽ suam ostendere: & magna dona militibus suis dare. In die ergo ascensionis cum secundum repræsentationem ecclesiæ rex regum regnum suum recipit: liberalitetem suam orantes exaudiendo ostẽdit. Mirificauit enim dominus sanctũ suum: dominus exaudiet me cum clamauero ad eum. in Psalmis. Post ascensionẽ vero in oratione expectandus est spiritussanctus, sicut primi de ecclesia fecerunt. Act. 1. Hi omnes vnanimiter perseuerãtes erant in oratione cũ mulieribus & Maria matre Iesu, &c. Præterea. Postquam dominus noster à terris ascendit ad cælum: multiplicari debẽt nuncij ascendentes illuc & descendentes Gen. 28. Vidit Iacob scalam: & Angelos ascendentes & descendentes. Angeli, id est nuncij, ascendentes sunt fidelium orationes. Descendentes sunt diuinæ inspirationes & consolationes. Glos. super illud, Intret in conspectu tuo oratio mea. Magna virtus est puræ orationis. hic notatur quæ quasi quædam persona ad deum intrat: & mandatum peragit quo caro peruenire nequit. Fiducia autem impetrandi datur in hoc quòd dicitur, Amen amen dico vobis. Geminatio, enim huius dictionis amen, fit ad confirmationem promissionis. Gene. 41. Quod vidisti secundùm, ad eandem rem pertinens somnium firmitatis indicium est. Item, fiducia impetrandi datur in hoc quòd dicitur, Petite & accipietis. Ad formam vero petendi quàm dominus indicat, quinque pertinent, videlicet, Quid sit petendũ, cum dicitur, Si quid petieritis patrem, &c. Ad idem pertinet illud, In nomine meo, & illud, Vt gaudium ve. s. p. Petẽdum est aliquid quod sit solidum & permanens: non temporale transiens & fugiens. Iere. 4. Aspexi terram: & ecce vacua erat, &c. A quo sit petẽdum. Quales petere debeant. Quomodo

modo petēdum ſit. Et quibus petendum ſit. Petendum eſt aliquid non ſalutem impediens: ſed ad ſalutem valens: & hoc eſt petere in nomine ſaluatoris. In quo non petit qui diuicias petit: quæ ſalutē impediūt 1. Ti. 6. Qui volunt diuites fieri incident in tentationē, &c. Sap. 14. Creaturæ dei in odium factę ſunt, &c. Item, non eſt petendum bonū nimium bonis & malis commune: ſed bonum ſummū quod cor implere ſufficiat, vnde cor plenum gaudium habeat. Augu. libro 15. de ciuitate dei, Deſerto bono, bonorū proprio, lapſus eſt factus ad bonorū nimium non bonis proprium, ſed bonis maliſque commune. A quo ſit petendum oſtenditur, cum dicitur, Petieritis patrem in nomine meo. Dulce eſt verbum paternum & naturale cognoſcitur patribus eſſe vtilia filiis prouidere. Lu. 11. Cum dixiſſent diſcipuli domino, Doce nos orare: ait illis, Cum oratis dicite, Pater noſter, &c. Bern. Mihi dicatur oratio cuius principium dulce nomine paterno ſequentium petitionum obtinendarum mihi præſtat fiduciam. Luc. 11. Si vos cum ſitis mali noſtis bona data d. &c. Et ſuper illud Matth. 6. Pater noſter dicit. Gloſ. Quid negabit filiis qui iam dedit quod pater eſt? Prouideat tamen qui petit vt ſe filium exhibeat, non canem, nē audiat illud Mat. 15. Non eſt bonum ſumere panem, &c. Quales petere debeant oſtenditur cum dicitur, Amen amē dico vobis, ſiquid petieritis. His enim qui ſunt eis ſimiles in Chriſtum credentes & deum amantes fit hæc promiſſio. Tales enim erāt diſcipuli: ſicut patet ex his quæ ſequuntur. Pater inquit amat vos: quia vos me amaſtis & credidiſtis quia à deo exiui. Fides multum valet ad impetrandum. Matt. Sicut crediſti fiat tibi, eiuſdem, 21. Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, &c. Et omnia quæcunque petieritis in oratione credētes accipietis. Dilectio etiam multum valet ad impetrandum: vt hoc intelligamus de dilectione operis non ſermonis. Ioan. 14. Qui habet mandata mea, & ſeruat ea, ille eſt qui diligit me. 1. Ioan. 5. Hæc eſt charitas dei, vt mādata eius cuſtodiamus. Iſid. Si id quod præcipit deus faciamus: id quod petimus ſine dubio obtinebimus. Aug. Citius exauditur oratio vna obedientis: quam decem milia contemptoris. 1. Ioan. 3. Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad deū: quod quicquid petierimus, accipemus ab eo: quia

man

mandata eius custodimus. Econtrario Qui decli. aurem, scilicet ne au.le.o.eius c.ex. Pro. 27. Gre. in dialo. Quid mirum si postulantes à deo non exaudimur, qui præcipiẽtem dominum tarde aut etiã nullo modo audimus? Quomodo sit petendum ostenditur cum dicitur, In nomine meo, inuocato, scilicet vel in virtute nominis mei. Nomen eius nomen est bonum & gloriosum & benedictũ. Dauid, Expectabo nomen tuum quoniam bonum est in con. sanctorum tuorũ. In hoc nomine facta sunt miracula: expulsa sunt dæmonia: & impetrata beneficia. In Psalmis, Sanctum & terribile nomen eius, supple de dęmonibus. Marci vlti. In nomine meo dæmonia eiicient. &c. Bernar. super Canti. Nomen sponsi inuocatum lenit & vngit. Idem, Cui fons forte siccatus est lachrimarum: inuocato Iesu non continuo erupit vberior: fluxit suauior? Psalmus, Sit nomẽ eius benedictum in secula. Item, Sit nomen domini benedictum. Ioan. 14. Quicquid petieritis in nomine meo, hoc faciã. Quibus peti debeat ad hoc vt petitio necessaria impleatur, ostenditur cùm dicitur, Dabit vobis. Augu. Quia sancti pro seipsis exaudiũtur: non pro omnibus, ideo dixit, Dabit vobis. Indignitas eius pro quo oratur quandoque impedit orationẽ. Iere. 7. & 11. Noli orare pro populo isto: neque assumas pro eis laudẽ & orationem: quia nõ exaudiam. Eiusdem 15. Si steterit Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. Non est exauditus Samuel pro Saule. 1. Reg. 16. Vsquequo tu luges Saul. &c.

Sermo secundus de eodem.

VSque modo non petistis quicquã in nomine meo. Petite & accipientis, vt gaudium vestrum sit plenũ. In his verbis duo ostẽduntur: Negligentia humana, ibi, vsque modo non peti. &c. Et liberalitas diuina, ibi, Petite, &c. Magno tempore fuerant discipuli cum domino, & neglexerant æternam petere cõsolationem, corporalis præsentiæ eius contenti. Similis negligentia in multis est hodie, qui temporali consolatione contenti quæ est à domino ma

no maledicta. Luc. 6. Væ vobis diuitibus qui habetis consolationem vestram. de gaudio æterno non curant. Quæ negligentia non est parum reprehensibilis: si tanta negligitur misericordia quę in præsenti nobis à deo exhibetur. Aliquis enim locus est vei gratius haberetur si hoc ibi à deo diceretur, Petite & accipietis, vt gaudium vestrum sit, &c. quam si daretur eis tanta massa auri, quantus est totus mundus. O quantum gauderet ille diues Euangelicus, Lu. 16. qui plusquam mille anni sunt transacti petiit guttam aquæ super digitum Lazari, qui fuit vlceribus plenus, & nondum obtinuit: si audiret, Petite & accipiatis, &c. Siquis tamen vicat: Ego peto die ac nocte: psalmos & orationes in ore habeo. Respondeo Si labia ad deum habes, cor vero longe est ab eo, non petis: sed potius est cum eo velle ludere vel illudere ludo qui dicitur ad vendendum asinum iudicis. Esa. 29. Marci. 7. Secundum aliam literam, Populus hic labiis me honorat cor autem, &c. Litera nostra sic habet: Eo quòd appropinquat populus iste ore suo & la. s. g. me. &c. Deut. 4. Cum quæsieris dominũ deum tuum, inuenies eum: si tamen toto corde quæsieris. De quibusdam tamen verum est: quòd nec ore prædicantur. In quibus immumdicia oris, fructum impedit orationis. Greg. Cum his qui displicet ad intercedendum mittitur: irati animus ad deteriora prouocatur. Cùm os displicet, oratio non placet nec placat. Ideo sicut Euangelium hodiernum prouocat ad orandum: sic epistola hodierna monet ad refrenãdum os, dicens, Si quis putat se religiosum esse, &c. Si quis tamen dicat quòd & cor & os habet ad deum: Respondeo, quòd si cum iis manum extendit ad Diabolum, non videtur adhuc vere à deo petere, sed potius deum deridere. Non solum corde & ore, sed etiam manu petendum est, vt ad deum manus extendantur: scilicet, ei obediendo. Et eleemosynam pauperi dando. Ideo conuenienter monemur in epistola hodierna: vt simus factores verbi. Multum valet ad hoc quòd exaudiat hominem orãtem: quòd hic exaudiuit deum præcipientem: vt ostensum est in sermone præcedenti. Tripliciter ostenditur liberalitas diuina in hoc quòd dicitur: petite & accipietis, &c. Primo in hoc quòd ad petendum nos prouocat. Liberales huius mundi quærentes fugiunt, & se abscondunt.

Non

Non eſt talis dei liberalitas, quæ ad petendum hortatur. Aug. Non tantũ hortaretur vt peteremus,niſi dare vellet. Erubeſcat humana pigritia. plus vult ille dare, quam nos accipere:plus vult ille miſereri,quã nos à miſeria liberari De hac prouocatione ad orãdum amplius habetur Mat.7. & Luc.11. Petite inquit,& dabitur vobis: quærite, & inuenietis:pulſate,& aperietur vobis. Poteſt autem ſic exponi: videlicet, petite veniam:quærite gratiam:pulſate ad gloriam. Vel poſſunt intelligi iſta tria dicta contra tres defectus trium virium, quæ fructum orationis impediunt. Quæ ſunt modicitas fidei in rationabili:tepiditas dilectionis in concupiſcibili paruitas ſpei in iraſcibili. Petat ergo fides ſine heſitatione. Iac.1. Poſtulet autem in fide nihil heſitans. Quærat dilectio ſine ſimulatione. Ro.12. Pulſet ſpes ſine ceſſatione vt ei aperiatur & non confundatur. Rom.5. Spes autem non confundit. Secundo oſtenditur dei liberalitas in hoc quòd petentes accepturos eſſe quod poſtulant pollicetur.Petite inquit, & accipietis, Matth.7. ſic habetur, Omnis enim qui petit,accipit:& qui querit inuenit:& pul.ap.Et ad ſingula verba eſt interlin.pie & perſeueranter.Et notandum quòd pietas vno modo idem eſt quòd miſericordia.Secundum hoc piè petit, qui petit id quod non eſt contra ſalutem animæ.Impiè vero,qui petit quod eſt contra ſalutem animæ. Eccleſiaſti. 30. Miſerere animæ tuæ placens deo.Item piè petit,qui proximum petentem miſericorditer exaudit. Impiè vero qui non vult proximum exaudire cum tamen velit à deo exaudiri: ſed à deo non accipit quod petit.prouer.21. Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis, clamabit ipſe, & non exaudietur. Quando pietas dicitur cultus dei.vnde gloſ. loquens de illo verbo Iob 28.ſecundum vnam literã, Ecce pietas eſt ſapiẽtia,vbi litera noſtra habet. Timor domini ipſe eſt ſapientia,dicit, Pietatem hoc loco poſuit dei cultum quæ græce dicitur Theoſebia. Et iſte cultus conſiſtit in fide & ſpe & charitate. vnde Iſido. 8. ethimolog. Tria ſunt quæ in religionis cultu ad colendum deum in hominibus requiruntur,ſcilicet fides:ſpes:& charitas, & Augu. in enchirid.Fide & ſpe & charitate colimus deum. Pie ergo petit ille qui petit ſine fidei heſitatione: ſine diffidẽtia: & ſine deſiderij tepiditate. Perſeuerantia etiam multum

valet

valet ad hoc quòd id quod petitur accipiatur. Sicut improbitas in curia Romana multũ valet ad hoc quod id quod petitur impetretur. Phil. 3. In omni oratione & obsecratione cum gratiarum actione, &c. Iaco. vlt. Multum valet deprecatio iusti assidua. Rom. 12. Orationi instantes. Ad ostendendũ quòd multũ valeat perseuerãtia in oratione, retulit dominus exemplum de amico, Luc. 11. Et exẽplum de vidua, eiusdem 18. & Gen. 32. Licet angelus dixisset Iacob: Dimitte me: tamen ait ei Iacob, Non dimittam te nisi benedixeris mihi, &c. Tertio ostenditur dei liberalitas. De petente pie & perseueranter intellige quod dicit Aug. loquens de illo verbo dicens, Benedictus deus qui non amouit orationẽ meã, & misericordiã suam à me. Securus esto quòd nec misericordiã. In hoc quòd ad petẽdũ magna incitat dicens, Petite, vt gaudium vestrum sit plenum. Nota quòd gaudium mundi vacuum est. Esa. 29. Sicut somniat esuriens & comedit: cum autem fuerit expergefactus, &c. Gaudium vero de spiritualibus in præsenti est semiplenum. Gaudiũ vero de deo, quod in futuro habebunt electi, plenum erit 1. Cor. 13. Cum venerit quod perfectũ est, euacuabitur quod ex parte est. Ber. Reuera, illud est verũ & solum gaudiũ quod non de creatura sed de creatore cõcipitur: quod cum possederitis nemo tollet à vobis: cui comparata omnis aliunde iocunditas mæror est, omnis suauitas dolor est, omne dulce amarum: omne decorum fœtidum: omne postremo quodcunque aliud delectare possit, molestum. Item, Notandum quòd cum gaudium mundi sit quasi gutta vna respectu gaudij futuri quod erit de deo secũdum illud, Sap. 11. Quasi gutta roris ante lucem, sic est ante te orbis terrarum.

Sermo tertius de eodem.

PEtite & accipietis, &c.

Sciendum est quòd sex sunt quæ multum valent ad hoc vt quod in oratione petitur, accipiatur quorum primum est puritas cordis, vnde super illud Psal. Iniquitatẽ si aspexi in corde meo, non exaudiet dominus: dicit Glo. Puritas orationis exauditur. Aug. Mũda tantũ cubiculum cordis: intus est qui exaudiat. Peccata multum impediunt

fructum orationis. Esa. 1. Cum multiplicaueritis orationem vestram non exaudiam. Manus enim vestræ plenæ sunt sanguine. Tre. 3. opposuisti nubem ne trāseat oratio. Qui infirmitatem vult curare, ad materiam morbi debet reuerti, vt eam expellat. Et qui vulnus vult sanare, primo debet ferrum inde extrahere. Sic oratio quæ est pro amotione alicuius aduersitatis, non exauditur quia peccatum quod erat aduersitatis causa retinetur. Et si forte exaudiatur, est ex ira dei quādoq;, nō ex misericordia. Exauditur quandoque aliquis ad malum suum. Oseæ 13. Dabo tibi regem in fur. meo. Nunquid est misericordię si vinū detur febricitanti in calore, licet illud multum petat? Hier. 51. In calore eorum ponā potus eorū. super illud 2. Cor. 13. Virtus in infirmitate perficitur dicit glosa Aug. Nota quòd exauditur diabolus petens Iob tentandum: & non exauditur apostolus petens stimulum amouendum. Exaudiuit quem disposuerat dānare: & non exaudiuit quem disposuerat saluare. Nam infirmus multa petit à medico quæ non dat. Non exaudit ad voluntatem vt exaudiat ad sanitatem. Secundum est largitio eleemosynarum. Munera præmissa faciunt vt petitio sequens exaudiatur. Esa. 58. Frange esu. panē tuum, &c. Tunc inuocabis & dominus exaudiet clamorē, & di. ecce assum: quia, misereri est domini dei tui. Ecclesiasti. 29. Conclude eleemosynā in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. Tertium est humilitas quæ valet ad hoc vt moueatur ad misericordiā ille qui rogatur, si miseria eius pro quo oratur ei exponatur: ꝙ facit humilitas. Abyssus abyssum inuo. Abyssus, scilicet miseriæ, abyssum misericordiæ. Ecclesi. 35. Oratio humiliantis se nubes penetrat. Dauid, Respexit in orationem humilium & non spreuit precem eorum. Humilis est velut arbor plātata iuxta fontē diuinę misericordię: de illa enim confidit. Hier. 17. Benedictus vir qui con. in do. &c. & erit quasi lig. quod trans. est super aquas. Quartum est mansuetudo. Prouerb. 15. Responsio mollis frangit iram: sermo durus suscitat furorem. Responsio mollis est cum aliquis recognouit se grauiora meruisse quam patiatur. Iudith. 9. Humilium & mansuetorum semper placuit tibi deprecatio. Quintum est fiducia. Iaco. 1. Postulet autem in fide nihil hesitans. Ber. Quatenus in bonis domini po-

dem

dem fiduciæ posueris:eatenus possidebis.Idem,Nil omnipotentiā verbi clariorē reddit:quam quòd omnipotentes facit omnes qui in se sperant. Denique omnia possibilia sunt credenti &c. Sextum est obedientia: de qua dictū est prius. Item notandū quòd seculum qualitatē rei quæ petitur:magnè,idest cū magno desiderio debet peti.Aug.Seruat tibi deus quod non vult cito dare: vt & tu magna discas magnè desiderare. Item quia æternū est quod petitur: perseuerāter debet peti.de qua perseuerētia prius dictum est. Item quia tale bonum est quòd nulli est malū:& quod est necessarium,simpliciter est petendū. Temporalia vero quę aliquibus sunt noxia,sub cōditione sunt petēda.Glos. Aug.super illud 2.Cor.13.Cum illa quę laudat deus & promittit, ab illo petitis: securi petite:illa enim deo propitio conceduntur. Quando autem petitis tēporalia,cum modo petite & cum timore. Illi committite vt, si prosint, det: si scit obesse, non det. Quid enim prosit vel obsit medicus nouit non ægrotus.Ber.ad fratres de mōte dei. Postulatio inquit est circa obtinenda temporalia & necessaria vitæ huius,in quam deus postulātis approbans bonam voluntatem, facit tamen quod ipse melius iudicat. Postulans autē debet fundare intētionem suam in hoc quòd in complexione postulationis suæ deus laudetur & glorificetur, & dilectio dei in hominibus augeatur:& vt bonis fiat consolatio: & infirmis caueatur peccandi occasio. Defectus enim temporaliū infirmis aliquādo est occasio peccandi. ideo dicit Salomon., Prouer. 30.Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi,&c. ne forte satiatus illiciar ad negandū deum,& dicam, Quis est dominus?& egestate compulsus furer & periurem nomen dei mei.

Dominicæ j.post ascensionem Sermo primus.

CVm venerit paracletus,&c.Ioh.15. In iis verbis quę in euāgelio hodierno leguntur: promissio spiritussancti à saluatore recolitur:fides instruitur: desiderium recipiendi spiritum sanctum incutitur. Promissio spiritus sancti duplici ratione hodie recolitur, videlicet Primo quia illa missio spiritussancti in discipulos famosa & gloriosa in sequenti

dominica recolitur vt præsens. Ideo conuenienter hodie recolitur vt futura etiam promissio illius missionis facta à saluatore discipulis hodie in euangelio legitur. Secundo quia oculta missio in fideles hic queritur cum festo facienda expectatur. Dabitur enim spiritussanctus in hoc festo præparatis debito modo:licet aliter & ad aliud quam tunc. vnicuique enim datur manifestatio spiritus ad vtilitatem. 1. Cor. 12. Ideo missio illa fidelibus prædicitur vt ad illam se studeant præparare. De præparatione vero ad receptionē spiritussancti require in primo sermone epistolę hodiernæ, & sequentis dominicæ. Fides instruitur in hoc quòd duæ personæ nominatim exprimūtur, scilicet pater & spiritus: filius vero ex vi correlationis intelligi datur. Itē, auctoritas patris ostēditur in hoc quòd dicitur, Mittam vobis à patre. Processio spiritus scilicet à patre exprimitur. Processio etiā spiritus à filio intelligi datur, ibi, Quē ego mittam vobis. Et notandum quòd falsitas erroris Græcorū dicētium spiritū sanctum non procedere à filio, quæ originē habuit ex hoc ꝙ hic exprimitur, quòd spiritussanctus procedit à patre, & nō exprimitur quòd procedat à filio: satis de facili potest ostēdi. Cū enim per se notū sit quòd amor procedit ab amante, & spiritussanctus indubitāter sit amor quo pater amat filiū & filius patrē, spiritus sanctus à patre & filio procedit. Præterea si eodem modo se habet amor quo filius amat, ad filiū, & amor quo amat pater ad patrē: sic amor quo pater amat à patre procedit: & amor quo filius amat à filio procedit. Desideriū vero recipiēdi spiritū sāctū incitatur in hoc quòd effectus eius multiplex ostenditur quem habet spiritus sanctus in iis ad quos mittitur. Triplex vero effectus in prædictis verbis ostenditur. Primum est consolatio quæ ostenditur in hoc quòd dicitur, paracletus. Interpretatur enim consolator. Secundū est instructio vel illuminatio. Qui effectus ostēditur in hoc quòd spiritus veritatis dicitur. Tertius est veritatis cōfirmatio quę duplex est, scilicet Interior: ad quod pertinet illud, Ille testimonium perhibebit de me. Et exterior, ad ꝙ pertinet illud, Et vos testimonium perhibebitis. Circa consolationē notandum quòd spiritus sanctus non cōsolatur quoscūque. Non enim illos cōsolatur qui vanā consolationē amplectuntur. Illis potius desolatio eternæ

malę

maledictionis debetur. Luc. 6. Væ vobis diuitibus qui hic habetis consolatioem vestrã. Sponsæ Christi habenti consolationem cum mundo adultero, non debetur à Christo sponso consolatio, sed potius flagellatio. Ber. Delicata est diuina consolatio, & non datur admittentibus alienam. Consolatur spiritus sanctus fugientes mundi consolationem. Dauid, Renuit consolari anima mea, &c. Mat. 5. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Tob. 8. Post lachrymationẽ & fletũ ex.in. Greg.in mor. Plerũque fit vt in ipsis piis fletibus gaudij claritas erũmpat: & mens quæ cæca iacuerat ad inspectionẽ fulgoris intimi suspiriis vegetata cõualescat. Spiritus sanctus deus est patiẽtiæ & solatij. Rom. 15. Deut. 8. Afflixit te penuria, & dedit tibi cibum mãna. Iacob multum timebat Esau, quãdo illam visionem vidit pro qua dicit, Vidi dominũ facie ad faciẽ, &c. Ge. 32. Stephanus in tribulatione positus vidit gloriã dei. Act. 7. Ioãnes in exilio positus vidit reuelationes quæ in Apocalypsi cõtinentur. Item, Non cõsolatur spiritus sanctus habentes tristitiã huius seculi quæ mortẽ operatur. 2. Cor. 7. Non debetur adulteræ quæ de absentia adulteri tristatur consolatio: sed potius afflictio. Illis debetur cõsolatio qui in se fletibus dolent quæ deo displicẽt. Istis luctus in gaudium vertitur. Hiere. 31. Conuertã luctũ eorũ in gaudium. Iste luctus potest designari per aquas Marath, quæ in dulcedinẽ versæ sunt. Exo. 15. Itẽ nõ cõsolatur spiritussanctus pigros & remissos, qui seruitutẽ viciorũ patiũtur 2. Cor. 11. Sustinetis si quis vos in seruitutẽ redigat, &c. sed illos qui strẽnue tentationes superant cõsolatur. Apoc. 2. Vincenti dabo manna absconditum, &c. Vasi immundo, idest cordi vitiis pleno non infundet spiritussanctus balsamum suæ consolationis. Spiritus domini super florem requiescit. Esa. 11. Seruanti mandata promittitur paracletus. Io. 14. Si diligitis me, mandata mea seruate: & ego rogabo patrem & aliũ paracletum dabit vobis. Item non consolatur deus superbum. Superbia enim mons Gelboe est, in quem nec ros, nec pluuia descendit. 2. Reg. 1. Et si descenderet, à vento vanæ gloriæ exsiccaretur. Superbus habẽt vẽtosam plenitudinem, quæ consolationem spiritussancti repellit. Sed consolatur spiritus sanctus humiles 2. Cor. 7. Bern. Magna fratres & sublimis virtus humilitas, quæ prome-

retur quod non docetur: digna adipiſci quod non valet addiſci: digna à verbo & de verbo concipere quòd uis ipſa verbis explicare non poteſt. Et notandum eſt quòd ſpiritus ſanctus multipliciter conſolatur. Primo tentationem mitigando. Eſa. 43. Cũ tranſieris per aquas tecũ ero: & flumina non operiẽt te. Cum ambulaueris in igne non cõbureris, &c. Per aquam quæ habet mollitiẽ, intelligitur tentatio proſperitatis. In igne tentatio vrens aduerſitatis. Dan. 3. Fecit medium fornacis quaſi ventum roris flãtem. Secundo virtutem dãdo. Luc. vlt. Sedete in ciuitate donec induamini virtute ex alto. 1. Co. 10. Fidelis eſt deus qui nõ p. &c. Tertio dulcedinem infundendo. Eccleſiaſti. 24. Spiritus meus ſuper mel dul. Ber. Quid non temperabit illa dulcedo quæ mortem quoque facit dulciſſimam? Quæ reſiſtere poteſt aſperitas vnctioni illi? Aug. Guſtato ſpiritũ deſipit omnis caro. Vnde cum ſpiritus ſanctus tantam ſuauitatem afferat, vt totum mundum homini deſipere faciat: patet ſpiritum ſanctum eſſe deum, & ſupra omnẽ creaturam. Quarto tentationis vtilitatem oſtẽdendo. Sic dominus conſolatus eſt Stephanum oſtendendo ei fructum martyrij, ſcilicet, gloriam ſuam. Act. 7. Hoc modo conſolatur Paulus. Rom. 8. dicens, Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, &c. Et Iac. 1. Beatus vir qui ſuffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, &c. Circa ſecundum effectum ſpiritus ſancti notandum quòd ipſe eſt doctor eccleſiæ. Ioh. 14. Ille vos docebit omnia. Eiuſdẽ 16. Et cum venerit ille ſpiritus veri. do. vos omnẽ veritatẽ, videlicet Veritatem de humanis. Veritatem de diuinis. Veritatem circa inferiora, vt contemnantur. Veritatem circa ſuperiora, vt appetantur. Ipſe eſt doctor iuſtitiæ. Ioel 2. Filij Siõ exultate & lætamini in domino deo veſtro: quia dedit vobis doctorem iuſtitiæ. Eſa. 30. Dabit vobis deus panem arctum & aquam breuẽ: & non faciet vltra euolare à te doctorem tuum. Panis eſt doctrina difficilis & obſcura quæ attritione expoſitionis indiget: qua cum quodam labore vtimur. Aqua vero eſt doctrina facilis ſine labore nobis vtilis. Panis ergo arctus & aqua breuis nobis data ſunt: quia doctrina ſacra in duo bus mandatis de dilectione abbreuiata eſt. Nec doctor auolat; quia ſpiritus ſanctus ab eccleſia non recedit. Ipſe

docet

docet interius. Treno.1. De excelso misit ignē in ossibus meis, & erudiuit me. Ignis in ossibus est spiritus sanctus in cordibus. Ad hunc doctorem in ambiguis recurrendū est. Aug. Forinsecus adiutoria & monitiones quædā sunt: catedram autem habet in celo qui corda docet. Et sciendum quòd spiritus sanctus spiritus veritatis est: veritatem sub vmbra figurarum latentem detegens: mundi vanitatem contemni faciens: simulationem fugiens: errores hereticorum & gentilium destruens. Hunc spiritum veritatis non capit Iudeus vmbris figurarum adherens: mundus de spiritu vanitatis tumens. Ioan. 14. Quem mundus non potest capere: hypocrita sanctitatem mentiens. Sap.1. Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, &c. Hereticus vel gentilis spiritibus erroris attendens 1. Ti.4. Spiritus manifeste dicit quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum. Circa tertium effectum spiritussancti, qui est cōfirmatio veritatis, attendendū est valde vtilem esse veritatem: ad quam confirmandam tantus testis adducitur, scilicet spiritus sanctus. Quid autem spiritus sanctus testificetur ostenditur 1. Io. vlt. Spiritus inquit est qui testificatur quoniam Christus est veritas. Aug. Omnia sunt falsitas pręter Christum: promittunt enim quod non soluunt. Temporalia vanitas sunt non veritas. Ecclesiastes 1. Vidi cuncta sub sole: & ecce vniuersa vanitas. Vanitas temporalium multis similitudinibus ostenditur. Sap.5. Transierunt omnia illa tanquam vmbra, &c. & tanquam nuncius pręcurrens, In eodem, Spes impij quasi lanugo quæ à vento tollitur: & tanquam spuma gracilis quæ à procella dispergitur. & tanquam fumus qui a vento diffusus est: & tanquam memoria hospitis vnius dei prætereuntis. Propter vanitatem temporalia somniis comparantur. Ecclesiasti.34. Somnia extollunt imprudentes. Iob 20. Transiet sicut visio nocturna. Esa.29. Sicut somniat esu. &c. Spiritus sanctus Christo testimonium perhibuit in hoc quod ab eo datus est secundum quòd ipse promiserat. Nobilitas enim doni, nobilitati dantis attestatur. Item in discipulorum roboratione: Christus enim per spiritum sanctum paucos milites adeo roborauit, quòd per eos de toto mundo triumphauit. Item in predicatorū discretione. Luc.21.

Dabo vobis os & sapientiam cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri. Act. 6. Non poterant resistere sapientiæ & spiritui qui loquebatur. Item, in miraculorum operatione. Accepto enim spiritu sancto prædicauerunt vbique domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Mar. vlt. Sequitur, & vos testimonium perhibebitis. Conueniens ordo; Prius enim oportuit discipulos testimoniũ à spiritusancto recipere, & post aliis perhibere. Spiritus sanctus eos ydoneos fecit ad testimonium perhibendum. Et hoc tripliciter, videlicet. Primo mundando eos: ne exceptione à testimonio repelli possent. Eze. 36. Effundam super vos aquam mun. & mun. ab omnibus, &c. Secundo eos instruendo: vt veritatem asserendam agnoscerent. Ioh. 16. Docebit vos omnem veritatem. Tertio eos roborando vt veritatem agnitam loqui auderent. Luc. vlt. Sedere in ci. do. in &c.

Christus habuit testimoniũ multiplex

Et sciendum quòd Christus multiplex testimonium habuit, scilicet, Patris in baptismo. Luc. 2. Matth. 3. Et in transfiguratione. Matth. 17. Spiritus sancti columba super ipsum descendente. Matth. & Luc. 3. Et in die pentecostes: spiritusancto misso ab eo in specie ignis. Act. secundo, Iohannis 1. Hic venit in testimonium. De illo testimonio multum sequitur post in eodem capitulo. Item, habuit testimonium operum. De quo in eodem, Opera quæ dedit mihi pater, &c. Item, scripturæ. Ioh. 5. Scrutamini scripturas: etenim illæ testimonium perhibent de me. Item apostolorum. De quo hic. Esaiæ 44. Vos testes mei, &c. Ipsi ei testimonium perhibuerunt prædicando, & veritatem quã prædicabant sanctitate vitæ, miraculis, morte propria cõfirmando. Nemo sani capitis mendacium morte propria auderet confirmare. Testimonia ista credibilia facta sunt nimis. Sed hodie multi qui testimonium ei perhibere deberent, ad testimonium perhibendum ydonei non sunt. Alij corrumpuntur muneribus. Ecclesiasti. 20. Xenia & dona excæcant oculos iudicum, &c. Alij timore mundano vel humano à testimonio cessant, trepidantes vbi nõ erat timor. Prouer. 29. Qui timet hominem, cito corruet. Alij amore vel odio à veritate testimonij perhibentur. Bernar. Amor vel odium, veritatis nescit iudicium. Item testimonium aliquorum non est conueniens propter contrarietatem.

tatem. Confitentur enim se nosse deum, factis autem negant. Tit. 1. Hij sunt de quibus Matth. 23. Dicunt enim & non faciunt. Aliqui vero testes de auditu, & non de visu, qui multis annis audierunt theologiam, & nunquam vna die secundum eam vixerunt. Tales testes nõ fuerunt apostoli 1. Ioh. 1. Quod vidimus & audiuimus, annunciamus vobis. Immo nec de auditu videntur aliqui testes esse: cùm aures audiendi non habeant. Matth. 13. Qui habet aures audiendi, audiat 1. Iohannis 3. Omnis qui peccat, non videt eum, nec nouit. Famam eius audire potuerunt. Iob 28. Audiuimus famam eius. In eodem, Non inuenitur sapientia in terra suauiter viuentium.

Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini: absque synagogis facient vos. Præuidens dominus multos ex excommunicationibus esse scandalizandos: coniungit de scandalo & excommunicatione. Et notandum quòd aliquando iniuste fertur excommunicatio: & tunc solet qui excommunicatur scandalizari. Quandoque vero iuste lata, ab eo qui excommunicatur, & ab eis qui cum eo cõuersantur contemnitur. In primo casu patienter esset ferenda, & absolutio humiliter petenda: tunc enim non nocet sed prodest. Meretur enim tunc excommunicatus, & in hoc quòd verecundiam sustinet. Ecclesiastic. Est confusio ad glo. & in hoc quòd superiori honorem exhibet: & in hoc quòd proximo exemplum patientiæ præbet. Tunc ad sui consolationem debet ad memoriam reducere quod hic dominus dicit, Absque synagogis facient vos. & illud Luc. 6. Beati eritis cum vos oderint homines & cum separauerint vos & exprobrauerint, & eiecerint nomẽ vestrũ tanquam malum propter filium hominis. Ioh. 9. Conspirauerunt Iudæi vt si quis confiteretur Christum: extra synagogam fieret. In secũdo casu notandum quòd multum timenda est excommunicatio iustè lata: quia sic excommunicatus Sathanæ traditus est. Et quandoque talem statim puniebat Sathanas, vt Corinthium fornicatorem. De quo habetur 1. Cor. 5. Nunc autem non statim eos punit, vt in futuro magis puniantur. Greg. Ad modicum gloriatur finitur: vt fortius & atrocius in perpetuum feriatur. Item blande seducit: sed post violenter ad supplicia trahit. Iob 21. Quare impij viuunt & conducunt in bonis dies suas: &

in puncto ad infernum descendunt.Item ne excommunicatio timeatur & caueatur.Ecclesiastes 8. Quia non profertur cito contra malos sententia,absque timore, &c.

De hac materia require in summa de viciis,capitulo de contemnentibus excommunicationem.

In die sancto Pentecostes,Sermo primus.

SI quis diligit me sermonem meũ seruabit,&c.Ioh.14.

Hodie recolit ecclesia illam abundantem & excellentem donationem spiritus sancti,quę facta est discipulis quinquagesimo die à Christi resurrectione. Et in epistola agitur de figura sub qua datus est spiritus sanctus.In euangelio agitur de re figurata.Figura fuit ignis. In specie enim ignis datus est: Res figurata est amor. Ignis enim amorem disignat. In spęcie ignis datus est, quia spiritus sanctus amor ęst.Et quia datus fuit vt corda discipulorum dei amore inflammaret. Grego.in homel. Foris apparentibus linguis igneis,intus facta sunt corda flammãtia:quia dum deum in ignis visione suscipiũt: per amorem suauiter arserunt. Ipse namque spiritus sanctus amor est. De re igitur figurata,idest de dilectione dei agitur in euangelio hodierno. Et primo tangitur de amore quem Deus à nobis exigit.Secundo de amore quem vobis exhibuit,ibi,Venit princeps mundi huius:& in me nõ habet quicquam. Sed vt cognoscat mundus quia diligo patrẽ,&c.Et quia Deus vult à nobis amari nõ solũ affectu sed etiam effectu,vterque modus ostenditur. Primo modus diligendi effectu , ibi , Si quis diligit me sermonem meum,&c.Secundo modus diligendi affectum,ibi,Si diligeritis me , gauderetis vtique , quia vado ad patrem. Circa primum vero quinque ostenduntur. Primo , quòd obsequium qui diligit Christum ei exhibeat , ibi , Si quis diligit me,ser.meum , &c.Secundo quam vtilitatem ex hoc recipiat , ibi , Et pater meus diliget eum : & ad eum ve. &c. Tertio, quia opposita iuxta se posita fiunt manifestiora, non diligentem Christum notificat , ibi, Qui non diligit me, &c. Quarto ne sermo eius contemnatur

tatur auctoritatem sermonis sui indicat,ibi,Et sermonem quem audistis non est meus, &c. Quinto ostēdit ad quem recurrendum sit pro sermonis intelligentia vel pro gratia ad impletionem sermonis necessaria,ibi, Paracletus autē, &c.Ille vos docebit omnia,&c.Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.Hoc est obsequium quod plus à diligente se requirit Christus, scilicet custodia mandatorum ipsius.Ioan.14.Si diligitis me,mandata mea seruate. Hoc signo amicos suos agnoscit.In eodem,Qui habet mandata mea & seruat ea:ille est qui diligit me.Glosa,Qui habet in memoria:& seruat ea in vita vel habet in faciendo:seruat perseuerando.Ioan.16. Vos amici mei estis si feceritis quæ præcipio vobis. Nec solum amicum reputet qui eius mandata seruat: sed etiam attinentem sibi primo gradu attinentiæ.Luc.8. Mater mea & fratres mei hij sunt qui verbum dei audiūnt & faciūt. Eius mandata custodire reputat veram dilectionem Christus.1.Ioan.5. Hæc est charitas dei vt mandata eius custodiamus.eiusdem 2.Qui di cit se nosse deum, & mandata eius non custodit, mendax est.Loquitur de noticia experientiæ quæ est per vnionem & familiaritatem dilectionis.Idem 3.Filioli mei non diligamus verbo neque lingua:sed opere & veritate. Greg.in home. De dilectione conditoris mens & vita requiritur. Inter elementa ignis maxime videtur esse actiuus. Ideo recte designat amorem dei qui non est ociosus. Grego. Nunquam est amor dei ociosus: operatur enim magna si est:si vero operari renuit amor non est. Et notandū quòd ille qui diligit Christum, sermonem eius seruat quadrupliciter,videlicet memoriter retinendo: iugiter meditando:scripturæ commendando:opere implēdo. Ad primum pertinet illud psalmistæ,Memores sunt mandatorum eius ad fa.ea.Prouer.7. Fili custodi sermones meos: & præcepta mea reconde tibi.In eodem,Legem meam in tabulis cordis tui,&c.De secundo dicitur in Psalmis, In lege eius meditabitur die ac nocte.Deut.6.Erūt verba hæc quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo: & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis sedens in domo tua,& ambulans in itinere. Dormiens atque consurgens.Iosue. 1. Non recedat volumen libri legis huius ab ore tuo: sed meditaberis in eo diebus ac noctibus. Ecclesiastici. 3. Quæ tibi præcepit deus:

deus: cogita semper, &c. De tertio, Apoc. 14. Beati mortui qui in domino moriuntur. Ecclesiastici 28. Sapiētiam scribe in tempore vacuitatis &c. De quarto, Ecclesiastici. 15. Si volueris mandata seruare, seruabūt te. Prouer. 19. Verbum custodiens filius absque perditione erit. Ecclesiastes, 8. Qui custodit præceptūm non experietur quicquam mali. Ioan. 8. Si quis sermonem meum seruauerit: mortem non gustabit in æternum. Et sciendum quód sermo vel præceptum Christi specialiter hic potest intelligi præceptum de mutua dilectione. Ioan. 15. Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem, &c. eiusdem 13. Mandatum nouum do vobis vt diligatis inuicem. eiusdem 15. Hæc mando vobis vt diliga. inui. Legitur in vita beati Ioannis Euangelistæ quód cum ipse deuenisset ad vltimam senectutem, & inter discipulorum manus ad ecclesiam deferretur, nec posset plura dicere verba: ad quamlibet pausam dicebat hoc, Filioli diligite alterutrum. Tandem discipuli & fratres qui aderant, audientes quód eadem verba semper diceret, dixerunt, Magister, quare semper hęc loqueris? Qui respondit, quia præceptum domini est: & si solum fiat, sufficit. sequitur, & pater meus diliget eum &c. Ecce vtilitas quæ consequitur ex hoc quód Christus diligitur. Simile Ioan. 14. Qui autem diligit me diligetur à patre meo: & ego di. e. Multum deberet homo desiderare diligi à deo & amicitiam habere cum eo. Deus enim est amicus fidelis. Amico vero fideli nulla est comparatio: & non est digna ponderatio argenti & auri. Ecclesiastici 6. Alij amici quadrupliciter inueniuntur infideles. Primo quia aliquando non amant licet amentur, sed non sic est de amico isto. Prouerb. 8. Ego diligentes me diligo. Secundo quia in tempore aduersitatis desinunt amare. Ecclesiastici 6. Est amicus secūdum tempus: & non permanebit in die tribulationis. Sed non sic est de amico isto. Prouer. 17. Omni tempore diligit qui amicus est. Tertio quia qui amant viuos inimici fiunt mortuorum spoliantes eos bonis suis. Ecclesiasti. 6. Est amicus qui conuertitur ad inimicitias &c. Amicus vero iste specialiter in morte ostendit se esse amicum: cum spiritum qui de habitaculo corporis exit in cæleste habitaculum recipit. Quarto quia amici patris inimici fiunt filiorum, sed amicus iste propter patrem quandoque amat filios

filios vsque ad decimam generationẽ. Exod.20. Ego sum dominus deus tuus,&c.faciens misericordiam in milia iis qui diligunt me. Hic est amicus qui non amittitur nisi dimittatur. August. in quarto lib.confessi. Beatus qui amat te & amicum in te:& inimicum propter te.solus enim nullum carum amittit cui omnes in illo cari sunt qui nõ amittitur. Nemo te amittit nisi qui te dimittit. Hic est amicus qui potest inueniri:sed non præueniri.1.Ioan.4. In hoc est charitas non quasi nos dilexerimus dominum, sed quia ipse prius dilexit nos.Iere.31. In charitate perpetua dilexi te:ideo attraxi te miserans.Noli ergo dicere,Non possum diligere proximũ, nisi ipse prius me diligat:immo exemplo dei eum præuenias & beneficiis ad amandum te attrahas.Lu. 6. Si diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? nam & peccatores diligentes se diligunt: & canis diligit illum qui eum pascit. Sene. Feræ etiam beneficia sentiunt.Amicus iste amat vehementer 1. Ioan. 4. In hoc apparuit charitas dei in nobis quoniam filium suum vnigenitum misit deus in mundum vt viuamus per eum. Vtiliter.1. Ioan. 3. Videte qualem charitatem dedit nobis pater:vt filij dei nominemur & simus. Familiariter,vt cohabitet iis quos diligit,vnde subditur, Et ad eum veniemus. Deutero.33. Beniamin amãtissimus domini &c.In eo quasi in thalamo morabitur.Greg.in homel.Pensate fratres carissimi quanta sit ista solennitas,habere in cordis hospitio aduentum dei. Certe si domum vestram quisquam diues aut præpotens intraret:omni festinantia domus tota mundaretur ne quid fortassis esset quod oculos amici intrantis offenderet.Idẽ,Tergat ergo sordes praui operis: qui deo præparat domum mentis.Dauid,Domum tuam decet sanctitudo domine in longitudinem dierum.sequitur,Et mãsionem apud eum faciemus.Grego.in homel.In quorumdam corda venit, & mansionem non facit: quia per compunctionem quidam dei respectum percipiunt:sed tentationis tempore hoc ipsum quod compuncti fuerant, obliuiscuntur, sicque ad perpetranda peccata redeunt ac si ea minime planxissent. Qui ergo vere deum diligit: qui eius mandata custodit:in eius corde dominus & venit & mansionem facit: quia sic eum diuinitatis amor penetrat, vt ab hoc amore tentationis tempore nõ recedat. Et attende peruer

de peruerſitatem hominum qui amicitiam humanam parum vtilem & quandoque noxiam multis laboribus & expenſis procurant. De amicitia vero dei, qui amore digniſſimus eſt, quæ magni honoris & magnæ vtilitatis eſt, non curant. Magnus honor eſt eſſe ſeruũ regis cæleſtis. Dauid, Nimis honorati ſunt ami.t.d. Amicitia iſta adeo eſt vtilis, vt cum ea nihil ſit inutile. Roma.8. Scimus quoniam diligentibus deum omnia cooperantur in bonum. Sine ipſa vero nihil eſt vtile. 1. Corin. 8. Si diſtribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, &c. Item mira peruerſitas aliquorum, qui deo ad ſe venienti cum vniuerſitate bonorum, oſtium cordis claudunt. Sapientiæ.7. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, ſcilicet cum ſapiẽtia increata. Apocaly.3. Ecce ego ſto ad oſtium & pulſo. &c. Stat dominus cum ad penitentiam expectat. Eſa.30. Expectat dominus vt miſereatur noſtri. Auguſti. Erubeſcat humana pigritia: plus vult ille miſereri, quam nos à miſeria liberari. Oſtium cordis eſt voluntas. Hoc oſtium clauſum tenetur quandiu homo habet voluntatem peccandi, quia in maleuolam animam non intrabit ſapientia. Sapien.1. Pulſat vero deus Inſpirando: Prædicando: Beneficia conferendo. Vel aſtringendo. Canticorum 5. Vox dilecti pulſantis, Aperi mihi ſoror mea. Si quis audierit vocem eius aure intelligentiæ & obedientiæ aperiẽs oſtium voluntatis per conſenſum bonum, deus intrat gratiam infundendo: & cænat deus cum eo, & ipſe cum deo. Item magna peruerſitas illorum qui deum in hoſpitio cordis ſui receptum à ſe quaſi manibus propriis impugnando expellunt. Operibus enim malis quæ perpetrant deum à ſe fugant. Qui dicunt deo, Recede à nobis. Iob.22. Turpius eiicitur, quam non admittitur hoſpes. Tales cum deum à ſe expellant: omne bonum à ſe proiiciunt. Oſeæ 7, Proiecit Iſrael bonum. Tales dum deum à ſe eiiciunt: Diabolum introducunt. Ad eum veniemus. Interlinearis. Pater & filius & ſpiritus ſanctus. Pater cui appropriatur potentia veniens, roborat iraſcibilem. Filius cui appropriatur ſapientia veniens illuminat rationalem. Spiritus ſanctus cui appropriatur bonitas: ſanat concupiſcibilem. Ad roborandum iraſcibilẽ pertinet donum timoris & fortitudinis. Timor fugit vera mala, ſcilicet mala culpæ: & pœnas æternas.

Fortitudo

Fortitudo sustinet non vera, scilicet mala pœnæ transitoriæ, & vtrûque pertinet ad robur irascibilis. Gregorius, In via domini timor operatur fortitudinem: In via seculi debilitatem. Prouerb. 14. In timore domini fiducia fortitudinis. Ad illuminationem rationalis pertinet donum scientiæ: consilij: & intellectus. Dono intellectus sapientiam in creaturis legimus. Ecclesiastici 1. Deus effundit sapiētiam super omnia opera sua. Dono scientiæ à deceptione cauemus quam bona præsentia faciunt quæ mentiuntur se vera bona cum potius sint vmbræ verorum bonorum. Sap. 5. Transierunt omnia illa tanquam vmbra, &c. Dono consilij bona transitoria in æterna commutamus. Matt. 19. Si vis perfectus esse, vade & vende &c. Augu. Præbe tectum, & accipe cælum. Ad sanitatem concupiscibilis pertinet donum pietatis & sapientiæ. Dono pietatis proximi mala desipiunt cum de eis dolemus: & per sapientiam vera bona nobis sapiunt. Et mansionem apud eum faciemus. Nota quòd domus conscientiæ malleo verbi dei ædificatur. Iere. Nunquid non verba mea sunt quasi ignis ardens: & quasi malleus conterens petras? Huius domus fundamentum est fides. Apoca. 21. Fundamentum primum est iaspis. In iapide significatur fides sanctorum semper virens per bonam operationem, & non marcessens per persecutionis ardorem. altitudo muri est spes: latitudo charitas: tectum humilitas. Septem columnæ in hac mansione excisæ, sunt septem onera quæ in nobis sunt. Quorum primum est onus proprij corporis. de quo Sap. 9. Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam. & Iob. 28. Quoniam fecit ventis pondus, id est corpora dedit animabus ne vento elationis exsufflarentur: columna hoc onus portans, id est portabile reddens, est disciplina qua corpus castigatur. Roma. 13. Castigo corpus meum & in seruitutem, redigo, &c. Secundum est onus tribulationis de quo 2. Corin. 4. Id quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum &c. Columna sustentans est patientia. Tertium est onus compassionis proximorum: de quo Galat. 6. Alter alterius onera por. Columna sustentans est pietas. Quartum est onus blandæ tentationis, quæ valde periculosa videtur esse. Ecclesiasti. 7. Melior est ira risu, id est aduersitas prosperitate. In Psalmis, Ab altitudine

diei

dici timebo. Columna sustentans est timor domini: sine qua facile ruit spirituale ædificium. Ecclesiasti. 27. Si non in timore domini instanter te tenueris: cito subuertetur domus tua &c. Quintum est onus dilationis præmiorum. Sub quo onere multi defecerunt. Dauid, Defecerunt oculi mei dum spero in deum. Columna sustentans est longanimitas. Sextum est onus proprij studij & laboris. Mat. 20. Qui portauimus pondus diei & estus. Columna sustentans est interna leticia quæ est ex bono præsenti vel expectato. Septimũ est onus prælationis: de quo Exod. 18. Dicit Ietro Moysi, Non bonam rem facis: stulto labore consumeris & tu & populus iste qui tecum est: vltra vires tuas est negocium: solus istud non poteris sustinere. Columna sustentans est prudentia partiens onera. Sequitur, Qui non diligit me: sermonem meum non ser. Hoc signo perpenditur qui non diligit dominum, scilicet mandatorum eius trasgressio. Sicut amicus reputatur mandata implens: secundum illud Io. 15. Vos amici estis si feceritis omnia &c. sic inimicus reputatur mandata transgrediens, & inimicus capitalis. vnde prima inobedientia hominis morte punita est. Cum enim dominus hominem fecerit vt mãdata eius custodiret: secũdum illud Ecclesiastes vlt. Time deum & mãdata eius obserua &c. quia non fecit id ad quod factus erat: destruendus fuit morte. Qui mandata dei transgreditur: eius dominium negat. sicut inobedientia est vera negatio dominij. Luc. 6. Quid vocatis me domine, domine, & non facitis quæ dico? Merito ergo inimicus dei reputatur qui mandata eius non custodit: tanquam eius dominium negans, &c. vt placet.

Sermo secundus de eodem.

SI quis diligit me sermonem meum seruabit.

Ecclesia in hoc festo occultam missionem spiritus sancti expectat & illam famosam spiritus sancti missionem quæ in specie ignis super discipulos facta est, commemorat. Ad primam se præparat: pro secunda vero deum glorificat & regraciatur ei. de vtraque vero tangitur in euangelio.

gelio. Ad primã pertinet illud, Ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus. Ad secundam pertinet illud, Paracletus autẽ spiritus sanctus quem mittet pater in nomine meo, &c. Et quia mandatorum custodia præparat ad susceptionẽ spiritus sancti: præmittitur incitatio fidelium ad obseruationem mandatorum cum dicitur, Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. Ad idem pertinet quod in vigilia pente. legitur lectio in qua agitur de obedientia Abrahæ. Item in euãgelio legitur, Si diligitis me, mandata mea seruate: & ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis Ad idem designandum datus est spiritussanctus decima die ab ascensione domini. obseruantibus enim decalogum spiritussanctus datur. Si vis loqui de hac materia, require de hoc in sermone illo epistolarum, Abrahæ dictæ sunt promissiones. Paracletus autem spiritus sanctus, &c. Notandum quòd spiritus sanctus quadrupliciter nominatur. Dicitur enim spiritussanctus: Spiritus veritatis: Paracletus, Amor seu charitas. De primo & tertio habetur hic. De secundo & tertio, Iohan. 14. Rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, &c. spiritum veritatis quẽ mundus non potest accipere. Eiusdem 15. Cum venerit paracletus quem ego mittã vobis à patre spiritum veritatis, &c. De quarto dicit Grego. super illud, Si quis diligit me, &c. Ipse spiritus sanctus amor est. & 1. Io. 4. Deus charitas est. Notandum ergo est quòd cum spiritus sit sanctus, expellit immundiciam: Cum sit spiritus veritatis, expellit errorem & ignorantiam. Cum sit paracletus siue consolator, expellit tristitiam. Et cum sit amor, sedat discordiam. Primum & tertium hic expresse nominantur. Ad secundum vero pertinet illud, Ille vos docebit om. Ad quartum vero pertinet illud, Pacem relinquo vobis: pacem meam do vobis. De pace require in tractatu de beatitudinibus. Econtrario spiritus malus dicitur quadrupliciter, scilicet Spiritus immundus. Matth. 12. Cum immundus spiritus exierit. Spiritus erroris. 1. Ioan. 4. In hoc cognoscimus spiritum veritatis, & spiritum erroris, &c. Item, spiritus vexationis. Matth. 15. Filia mea male à dæmonio vexatur. Item, spiritus dissentionis. Matth. 12. Qui non congregat mecum, disper. Spiritus malus immundiciã amat. Vnde Mat. 8. Dæmones dicunt domino,

Si eiicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Spiritus sanctus amat puritatem: vnde super florem dicitur requiescere. Esa. 11. Flos de radice eius ascendet: & requiescet super eum spiritus domini. & 1. Thes. 4. post illud, Hæc est voluntas dei, sanctificatio vestra, quibusdam interpositis subditur, Non vocauit nos deus in immundiciam sed in sanctificationem. Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit: sed deum, qui etiam dedit spiritum sanctum suum in nobis. Spiritus malus tenebras ignorantiæ amat, & lucem sapientiæ odit. Io. 3. Omnis qui male agit, odit lucem. sed econtrario. Spiritus veritatis amat lucem sapientiæ. Sap. 7. Sapientia infinitus est thesaurus hominibus: quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiæ dei. In eodem, Neminem diligit deus nisi qui cum sapientia inhabitat. Prouerb, 14. Acceptus est regi minister intelligens, &c. Regi inquam cælesti. Item, spiritus malus in quo est, eum flagellat. Spiritus vero sanctus eum in quo est lætificat. 1. Reg. 16. Spiritus domini recessit à Saul, & exagitabat eum spiritus nequam. Ecclesiasti. 24. Spiritus enim meus super mel dul. Sap. 12. O quam bonus & suauis est domine, spiritus tuus in omnibus. Spiritus sanctus est manna absconditum. Apoc. 2. Vincenti dabo man. ab. Item, spiritus malus amat discordiam: sed spiritus sanctus amat concordiam. sicut spiritus hominis non viuificat membra nisi sint adinuicē vnita: sic spiritus sanctus non viuificat membra à corpore ecclesiæ per discordiam diuisa.

Dominica in trinitate sermo de Euangelio.

AMen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, &c. Io. 3.

In dominica præcedenti recoluit ecclesia quomodo spiritus sanctus ecclesiæ sit missus. In hac dominica vult ostendere quantum ecclesiæ sit necessarius. vnde legitur hodie euangelium, in quo dominus instruens Nicodemum, ostendit quòd nullus regnum dei ingreditur nisi per spiritum sanctum prius renascatur. De hac vero spirituali natiuitate volentes loqui: quia natiuitas vitæ inchoatio

choatio est: prius distinguemus vitam multiplicē. Postea distinguemus multiplicem vitæ inchoationem siue natiuitatem. Notandum igitur est quòd Triplex est vita, scilicet, Vita naturæ: Vita gratiæ: Et vita gloriæ. De vita naturæ dicitur Iac. 4. Quæ est vita vestra? vapor est ad modicum parens, Ecclesiastes 4. Laudaui magis mortuos quam viuentos: & feliciorem vtroque iudicaui qui nec dum natus est, nec vidit mala quæ sub sole fiunt. De vita gratiæ Ga. 2. Viuo ego iam non ego: viuit vero in me Christus. Ibidē, In fide viuo filij dei. Lucę 15. Frater tuus hic mortuus erat, & reuixit. De vita gloriæ legitur Io. 17. Hæc est vita æterna vt cognoscant te solum deum verum, & quem misisti Iesum Christum 1. Ioan. 5. Vitam æternam habebitis qui creditis in filium dei. Vita naturæ contemptibilis est si desit vita gratiæ: Est enim velut vita latronis adiudicati morti, qui iam ad mortem ducitur. Sene. Omnes capitali supplicio condemnati sumus. Aug. Nil aliud est tempus presentis vitæ quam cursus ad mortem: in quo nemo nec paululum stare permittitur, sed omnes pari motu vrgemur hæc vita cōmunis est nobis & brutis. Ecclesiastes 3. Vnus est interitus hominis & iumentorū: & æqua vtriusque conditio. Sicut moritur homo, sic & illa moriuntur, &c. Hæc vita communis est etiam damnatis, quibus bonum esset non esse. Matth. 26. Bonum esset ei, si natus non fuisset homo ille. Apoca. 9. Desiderabunt homines mori, &c. Vita illa quædam mors est: vel morte deterior. Ecclesiasti. 30. Melior est mors quam vita amara. Genes. 2. Quacunque die comederitis ex eo, morte moriemini, &c. Secundum vnam expositionem mors ibi vocatur vita penalis, quæ est quasi quoddam genus mortis. Vita gratiæ est media inter vitam naturæ & vitam gloriæ. Ipsa est bonitas naturæ & præcium gloriæ. Vita naturæ siue vita gratiæ est inutilis, immo etiam periculosa. Homo enim viuens tantum illa vita est velut arbor sine fructu excidenda & post in ignem mittenda. Luc. 13. Excide eam: vt quid etiam terram occupat? Ber. Quam mitius me priuares ô amara mors, vitæ vsu, quam fructu? Nam vita sine fructu grauior mors. Denique duo mala parantur arbori infructuosæ, securis & ignis. Vita gratiæ est per quam transitus est ad vitam gloriæ. Rom. 6. Gratia dei vita æterna, idest,

precium vitæ æternæ. Hæc vita est multum desideranda: ideo dominus bene ostendit Nicodemo hanc vitam necessario esse inchoandam. Vitam gratiæ filius dei adeo caram habuit, quòd morte sua voluit nobis eam acquirere. vnde dicit Augu. de eo quòd viuificauit occisus, Huius vitæ sustentationi in mundo isto voluit ipse intendere. Matth. 1. Eamus in ciuitates & vicos proximos, vt ibi prædicem: ad hoc enim veni. Huic vitæ refectionem sui sacri corporis & sãguinis voluit prouidere. Ioan. 6. Qui manducat me, & ipse viuet propter me. Circa vitam gratiæ specialiter reprehensibilis est dilatio inchoandi eam. Difficile enim est vitam malam consuetam relinquere. Hiere. 13. Si potest Æthiops mutare pellẽ suam, aut pardus varietates suas, &c. Et hic dicit Nicodemus, Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? Sene. in epis. Quidam tunc viuere incipiunt, cum desinendum est. Quidam ante desierunt quam inciperent. Item notandum quòd multiplex est natiuitas. Prima est natiuitas secundum carnem. Secunda natiuitas spiritualis qua quis nascitur in baptismo. Tertia est illa qua quis nascitur per pænitentiam. Quarta est in susceptione ecclesiastici beneficij. Quinta in susceptione æterni præmij. Harum autem natiuitatum prima est miserabilis. Illa enim nascitur homo ad laborem. Iob. 5. Secunda est puræ diuinæ miserationis vt cum paruulus absque vlla sua præparatione in dei filium adoptatur Tertia est misericordiæ cum iustitia sociatæ, in qua misecordia & veritas obuiant sibi, & iusticia & pax osculantur. Quarta est quandoque iræ, quandoque misericordiæ. Oseæ 13. Dabo tibi regem in furore meo. Quinta est bonitatis immensæ cum, scilicet deus maiestatis seruum suum vocat ad societatem suam. Ioh. 12. Vbi ego sum il. &c. Prima natiuitas tres habet comites, scilicet bonorum inopiam: malorum penalium abundantiam: & dei iram. De primo Iob. 1. Nudus egressus sum, &c. Ecclesiastes 5. Sicut egressus sum de vtero matris, &c. 1. Tim. 6. Nihil intulimus in hunc mundum, &c. Ad secundum pertinet illud Sap. 7. Primam vocem similem hominibus emisi plorans. Et super illud Eph. 5. Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. dicit glosa Augu. Ex quo lapsus est Adam & à paradiso expulsus:

ſus: non fuerunt dies niſi mali; quod oſtendit puer qui naſcitur, qui à ploratu incipit, nec ridere poteſt: ſtatim natus plorat, propheta ſuæ calamitatis: lachrimæ enim teſtes ſunt miſeriæ. Nondum loquitur,& iam prophetat. Ad tertium pertinet illud Eph. 2. Eramus natura filij iræ: quod dicitur propter originale peccatum. Secunda natiuitas habet tres comites, ſcilicet peccati deletionem: gratiæ collationem: fomitis debilitatem. Peccati deletio figurata eſt in Ægyptiis ſubmerſis: filiis Iſrael tranſeuntibus per mare rubrum. Exod. 14. Gratiæ illuminatio & fomitis debilitatio deſignata ſunt in nube, quæ filiis Iſrael in die præſtabat refrigerium: in nocte vero illuminabat eos. De qua nube ſimiliter habetur Exod. 14.& in Pſalmis, Deduxit eos in nube diei, &c. Tertia natiuitas habet tres comites, ſcilicet amaritudinem in contritione: pudorem in confeſſione: laborem in ſatisfactione. De primo, Eſa. 38. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. & Matth. 26. Egreſſus foras fleuit amarè. De ſecundo Eccleſiaſti. 4. Non confundaris pro anima dicere verum: eſt enim confuſio adducens peccatum,& eſt cõfuſio adducens gloriam. Rom. 6. Quem fru. ha. &c. De labore habetur Sap. 3. Bonorum laborum glorioſus eſt fructus. & Prouerb. 20. Malum eſt: malum eſt: dicit omnis emptor. Et cum receſſerit, tunc gloriabitur. Quarta natiuitas habet tres comites quo ad malos, maxime maiores qui in eccleſia promouentur, ſcilicet matris parturientis triſtitiam: naſcentium læticiam: vulgi gementis anguſtiam. De triſticia habetur Ioh. 16. Mulier cum parit triſticiam habet. Apocalip. 12. Clamat parturiens, & cruciatur vt pariat. Prouerb. 10. Filius ſtultus mæſticia eſt matris ſuæ. Gen. 26. Collidebantur paruuli in vtero Rebeccæ: & ait Rebecca, Si ſic mihi f. e. &c. Eiuſdem 38. Dixit Thamar, Quare propter te diuiſa eſt maceria? Frequenter enim in promotionibus fiunt ſchiſmata. Helyſeus vngens Azael in regem fleuit: præuidens mala quæ futura erant filiis Iſrael. De læticia eius qui promouetur, habetur Prouerb. 17. Homo ſtultus plaudit manibus ſuis cum ſpoponderit pro amico ſuo. Vrſus in hora natiuitatis ſuæ riſit: poſtea nunquam. Sic qui in ſuis promotionibus

multum lætantur: post multis aduersitatibus opprimuntur. Zacha. 11. Pasce pecora occisionis quæ qui possederant occidebant, & non dolebant sed venundabant ea dicentes, Benedictus dominus: diuites facti sumus. De gemitu populi legitur Prouer.29. Cum impij sumpserint principatum gemet populus. eiusdem 28. Cum surrexerint impij abscondunturhomines. Sicut cum falco eleuatur abscondunt se aues. In eodem, Leo rugiens & vrsus esuriens princeps impius super populum pauperem. In fetu vrsi secundum Aristotelem, non apparet nisi vngues: Et in filiis raptorum cum in ecclesia promouentur apparet rapacitas. Dan.7. Dentes & vngues bestiæ erant ferrei. Eze.19. Assume tibi planctum super principes Israel. & subditur, De leæna quæ potest intelligi alicuius magni prælati curia. Eduxit vnum de leunculis suis: leo factus est: didicit prædam capere. in eodem, Sceptrum dominantium planctus est in planctum. Ipsi faciunt alios plãgere: & ipsi vel in præsenti vel in futuro plaugent. Quo ad bonos vero qui promouentur quarta natiuitas habet tres comites, scilicet nascentis tristitiam. Ipse enim primam vocem emittit plorans. Sap.7. Vulgi lætitiam. Pro.29. In multiplicatione iustorũ, scilicet, principum lætabitur vulgus. Et dei gloriam. Prouer.28. In exaltatione iustorum multa gloria est, idest in prosperatione bonorũ prælatorum. Quinta natiuitas similiter tres habet comites, scilicet, Gaudium sine dolore. Esa.51. Gaudium & lætitiam tenebunt: & fugiet dolor & gemitus. Quietem sine dolore. Apoc.14. A modo iam dicit spiritus vt requiescant à laboribus suis. Vitam sine timore. Sap.5. Iusti autem in perpetuum viuent. Apoc.21. Mors vltra non erit.

Sermo secundus de eodem.

NEmo ascendit in cælum nisi qui de cælo descendit.

Quatuor tanguntur in euangelio hodierno quæ multum valent ad ingressum regni cælestis. Primum est fides passionis Christi. de quo ibi, Sicut Moyses exaltauit serpentem

pentem.&c.Secundum est susceptio sacramentorum ecclesiæ.Ad quod pertinet illud, Nisi quis renatus fuerit ex aqua,&c.Tertium est humilitas.de quo ibi, Nemo ascendit in cælum nisi qui, &c.Descensus per humiliationem causa est vt ad gloriam cælestem ascendatur. Iob. 21.Qui humiliatus fuerit:erit in gloria. Ber. Per humilitatem ascendit ad sublimitatem,quia hæc est via & non est alia præter ipsam.Qui aliter vadit:cadit potius quàm ascendat.Christus cum per naturam deitatis non haberet quò ascenderet:quia vltra deum nihil est: tamen per descensum quomodo cresceret inuenit.Ephe.4.Qui descēdit ipse est & qui ascendit super omnes cælos.Quartum est charitas qua quis adheret Christo.Solus enim Christus caput, scilicet,cum membris in cælum ascendit. Ad quod pertinet verbum prius dictum,Nemo ascendit in cælum, &c. Vnde multum desiderandum est esse de corpore illo. Dauid,Mihi autem adherere deo bonum est : & multum timēda est separatio.vnde dicebat apostolus Rom.8. Quis nos separabit à charitate Christi:tribulatio an angu. &c. in eodem,Certus sum quòd neque mors, neque vita,&c. Sicut Moyses exal.ser.&c.Cum tribus attribuatur apertio regni cælestis,scilicet passioni Christi,ascensioni eiusdem, sacramento quo quis per spiritum sanctum renascitur: conuenienter postquam ecclesia recoluit Christi passionem,ascensionem,& spiritus sancti missionem,in hac dominica vult ostendere fidelibus cælestis regni apertionē. Vnde legitur in multis ecclesiis visio Iohannis qua vidit ostium cæli apertum. Et in euangelio agitur de illis tribus quæ pertinent ad regni cælestis apertionem, videlicet,Primo de natiuitate quæ fit per spiritum sanctum. Secundo de Christi ascensione.Tertio de eius passione, scilicet in verbo proposito.Et ostenditur quibus regnum sit apertum.Est enim regnum apertum renatis per spiritum sanctum:habentibus passionis fidem: adherentibus Christo per charitatem.

Circa verbum vero propositum quatuor ad ædificationem nostram sunt attendenda, scilicet, Quare Christus per serpentem fit figuratus.Et quare per æneum.Et quare in passione dicatur exaltatus. Et in quo similitudo eius exaltationis ad exaltationem serpentis attendatur. Circa

primum notandum quòd triplici ratione Christus speci aliter in statu crucis per serpentem figuratus est. Primo quia de serpente fit remedium contra venenum serpẽtis. De serpente enim fit tyriaca: & mira dei virtute serpens fuit in remedium contra morsus serpentium ignitorum. Numeri 21. Fac serpentem æneum & pone eum pro signo: Qui percussus respexerit eum viuet. Sic Christus in cruce remedium fuit contra venenum antiqui serpentis. Secundo propter sapientiam, qua in cruce vicit diabolum. Ibi enim Christi prudentia percussit superbum. Iob 26. & Genes. 3. Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ. Exod. 7. Serpens Moysi deuorauit serpentes magorum, & sapientia Christi in cruce astutiæ dæmonum præualuit. Ibi diabolum volentem capere cepit. Iob 40. An extrahere poteris leuiathan hamo? 1. Cor. 1. Quod stultum est dei sapientius est hominibus. Stultum dei dicitur passio Christi. In eodem, Verbũ crucis pereuntibus stultitia est, idest mundi sapientibus. Glosa, Cum deberet dicere sapientibus: dixit pereuntibus. Sapientes enim mundi dici possunt pereuntes triplici ratione. Primò quia ad modum naufragantium his quæ apprehendere possunt, inseparabiliter adherent. Bernard. Quibus assimilabimus homines generationis huius, aut quibus comparabimus illos, quos videmus à terrenis & corporalibus auelli separarique non posse? Profectò similes sunt iis qui submersi periclitantur in aquis quas nimirum videas tenentes tenere nec vlla ratione deserere quod primum manibus occurrerit. Secũdo quia ad modum submergendorum quasi molam habent ligatam ad collum, scilicet temporalia quæ amant contra deum. Tertio quia in profundiori mari huius mundi ad modum bonorum natatorum se mergunt, vnde accidit quòd se submergunt. Et notandum quòd duplex est malum videlicet, malum culpæ & malum pœnæ. Sapientia dei timet malum culpæ; & merito tanquam malum illud quod diabolus in mundo isto posuit. Et quòd hominem diabolo similem facit. Et ad ignem præparatum hominẽ ducit. Sapiẽtia vero mundi timet malum pœnæ, & fatue, cùm illud sit à deo: & in deo fuerit: & ad deũ ducat. Greg. Mala quæ nos hic premunt: ad deum ire compellunt. Sapientes huius mundi similes sunt puero, flenti pro alapa

sibi

sibi data à matre vel à patre: & non pro culpa qua ipsam meruit. Ipsi medicinam amaram timent: infirmitatem ad mortem non timent. Hanc fatuam sapientiam Christus in cruce destruere voluit: qui pro destruendis malis culpę in alienis tantum malum pœnæ sustinuit, scilicet mortē: & tale genus mortis. Malum culpæ diligenter cauit: sed malum pœnæ transitoriæ sustinuit. Hebr. 12. Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem. Tertio quia serpens in arcto foramine veterem pellem deponit. Sic Christus in angustia passionis deposita mortalitate ad gloriam immortalitatis transiuit. in Psal. Concidisti saccum meum: & circundedisti me lætitia. Circa secundum notandum quòd triplici ratione Christus non per quemcunque serpentem, sed per æneum significatus est vel figuratus. Per serpentem æneum figuratur Christus. Primo quia serpens æneus habet similitudinem cum serpentibus habentibus venenum, tamen veneno caret. Sic Christus habuit carnem similem carni peccatrici: non tamen peccatricem. Rom. 8. Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati. Secūdo quia æs non est fabricabile eo modo quo cetera metalla. Extinsionibus enim non est ductibile. In quo significatur patientia Christi & sanctorum inuincibilis qui occidi possunt flecti, nequeunt. Rom. 8. Quis nos separabit à charitate Christi, &c. Et licet æs non possit sic duci: tamen potest poliendo decorari. Sic Christum passio non vicit, sed gloria immortalitatis decorauit. Hebr. 2. Vidimus Iesum propter passionis mortem gloria & honore decoratum. Tertio quia æs sonorum est valde. In quo gratia prædicandi & orandi intelligitur quam Christus habuit. Psalm. Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis. Specialiter in cruce sonorus fuit. Ibi enim verbo & exemplo docuit. Ibi preces & supplicationes ad deum cum clamore valido & lachrimis obtulit. Hebr. 5. Ibi clamans voce magna: precium nostræ redemptionis exsoluit. Matthei 27. Circa tertium notandum: quòd Christus dicitur exaltatus in passione non solum propter exaltationem localem quæ in illo genere mortis vel quia sic vulgari sermone dicebatur: sed propter spiritualē exaltationem quæ est in illis qui carnem suam crucifigunt cum vitiis & concupiscentiis. Gal. 5. Cuius si-

gura fuit Christi passio. Exaltatur quis spiritualiter, cum omnia quæ mundi sunt ponit sub pedibus: bona transitoria contemnens, & mala transitoria non timens, sed amplectens. Sic Christus fecit. Aug. Omnia bona transitoria contempsit homo Christus vt contemnenda monstraret: & omnia terrena mala sustinuit quæ sustinenda præcipiebat: vt nec in illis quæreretur felicitas: nec in istis timeretur infelicitas. Ad ostendendum ergo bona temporalia esse contemnenda: voluit esse eleuatus à terra. Ad ostendenda mala transitoria non esse timenda: sed potius amplectenda, voluit esse cruci affixus. Circa quartum notandum quòd illa similitudo in tribus attenditur: quia serpens æneus exaltatus est in deserto: & Christus in cruce desertus est à mundo, & ab amicis suis, & etiam à patre videbatur esse derelictus. Esa. 63. Torcular calcaui solus, &c. Iob 6. Ecce auxilium non est mihi in me: necessarij quoque mei recesserunt à me. in Psalm. Tribulatio proxima est: & non est qui adiuuet. Luc. 24. Deus meus vt quid me dereliquisti? A multis etiam hodie ad crucem pœnitentiæ deseritur. Pauci ibi volunt ei facere societatem. Vexillum ecclesiæ, scilicet vexillum crucis mulierculis hodie relictum est. Iohan. 19. Stabant iuxta crucem Iesu mater eius & soror matris eius, &c. Item exaltatus est serpens æneus: vt à cunctis à serpentibus percussis aspiceretur. Numeri 21. Qui percussus aspexerit eum, viuet. Sic ad litteram Christus in cruce exaltatus est vt à cunctis posset videri qui de diuersis partibus mundi conuenerant in Ierusalem propter festum paschæ. In alto & eminenti loco in ecclesiis ponitur vt ab omnibus fidelibus aspiciatur, vt cogitent quid retribuant domino pro omnibus quæ retribuit eis. Bernar. Quid adhuc dormitat affectio tua? Immo non dormit sed mortua est: si huic non respondet beneficio. Tobiæ 4. Honorem habebis matri tuæ, omnibus diebus vitæ suæ. Memor enim esse debes quæ & quanta sit passa pro te pericula in vtero suo? Non tamen tot & tanta passa est pro te, quanta Christus. Tamen multi multo tempore sunt quo quid significet illa imago non attendunt. Item, serpens æneus exaltatus est: vt percussis à serpentibus esset in remedium. Sic contra morsus serpentium infernalium Christi passio efficax est remedium. vnde

subdi

ſubditur, Vt omnis qui credit in eum, non pereat. Origenes, Tanta eſt virtus crucis vt ſi in mente fideliter habeatur, nulla libido, nulla peccati prçualere poſſit inuidia: ſed continuo ad memoriam eius totius peccati & mortis fugit exercitus.

Dominicæ primæ poſt trinitatem,

SERMO PRIMVS.

HOmo quidam erat diues: & induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie, &c. Luc. 16.

Ex hoc quòd nomen Lazari exprimitur, videtur eſſe narratio rei geſtæ: nihilominus tamen parabola fuit. vnde gloſa, quæ dicit quòd magis videtur narratio quam parabola, ſic intelligenda eſt: quam parabola tantum: eſt enim parabola. Tamen res geſta fuit, ſicut vult Greg. in homelia. Allegoricè, Diues populum iudaicum deſignat qui vitæ cultum exterius habuit & acceptæ legis delitiis vſus eſt ad nitorem, non ad vtilitatem. Lazarus vero vlceribus plenus, ſignificat gentilem populum vlceribus peccatorũ plenum. Hanc expoſitionem require in homel. Greg. Homo quidam erat diues, &c. Hoc exemplum dictum erat cõtra phariſeos auaros irridentes dominum exhortãtem ad eleemoſynarum largitionẽ. Et deſcribit dominus duas perſonas: vnum diuitem & alterum pauperem. Et oſtenditur primo eorum vita, ibi, Homo quidam. Secundo finis vitæ, ibi, Factum eſt vt moreretur, &c. Tertio ſtatus eorum poſt mortem, ibi, Eleuans autem oculos, ſcilicet &c. Notandum etiam quòd vbi vita diuitis deſcribitur, nomen diuitis tacetur. Diues fuiſſe commemoratur. Qualiter etiã diuitiis vſus ſit vel potius abuſus oſtenditur. Vbi vero vita pauperis deſcribitur: nomen eius exprimitur & oſtẽditur magna eius miſeria, & ſine omni conſolatione humana. Circa primum notandum quòd conuenienter dominus loquitur de diuite quaſi de ignoto, ſcilicet nomẽ eius non exprimendo. Primo quia diues in paupere dominum non

cognouit.

cognouit. Mat.25. Quod vni ex minimis meis fecistis, &c. Ideo dominus merito diuitem quasi non agnoscit. vnde non habentibus oleum misericordiæ dicit dominus, Nescio vos. Mat.25. Secundo ad insinuandum quòd diues qui in mundo nomen cum dei offensa sibi fecit, in cælo nomine illo carebit quod habent electi. Pro.10. Nomen impiorum putrescet, id est, deficiet. Octauo die circuncisio fiebat & nomen imponebatur. Et generali circuncisione facta in octaua resurrectionis nomen habebunt electi. De quo Apoc.2. Vincenti dabo edere manna abscon. & dabo illi calculum candidum: & in calculo nomen nouum scriptum, &c. Magna erit iocunditas visionis diuinæ. Calculus candidus est corpus immortale gloriosum. Nomen in calculo scriptum est: quia filij dei ex gloria corporis apparebunt. Tertio quia nomina diuitum transierunt per ora porcorum, id est hominum bestialium: à quibus laudabātur. Vocauerunt enim nomina sua in terris suis, Ideo dicit dominus, Non transibunt nomina eorum per labia mea. Quis pomum ore porci masticatum, libenter ponat in ore suo? Nomen malorum quod mundo est honorabile, deo est abominabile. Lucæ 16. Quod hominibus altū est: abominatio est apud deum. Quarto quia diues malus dei iudicio quantum ad personam suam nihil est in valore. A mundo etiam valor eius pensatur ex eis quæ sibi adiacent. Ipsemet etiā personam suam vilem habet suam sibi præponendo: quæ quasi nō est. Sene. Nihil est ei seipso vilius. Pithagoras, Si pecuniam habueris, necesse est vt teipsum aut pecuniam vilem habeas. Cum igitur persona diuitis mali modis prædictis nihil sit merito non nomine personæ quæ quasi nihil est: sed ex iis quæ adiacent notificatur. Sene. Magnam pecuniam habet: hominem illum rudicas. archa est. Quis ærario: quis plenis inuidet loculis? Et iste quem dominum existimas, pecuniæ loculus est. Circa secundum notādum quòd diues dicitur aliquis vel quia diuicias habet: vel quia diuicias amat.

2. Nota quòd diuitem primo modo deus non abijcit cum ipse sit diues. Iob.36. Deus potentes non abiicit: cum ipse sit potens. Sic Abraham diues fuerat: qui tamen in requie erat. Gene.18. Erat Abraham diues valde. Sed diuites secūdo modo, à regno dei excludentur. Mat.19. Facilius est ca-

melūm

melũ per foramẽ acus intrare: quã diuitẽ intrare in regnũ cælorũ 1.Ti.6. Qui volũt diuites fieri,incidũt in tentatio-nẽ,&c.Hoc modo fuit diues epulo. Qui diuicias amãt nõ vere habẽt vel possident eas: immo potius habẽtur ab eis. Ideo viri diuiciarum dicuntur in Psal. Vnde nomen Cain interpretatur,possessio,qui figurã tenet auarorum. Potius est auarus possessio,quã possessor.Et notandum quòd licet habere diuicias nõ sit malũ:occasio tamẽ est malorũ,quia secundum Senecam, Multum est diuiciarum contubernio non corrumpi.Ecclesiastici.11.Si diues fueris, nõ eris immunis à delicto. Difficile est spinas diuiciarum ab aliquo contrectari & ipsum non cruentari. Ideo diues fuisse primo ostenditur: vt materia sequentium malorum agnoscatur,scilicet diuiciæ.Circa tertium notandum quòd tribus modis circa diuicia contingit peccate, eas, scilicet, male acquirendo, male expendendo, & auare retinendo. Per veterem legem manifestum erat quòd iniusta acquisitio erat damnabilis.Furtum enim manifeste prohibebatur in ea. Sed hoc exemplo vult dominus ostendere quòd infidelis dispensatio & auara retentio possit esse damnabilis Et nota quòd ad infidelem dispensationem pertinet illud, Et epulabatur quotidie splẽdidè. Ad auaram retẽtionem pertinet illud, Et nemo illi dabat. Gre.in homel. In veteri lege non tenacitas sed rapina mulctatur. Ibi res iniuste sublata quadruplici restitutione punitur. Hic autem diues abstulisse aliena non reprehẽditur: sed propria non dedisse.Nec dicitur quia vi quempiã oppresserit: sed quia in habitis rebus se extulit.Hinc colligendum est qua pena mulctandus sit qui aliena diripit:si in inferni damnatione percutitur qui propria non largitur. Item Gre. Diues iste non idcirco punitus est quoniam aliena abstulit: sed quia acceptis rebus semetipsum male dereliquit. Hoc solũ fuit quod hunc inferno tradidit,quia videlicet in sua felicitate tumidus fuit: quia accepta dona ad vsum arrogantiæ inflexit:quia viscera pietatis ignorauit: quia peccata sua redimere etiam cum sibi abũdaret præcium noluit. Item notandum quod bonum rerũ temporalium non est positum in multitudine vel magnitudine earum: sed in vsu.vnde Sen. Doce non esse positum bonum vitæ in spacio, sed in vsu.Idem intelligit de aliis rebus temporalibus. Ad malũ

suum

ſuum habuit diuicias qui gratiam bene vtēdi illis non accepit. Eccleſiaſtes. 5. Eſt infirmitas peſſima quam vidi ſub ſole: Diuiciæ conſeruatæ in malum domini ſui. De diuiciis ſuis diues iſte ſibi fuit prodigus: proximo auarus. ecce vſus malus. Circa ſe vſus eſt eis ad ſuperfluitatem: proximo non ſubuenit ad magnam neceſſitatem. Cum dominus eſſet ei largus ipſe domino in paupere fuit auarus. Ideo fuit maledictus. Augu. Maledictus diſpenſator auarus: cui largus eſt dominus. Diuiciis ſuis vſus eſt ad ſuperfluum veſtitum & victum. Veſtes enim præcioſas habere voluit ad gloriam, quòd notatur ibi, Induebatur purpura. Item molles voluit habere ad delicias: ad quod pertinet illud, Et byſſo. quod eſt genus lini candidi & molliſſimi. Ad victum ſuperfluum pertinet illud, Epulabatur quotidie ſplendide. Circa veſtitum notandum quòd veſtitus multis de cauſis poteſt eſſe reprehenſibilis: videlicet. Primo propter ſumptuoſitatem, vel præcioſitatem. Grego. in homel. Sunt nonnulli qui cultum ſuprilium præcioſarunque veſtium non putant eſſe peccatum: quod ſi culpa non eſſet, nequaquam ſermo diuinus tam vulgariter exprimeret quòd diues qui torquetur apud inferos byſſo & purpura indutus fuiſſet. Indignum eſt vili cineri fieri ſaccū purpureum. Secundo propter multiplicitatem: cum mutatoria tot habentur quòd à tineis comeduntur: & Chriſtus in pauperibus nudus remanet. Iob. 24. Nudos dimittunt homines veſtimenta tollentes: quibus non eſt operimentum in frigore. Auferre dicuntur quibus cōferre tenentur: ſcilicet pauperibus. Ieronymus, Aliena rapere cōuincitur qui vltra neceſſitatem ſibi retinere comprobatur. Ber, Clamāt nudi, clamant famelici, & conqueruntur. Et ponit verba conquerentium. Nobis inquiunt fame & frigore miſerabiliter laborantibus quid conferunt mutatoria vel extenſa in porticis vel plicata in manicis? Noſtrū eſt quod effunditis. Nobis crudeliter ſubtrahitur quod inaniter expenditis. Iacobi 5. Agite nunc diuites: plorare vlulantes in miſeriis quæ euenerunt vobis. Diuiciæ veſtræ putrefactæ ſunt: veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt. Tertio propter ſtudioſam curioſitatem. Grego. Nemo exiſtimet in luxu atque ſtudio precioſarum veſtium peccatum deeſſe. Quia ſi hoc culpa non eſſet: nullomodo dominus Ioannē

veſtimenti

vestimenti sui asperitate laudasset. Quarto propter indecentiam: vt cum non est vestitus secundum statum personæ: sicut cum clericus militarem vestem vult habere: vel religiosus secularem: vel vir femineam. Soph. 1. Visitabo super viros indutos veste peregrina. Vestis peregrina est quæ non est secundum statum personæ. Deut. 22. Non induetur mulier veste virili. Nec vir vtetur veste fœminea. Quinto propter vane gloriosam ostentationem. Ecclesiastici. 9. In vestitu ne glorieris vnquam. Gre. in homel. Nemo vestimenta præcipua nisi ad inanem gloriam quærit, videlicet vt honorabilior ceteris esse videatur. Nam quia pro sola inani gloria vestimentum preciosius quæritur: res ipsa testatur, quia nemo vult ibi præciosis indui vbi à nemine possit videri. Quam culpam possumus melius ex diuerso colligere: quia si abiectio indumenti virtus non esset: Euangelista vulgariter de Ioanne non diceret, Erat vestitus pilis camelorum. Sexto propter præsumptionem. Ex vanitate enim vestis præsumitur vanitas mentis. Ecclesiastes. 19. Amictus corporis, &c. enunciát de illo. Septimo propter anticipationē. Dei enim ordinatione oportet nos prius esse pannosos quantum ad corpus, quam gloriosos. Lu. 2. Hoc vobis signum: Inuenietis infantem pannis inuolutum. Phi. 2. Qui reformabit corpus humanitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Zacha. 3. Dicitur de Iesu magno sacerdote, Auferte ab eo sordida vestimenta: & induite eum mutatoriis. Sequitur, Et epulabatur quotidie splendide. Nota quòd in conuiuiis aliquādo est splendor commendabilis: aliquando reprehensibilis. Commēdabilem autem facit hylaritas charitatis, vel pietatis: de quo Ecclesiastici. 31. Splendidum in panibus bene dicent labia multorum. Roma. 12. Qui miseretur in hylaritate. 2. Cor. 9. Non ex tristicia aut ex necessitate: hylarē enim datorem diligit deus. Splendor reprehensibilis est immoderatæ delectabilitatis: vt cum quæritur ibi delectabilitas non solum secundum gustum: sed etiam secundum visum: vt in colore vini. Prouer. 23. Ne intuearis vinum quādo flauescit in vitro color eius. Attenditur etiam splendor iste non solum quantum ad fercula, sed quantum ad vasa aurea vel argentea: & luminaria superflua quantum ad cenam. Splendide epulantur qui plus expendunt ad pascendum

dum oculos hominum: quam ad pascendum ventres. Ber. in persona pauperũ, Videte quale sit hoc, de fraterna portione pascere oculos vestros. Vita nostra cedit vobis in superfluas copias. Nostris necessitatibus subtrahitur quicquid accedit vanitatibus vestris. Et erat quidam mēdicus, &c. Hic ostenditur diuitis impietas. Et tanguntur septem quæ eius peccatum aggrauant. Primũ est: quòd erat vnus. Si plures fuissent, dicere posset, Quis tot pauperibus sufficeret dare. Ad hoc pertinet illud, Quidam. Secundum est quòd erat mēdicus: in quo datur intelligi magnitudo necessitatis. Tertium est quòd iacebat ad ianuã eius. Chryso. Iacebat ante ianuam eius vt diues dicere non posset, Non vidi. In angulo fuit: aspicere non potui, &c. Grego. in homel. Habuisset fortasse aliquam excusationem diues si Lazarus pauper & vlcerosus ante eius ianuam non iacuisset: si remotus fuisset: si eius inopia non esset oculis importuna. Quartũ est quòd erat vlceribus plenus. Si enim non commouisset eum ad compassionem paupertas: poterat eum mouere magna infirmitas. Non enim solum ore clamauit ad diuitem: sed etiã toto corpore. Petrus Rauennensis, Auribus diuitis obduratis: nihil esset vox vnius clamantis. Vnde dominus ad aperiendũ cor eius totum corpus pauperis vulneribus operuit, vt quot essent vulnera, tot essent ora clamantia. Idem, Purpura & bysso mollibus vestimētis & epulis blandis crudelis anima viscera ferrea nutriebat: quę dominus humanę salutis auidus inquisitor, cupiēs emollire, proiecerat ante ianuam eius pietatis cõflatorium, scilicet Lazarum. Conflatorium dicit propter viscera ferrea. sed potest dici illud Hiere. 6. Frustra conflauit conflator maliciæ eius, &c. Quintum est quòd pauperi vilia sufficeissent. Non quæsiuit præciosa vel delicata: quod non ibi, Cupiens saturari de micis, &c. Pauperem non decent deliciæ: Aug. de verbo domini, Non cogantur diuites pauperum cibis vti: vtantur consuetudine infirmitatis suæ: & doleant se aliter non posse: quia si consuetudinem mutant, ægrotant. Edant superflua: dent pauperibus necessaria. Edant preciosa: dent pauperibus vilia. Et quidem pauperum sunt reliquiæ, non deliciæ. Non oblectamenta: sed fragmenta. Non est mirum si quis non velit dare quæ multum constant: sed hoc est mirum, negare

panem

panem deo in paupere. Iob.22. Aquam lasso non dedisti: & esurienti subtraxisti panem. Sextum est impietas familiæ diuitis ad quod pertinet illud, Et nemo illi dabat. Impius dominus impios habet famulos. Ecclesiasti.10. Secundum iudicem populi: sic & ministri eius. Septimum est quòd canes diuitis mitiores fuerũt pauperi: quam ipse diues. De quo ibi, Et canes veniebant. Petrus rauennensis, Canes vlcera pauperis curant magisterio naturæ: Diues pauperem negligit accusante natura. Item, Diues mitior fuit canibus suis, quam pauperi. Canes enim aliquando pinguia: sed nec micã de mensa eius pauper recipit. Mat. 15. Nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. In eisdem verbis attende quattuor quæ faciunt ad magnitudinem miseriæ pauperi. Primum est paupertas tanta: vt micas habere non valeat. Secundum est infirmitas tanta: vt nulla pars eius vlcere careat. Tertium est visa diuitis cõpia. Quartum est quòd nulla cõsolatio inde est accepta. Greg. in homel. Quantus putamus fratres charissimi tunc in corde pauperis tumultus tentationis fuit: cui certe poterat ad pœnam sufficere paupertas, etiam si sanus fuisset. Rursum suffecisset ægritudo etiam si subsidiũ adesset. Sed vt probaretur amplius pauper: simul hunc paupertas & ægritudo tabefecit, atque insuper videbat procedentem diuitem obsequentibus consulciri: & se in infirmitate & inopia à nullo visitari. Sequitur; Factum est autem vt moreretur, &c. Hic ostenditur finis vitæ. Et attende quòd ei cui defuerat consolatio humana: parata fuit consolatio angelica. Petrus rauen. Merito pauperi angelica deputantur officia: cui tam crudeliter denegata sunt humanitatis obsequia. Idem. Non dedignãtur eum portare angeli cui prius ministrabãt. Hebr.1. Nonne omnes sunt administratorij spiritus? &c. Qui nõn habuit equos in hac vita: angelos habet portitores in morte. Qui vidisset pauperem in illa vita misera, reputaret eum infelicem, & deo exosum & omni bono indignum: qui tamen dignus erat regno cælesti, quoniã deus in morte se tantum diligere ostendit, quòd ad eius obsequium angelos misit. E contrario qui vidisset diuitem in illa prosperitate, reputasset eum felicẽ, dilectum à deo: & tamen deus habebat eum odio ad mortem. Iam enim erat

adiudicatus patibulo infernali. vnde in Psal. Promptuaria eorum ple. &c. & subditur, Beatum dixerunt populum cui hæc sunt. Sed subditur veritas diuini iudicij, Beatus populus cuius est dominus deus eius. Mortuus est autem diues, &c. Non vnica morte, sed triplici. Prima est culpæ qua separatur anima à deo. 1. Tim. 4. Vidua id est anima à Christo separata in deliciis viuēs mortua est. Secunda est naturæ, qua separatur anima à corpore in durabilitate. Tertia est gehēnę qua separatur anima à gloria. Apoc. 20. Missi sunt in stagnum ignis. hæc est mors secunda. Et sepultus est in infernum. In profunditate enim pœnarum positus est. Apoc. 18. Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum. Nota mortem bonorum esse quasi quandam portam per quam transitur ad gloriam. Econtrario mors peccatorū quæ pessima est, est quasi quędam porta per quam transitur ad gehennam. Iob. 21. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. De sepultura corporis non loquitur hic dominus: quia quantum illa sit honorabilis, tamen parum prodest illi cuius anima in inferno sepelitur. Lazarus fuit margarita in sterquilinio latēs, sicut dicit Gre. de re mala quæ in seculi statu fuit. latebat enim in sterquilinio margarita dei. Sterquilinium hanc corruptibilitatē corporis appello: sterquilinium abiectionem paupertatis nomino. Assumpta est ergo margarita quæ iacebat in sterquilinio: & posita est in cælestis regis ornamēto. Hier. 22. Sepultura asini sepelietur. Sepultura asini talis est. Dominus pellem retinet: carnem vermes comedūt: ossa ad pluuiam & grandinem remanent. Sic bona exteriora, quæ per pellem intelliguntur, filij retinent: quandoque dominus terrenus. Vermes ad litteram carnes comedunt. Anima quæ in durabilitate ossibus assimilatur, pluuiæ & grandini infernali exponitur. De hac sepultura exponitur illud Ecclesiast. 10. Cum moritur homo hæreditabit serpentes: scilicet infernales quantum ad animam. Et bestias: scilicet filios vel dominos terrenos vastantes hæreditatem. Et vermes ad litteram qui corpus comedunt. Eleuās autem oculos, &c. Hic ostenditur status eorum post mortem.

Et attende hic tria, scilicet Statuum mutationem: Dei vindictam congruentem: Peruersitatem diuitis perseuerantem.

rantem. Circa primum nota quòd diues qui solebat esse superius, fuit inferius: quòd notatur ibi, Eleuans oculos. Prouerb. 19. Superbum sequitur humilitas, idest deiectio: & humilem spiritu suscipiet gloria. Qui oculos suos stātuerat declinare in terram: nunc tarde eos eleuat. Oculos quos clauserat culpa: iam apperuerat pæna. Grego. Oculos quos culpa claudit: pæna apperit. Item, Erat in tormentis: qui solebat esse in deliciis. Qui in vita sua bona receperat: nunc mala sua recipiebat. Grego. in homel. Si qui estis qui in hoc mundo aliquid exterioris boni accepistis: ipsum vt ita dicam donum exterius pertimescere debetis: ne vobis pro quorundam vestrorum actuum recompensatione sit datum. Ne iudex qui bona exteriora restituit: à restitutione boni interioris vos repellat. Item, Mendicabat à quo solebāt alij mendicare. O quam graue est sustinere cruciatum ei qui assueuerat deliciis: deiectionem ei qui fuerat in honore. Tantam indigentiam ei qui fuerat in tanta abundantia. Multum esset conandum iis qui honoribus, diuiciis & deliciis assueuerunt, vt saluarentur. Intollerabile enim erit eis carere & conuicia sustinere. Econtra Lazarus supra & in deliciis: & eius beneficium quærebatur. Circa secundum notandum quòd diues specialiter memoratur in lingua cruciari: quia in lingua peccauerat. Sap. 11. Per quæ peccat quis, per hæc & punietur. Petrus rauen. Si iam te possidet ignis inferni: quare solius linguæ desideras æstibus subueniri? an quia magis lingua vritur: magis ardet quæ pauperi insultauit: quæ misericordiam denegauit: & præcedit ad iudicium quæ præcessit ad peccatum? Et primo degustat cruciatus: quæ præciosos cibos & odorata pocula gustauit. Chrysost. Vbi peccatum: ibi pæna. Grego. Quid est quòd in tormētis positus diues linguam suam refrigerari postulat: nisi quòd qui conuiuando magis de loquacitate peccauerat, per retributionis iustitiam in lingua atrocius ardebat. Circa tertium attende præsumptionem diuitis qui Abraham patrem vocat à quo tamen degenerauerat. Petrus rauennensis, Si prius hospitalis in pauperem fuisset: filius Abrahæ esset. Qui genitoris opera non facit: negat genus, dicente domino, Si filij Abrahæ estis: opera Abrahæ facite. Ioh. 8. Misericordiam postulat qui mi-

ſericordiam non habuerat in ſe: vel qui ſine miſericordia fuerat quaſi neſciens illud. Iac. 2. Iudicium ſine miſericordia ei qui non fecit miſericordiam. Item attende impietatem diuitis adhuc perſeuerantem. Qui Lazarum, dum viueret, reliquit miſerum: nunc vult eum efficere miſerum. Vult enim eum facere redire ad miſeriam huius ſeculi. Fleuit dominus Lazarum ſuſcitaturus: Io. 11, quia ad miſeriam huius ſeculi erat eum reducturus. Petit diues Lazarum ſibi mitti. Petit eum mitti ad fratres ſuos. Sic vult vexare pauperem. Sic diuites conſueuerunt pauperes in hoc ſeculo vexare. Item, perſeuerat diuitis ſtulticia quæ mortuo putat magis eſſe credendum, quam viuo & quam legi dei. Sic Saul per phitoniſſam petiit ſuſcitari Samuelem: quẽ volebat conſulere 1. Regum 27. Et notandum quòd diues qui in vita ſua prædicationem deſpexit, poſtquam ſenſit tormenta inferni, pro prædicatione zelare videtur. Petit enim ad fratres ſuos Lazarum mitti, qui tormenta illa eis nunciet. Sic multi vſuratij & aliis viciis irretiti venire ad prædicationem nolunt: qui ſi illa tormenta ſenſiſſent, ipſimet prædicatores fierent. Item, notandum quòd hoc exemplum eſt ſpeculum & diuitum & pauperum. Si diues es, & diuiciis ad gloriam & deliciis vteris, & pauperibus auarus exiſtis; finem ad quem deuenit diues iſte conſequeris. Eadem via ad eundem finem ducit. Si vero iuxta facultatem tuam pauperibus miſericors fueris: ſolatium habes quòd Abraham qui hoſpitalis fuit erat in requie. Gre. in homel. Verba ſacræ lectionis debent nos inſtruere ad implenda mãdata pietatis. Quotidie Lazarum ſi nos quærimus, inueniemus. Quotidie Lazarum ſi nos quærimus, cernimus. Ecce importune pauperes ſe offerunt. Rogant nos qui tũc pro nobis interceſſores venient. Certè nos omnino rogare debuimus: & tamen rogamur. Videte ſi negare debemus quod petitur: quando patroni ſunt qui petunt. Item Gregorius, Pauper cum reprehenſibilis cernitur: moneri debet & deſpici non debet. Si vero reprehenſionis nihil habet: venerari ſummopere ſicut interceſſor debet. Sed ecce multos cernimus, quis cuius meriti ſit neſcimus. Omnes ergo venerandi ſunt: tantoque neceſſe eſt vt omnibus te humiliare debeas: quanto quis ſit ignoras. Idem, quando

iacenti

iacenti in terra porrigitis: sedenti in cælo datis. Si pauper es: attende finem Lazari pauperis, vt in paupertate tua solatium habeas: sciens quòd patientia pauperum non peribit in finem. Ille tristem vitam pertulit: & ad lætam mortem peruenit. Sapiens, Non quod situm est ante oculos sufficit intueri, rerum exitus prudentia metitur.

Dominicæ secundæ post trinitatatem

SERMO PRIMVS.

HOmo quidā fecit cænam magnam, &c. Luc. 14.

Secundum Greg. Hæc cæna est facietas æternæ dulcedinis, quam nobis deus præparauit. Et vocatur cæna non prandium: quia post cænam nullum conuiuium restat, sed post prandium restat cæna. Prandium ergo est refectio spiritualis, que habetur in præsenti: de qua agitur Matth. 22. Cæna vero est refectio præparata in fine seculi: de qua hic agitur.

Homo quidam fecit cænam, &c. In hac parabola tria nobis ostenduntur, scilicet dei liberalitas: hominum peruersitas: & peruersitatis sequela, scilicet damnum proueniens ex ea. Dei liberalitatem sex ostendunt. Primum est huius cænæ notificatio ibi, Homo quidam fecit cænam. Secundum est cænæ magnitudo, ibi, Cænam magnam. Tertium est illorū qui vocati sunt multitudo, ibi, Vocauit multos. Quartum est ira qua nolentibus venire ad cænam iratus est, ibi, Tunc iratus pater familias, &c. Quintum instantia quam fecit inuocando. Pluries enim & ad plura loca mittit pro conuiuis habendis. Sextum est compulsio: de qua ibi, Compelle intrare. Peruersitatem hominum ostendit triplex excusatio, quam vocati ad cænam faciunt. Damnum sequens ex hac peruersitate ostenditur ibi, Dico vobis quòd nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabunt cænam meam. Circa primum notandum quòd auarus cum facit conuiuium, occultat illud. Deus vero ex liberalitate sua cænam suam vult omnibus notā fieri. Vnde ipse & per se & per seruos suos nunciat eam. De ea multum locuti sunt sancti. Esa. 25. sic legitur, Faciet dominus

exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium: conuiuium vindemiæ. Pinguium medullatorum: vindemiæ defæcatæ. In pinguedine intellige gaudij plenitudinem. Io.16. Petite & accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum. In medulla quæ infra oſſa abſconditur, gaudij ſecuritatem. In eodem, Et gaudium veſtrum nemo tollet à vobis. In defecatione gaudij puritatem. Hic dolor riſui miſcetur. Prouerb.14. Sed ibi aufert dominus omnem lachrimã. Eſa.25. De hac cena etiam loquitur Eſa.65. Serui mei comedent & vos eſurietis, &c. De hac cæna locutus eſt Dauid. Satiabor inquit cum apparuerit gloria tua. & 1.Cor.2. Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus his qui diligunt illum. De hac etiam loquitur dominus hic: itẽ Lu.22. Ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnum vt, &c. Circa magnitudinem huius cænæ notandum quòd hæc cæna magna eſt diuturnitate: quia æterna. Eſa.65. Gaudebitis & exultabitis vſque in ſempiternum, &c. in eodẽ, Exultabo in Ieruſalem: & gaudebo in populo meo: & non audietur in ea vox fletus vltra. Eiuſdem 51. Veniẽt in Sion laudãtes: & lætiсia ſempiterna ſuper capita eorum, &c. Item, Magna eſt quantum ad conuiuas. Nulli enim conuiuæ erunt ibi niſi magni. Vnde dixit dominus Auguſtino, Cibus ſum grandium, &c. & Ge.penul. Aſer pinguis panis eius. & præbebit delicias regibus. Aſer interpretatur beatitudo. Soli reges deliciis æternæ beatitudinis fruẽtur. Item, Quantum ad ea quæ parata ſunt. Multa enim & magna & valde delectabilia: & cum magnis expenſis ſunt parata. Vere multa fercula erunt in cæna illa. Nihil enim erit ibi quod non paſcat: quod refectioni non deſeruiat. Vnus enim in gloria alterius delectabitur & non ſolum in propria: propter nimiam charitatem quæ communicabit omnia. Et licet ſufficiat ſeruo ſi ſit ſicut dominus eius: tamen cæna illa ampliata eſt propter ſeruos: vt ferculo deitatis ſit additum ferculum humanitatis. Charitas enim patris filium incarnari fecit vt electi non ſolum delectentur in eius deitate: ſed etiã in aſſumpta humanitate. Quã partem gloriæ dominus voluit oſtendere in ſua transfiguratione. Matth.17. & Luc. & Marci 9. Fercula huius cænæ figurata ſunt Nume.13. in fructibus quos attulerunt

explo

exploratores de terra promissionis: qui fuerunt ficus, vua, & malogranata. In ficu, intellige dulcedinem deitatis. Prouer. 27. Qui seruat ficum, comedet fructus eius: & qui custos est domini sui, glorificabitur. In vua, Christi humanitatem in torculari crucis expressam. In malogranatis, sanctorum ordinatam societatem. Ordinate enim se habent grana in malogranato. Item magna sunt fercula huius cænæ: vnum enim ferculum est quod solum sufficeret. Ioh. 14. Domine ostende nobis patrem & sufficit nobis. In vno ferculo omnia administrabit. vnde dominus dixit Moysi, Exod. 33. Ego ostendam tibi omne bonum, Omne bonũ ministrabitur in illo qui erit omnia in omnibus 1. Cor. 15. Item valde delectabilia parata sunt. Delicias enim quibus ab æterno deus beatus est seruis suis in cæna illa communicabit. Cum ad seruos non videantur deliciæ pertinere ex mira liberalitate est quòd dei maiestas seruis suis tantas delicias velit communicare. Plus sunt deliciæ illæ respectu deliciarum quæ sunt in mundo isto, quas dei inimici lingunt: quã sit mare respectu vnius guttæ aquæ. Bernard. Reuera illud est verum & solidum gaudium quod non de creatura: sed de creatore concipitur. Quod cum possederis nemo tollet à te. Cui comparata omnis aliunde iocunditas mæror est: omnis suauitas dolor: omne dulce amarum: omne decorum fætidum: omne postremo quodcunque aliud delectare possit, molestum. Tales sunt deliciæ cænæ illius: quòd inuitatio ad eam beatum reddit. Apoc. 19. Beati qui ad cænam nuptiarum agni, &c. Item, Esuriens huius cænæ beatum efficit. Luc. 6. Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini. Solus odor huius cænæ quem sentiunt sancti in præsenti, præualet gaudio huius mundi. Item, Magnis expensis præparata est cæna ista: quia morte Christi. Tanta est delectabilitas huius cænæ: quòd sancti qui prægustauerunt de ciuitate illa: mortem non reputabant qua ad hanc cænam se peruenire sperabant. Rom. 8. Non sunt cõdignæ passiones, &c. Item, Magna est cæna ista: quãtum ad ministros: Ministrabit enim ibi filius dei. Luc. 12. Amen dico vobis, quia faciet illos discumbere: & transiens ministrabit, &c. Item spiritus sanctus pigmenta suauitatis ibi ministrabit. Ipse fluuio nectareo lætificabit ciuitatem Dei. Dauid, Tor.

rente voluptatis;&c.Circa tertium notandum quòd dominus ad cænam suam multos vocauit. Matth. 22: Multi vocati.&c.Immo omnes videtur vocasse. Eiusdem 11. Venite ad me omnes qui laboratis,&c.Nec solum vocat multos:immo & multis modis.vnde Greg.in homelia sua dicit,Vocat dominus multipliciter,scilicet, Vocat Deus per se:vocat per angelos:vocat per patres:vocat per prophetas:vocat per apostolos:vocat per pastores:vocat plerunque per flagella:vocat aliquando per mundi prospera:vocat aliquando per aduersa. Nemo ergo contemnat:ne dum vocatus excusat:cum voluerit introire non valeat. Circa quartum notandum quòd multum irascitur Deus contra illos qui vocati ab eo nolunt venire ad tantas delitias.Nec mirum:cum ad suasionem diaboli currant ad infernales miserias. Hæc ita nobis ostenditur, Prouerb.1. Vocaui, inquit,& renuistis:extendi manum meam,& non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum,& increpationes meas negle.Ego quoque in interitu vestro ridebo,&c.Signum magnæ offensæ erit quòd dominus de morte filiorum suorum quos sanguine redemit,gaudebit. Circa quintum notandum quòd dominus ad diuersa loca misit pro conuiuis vocandis. Immo ad omnia loca videtur misisse.In omnem enim terram exiuit sonus vocantiũ: & in fines orbis terræ verba eorum.Vocatio, est prædicatio. Marc. vlt.Euntes in mundum vniuersum prædicate euangelium omni creaturæ.Qui crediderit, &c.Circa sextum notandum quòd cum hospites non solum sint inuitandi sed etiam trahendi:dominus ad cænam suam compellit intrare.Nonne compulit Paulum , qui visu amisso conuersus est.Act.9.Item filium prodigum,qui fame compulsus rediit ad patrem suum.Luc. 15. Multis claudit dominus viam inferni vt redeant in paradisum. Oseæ 2. Sepiam viam tuam spinis, &c. Greg.in homel. Viæ nostræ spinis septæ sunt:quando in hoc quòd male cupimus dolorem compunctionis inuenimus. Viæ nostræ maceria sepiuntur:cum desideriis nostris duræ in hoc mundo abiectiones resistunt.Multi vinculo ægritudinis ligantur à domino:ne possint facere quod non debent facere. Sen. Infirmitati meæ gratias ago:quæ cogit me non posse:quod non debeo velle.Multos persecutiones compellunt redire ad deum.

deum. Exo. 12. Vrgebant Aegyptij filios Israel exire velociter de Ægypto. Multos trahit dominus ad se tribulationibus. Cant. 1. Trahe me post te. Ber. Trahimur cum tentationibus & tribulationibus exercemur. Oseæ 11. In funiculis Adæ trahã eos, &c. Multi timore periculi vouent quòd deserent mundum: & intrabunt claustrum. Aug: Felix necessitas quæ ad meliora compellit. Cum multis dominus misericorditer agit in quos sæuire videtur. Augu. in libro confessionum. Exercui omnia legitima tua: nec euasi flagella tua. Nam tu semper aderas misericorditer sæuiens & amarissimis aspergens offensionibus omnes illicitas iocunditates meas: vt ita quęrerem sine offensione iecundari. Gre. in homel. Loquens de illo verbo, compelle intrare: dicit, Alij vocantur, & venire contemnunt: alij vocantur, & veniunt. alij compelluntur, vt intrent. Vocantur quidem & venire contemnunt: qui donum intellectus accipiunt: sed eundem intellectum operibus nõ sequuntur. Vocantur & veniunt: qui acceptam intellectus gratiam operando perficiunt. Quidam vero sic vocantur: vt etiam compellantur. Vident enim quæ agere debeant, sed hæc ex desiderio non sequuntur. His plerunque contingit vt eos in carnalibus desideriis suis mundi huius aduersitas feriat apprehendere temporalem gloriam conentur & nequeant: & quòd per alta pelagi quasi ad grandiores curas huius seculi nauigare proponunt: semper aduersis flatibus: à delectationis suæ liquore repellantur. Cumque se frangi desideriis suis aduersante mundo conspiciunt: quid de se auctori suo debeant commemorantur: ita vt ad eum erubescentes redeant: qui eum superbientes pro mundi amore deseruerant. Circa excusationes quæ peruersitatem hominum ostendunt: notandum quòd valde peruersum est quòd aliquis se excuset: ne ad id veniat circa quod quiescere non valeat: quod naturaliter desiderat: & propter quod obtinẽdũ factus est. Ad delicias huius cænæ factus est homo: nec circa illas perfectè quiescit. Aug. in lib. confessionum, Domine fecisti nos ad te: & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te. Item valde peruersum est aliquem se excusare, cum monetur ad hoc quòd omnino necesse habet facere: nisi velit æternaliter perire. Lu. 10. Porro vnum est necessarium, ad cænam, sci-

rente voluptatis,&c.Circa tertium notandum quòd do-
minus ad cænam suam multos vocauit. Matth. 22. Multi
vocati.&c.Immo omnes videtur vocasse. Eiusdem 11. Ve-
nite ad me omnes qui laboratis,&c.Nec solum vocat mul
tos: immo & multis modis.vnde Greg.in homelia sua di-
cit; Vocat dominus multipliciter,scilicet, Vocat Deus per
se: vocat per angelos: vocat per patres: vocat per prophe-
tas: vocat per apostolos: vocat per pastores: vocat plerun-
que per flagella: vocat aliquando per mundi prospera: vo-
cat aliquando per aduersa. Nemo ergo contemnat: ne
dum vocatus excusat: cum voluerit introire non valeat.
Circa quartum notandum quòd multum irascitur Deus
contra illos qui vocati ab eo nolunt venire ad tantas deli-
tias.Nec mirum: cum ad suasionem diaboli currant ad in-
fernales miserias. Hæc ita nobis ostenditur, Prouerb. 1.
Vocaui, inquit,& renuistis: extendi manum meam,& non
fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum,&
increpationes meas negle.Ego quoque in interitu vestro
ridebo,&c.Signum magnæ offensæ erit quòd dominus de
morte filiorum suorum quos sanguine redemit, gaudebit.
Circa quintum notandum quòd dominus ad diuersa loca
misit pro conuiuis vocandis. Immo ad omnia loca vide-
tur misisse.In omnem enim terram exiuit sonus vocantiũ:
& in fines orbis terræ verba eorum. Vocatio, est prædica-
tio. Marci vlt. Euntes in mundum vniuersum prædicate
euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, &c. Circa sex-
tum notandum quòd cum hospites non solum sint inui-
tandi sed etiam trahendi: dominus ad cænam suam com-
pellit intrare. Nonne compulit Paulum, qui visu amisso
conuersus est. Act. 9. Item filium prodigum, qui fame com-
pulsus rediit ad patrem suum. Luc. 15. Multis claudit do-
minus viam inferni vt redeant in paradisum. Oseæ 2. Se-
piam viam tuam spinis; &c. Greg. in homel. Viæ nostræ
spinis septæ sunt: quando in hoc quòd male cupimus do-
lorem compunctionis inuenimus. Viæ nostræ maceria
sepiuntur: cum desideriis nostris duræ in hoc mundo ab-
iectiones resistunt. Multi vinculo ægritudinis ligantur à
domino: ne possint facere quod non debent facere. Sen.
Infirmitati meæ gratias ago: quæ cogit me non posse: quod
non debeo velle. Multos persecutiones compellunt ire ad
deum.

deum.Exo.12.Vrgebant Aegyptij filios Israel exire velociter de Ægypto.Multos trahit dominus ad se tribulationibus.Cant.1.Trahe me post te. Ber. Trahimur cum tentationibus & tribulationibus exercemur.Oseæ 11.In funiculis Adæ trahā eos,&c.Multi timore periculi vouent quòd deserent mundum:& intrabunt claustrum. Aug: Felix necessitas quæ ad meliora compellit. Cum multis dominus misericorditer agit in quos sæuire videtur.Augu. in libro confessionum.Exercui omnia legitima tua:nec euasi flagella tua.Nam tu semper aderas misericorditer sæuiens & amarissimis aspergens offensionibus omnes illicitas iocunditates meas:vt ita quęrerem sine offensione iecundari.Gre.in homel.Loquens de illo verbo, compelle intrare:dicit,Alij vocantur, & venire contemnunt: alij vocantur,& veniunt.alij compelluntur,vt intrent. Vocantur quidem & venire contemnunt:qui donum intellectus accipiunt:sed eundem intellectum operibus nō sequuntur. Vocantur & veniunt: qui acceptam intellectus gratiam operando perficiunt.Quidam vero sic vocantur:vt etiam compellantur. Vident enim quæ agere debeant, sed hæc ex desiderio non sequuntur. His plerunque contingit vt eos in carnalibus desideriis suis mundi huius aduersitas feriat apprehendere temporalem gloriam conentur & nequeant:& quòd per alta pelagi quasi ad grandiores curas huius seculi nauigare proponunt: semper aduersis flatibus:à delectationis suæ liquore repellantur.Cumque se frangi desideriis suis aduersante mundo conspiciunt: quid de se auctori suo debeant commemorantur:ita vt ad eum erubescentes redeant:qui eum superbientes pro mundi amore deseruerant. Circa excusationes quæ peruersitatem hominum ostendunt:notandum quòd valde peruersum est quòd aliquis se excuset: ne ad id veniat circa quod quiescere non valeat:quod naturaliter desiderat:& propter quod obtinēdū factus est.Ad delicias huius cænæ factus est homo: nec circa illas perfectè quiescit. Aug. in lib.confessionum,Domine fecisti nos ad te: & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te. Item valdè peruersum est aliquem se excusare,cum monetur ad hoc quòd omnino necesse habet facere: nisi velit æternaliter perire.Lu.10.Porro vnum est necessarium,ad cænam, sci-

licet,peruenire.Item peruersum est alia negocia prætendere:cum de illo negocio monemur, quod ante omnia alia necesse habemus facere.Matth.6.Primum querite regnum dei & iustitiam,&c. Hoc est negocium negociorum, scilicet, propriæ saluti intendere. Ad cænam istam ad quam multi rogati nolunt venire: etiam per multos gladios si necesse esset deberet ipsi festinare.Bernar.Quid est quod non optamus etiam per medios enses, si oporteat declinare tantam miseriam: & ad tantam accelerare gloriam:nisi quòd mortua est fides nostra? Circa excusationem primi:quinque specialiter sunt aduertenda.Primũ est quòd impedimentum salutis suæ emerat. Villam inquit emi.Secundum est quòd cum dominium temporalium susceperit:in seruitutem incidit.vnde subditur, Necesse habeo exire.Tertium est quòd cum custodiæ aliorũ intenditur, negligentia circa sui custodiam incurritur: quod notatur in verbo exeundi.Cant.1. Posuerunt me custodem in vineis.Vineam meam non custodiui.Quartum est quòd post emptionem villam videre vadit:quam ante emptionem videre debuit.Prouer.vlt. Considerauit agrũ, & emit illum.Quintum est quòd domino multarũ rerum temporalium parua vtilitas sit. Visio enim est fructus quem habet inde.Ad quod pertinet illud, Et videre eam. Ecclesiastes 5.Vbi multæ opes,multi qui comedunt eas:& quid prodest possessori, nisi quòd cernit diuicias oculis suis?Et frequenter videt eas cum multa afflictione:vt cum videt se damnificari in eis.Fatuitatem præcedentis secundam excusationem ostendit Ber.his verbis.Iumentis, inquit,conuincitur bestialior & stolidior homo:quòd iugã necessitatis quinque sensuum propria subeat voluntate, &c.Nam vt mercedem pro opere suo quis tribuat inauditum est. Quid iuga boum emit, cui iugum suaue gratis offertur?Quid est melius, quinque eligere quàm vnum? Quis potest seruire quinque prædonibus? Oculus meus inquit deprædatus est animam meam. Tren.3. Et sciẽdum quòd iugum quinque sensuum valde graue est: quia non satiatur oculus visu:nec auris auditu.Ecclesiastes 1.Tyrãnidem magnam exercet sensualitas. Prouer.30. Per tria mouetur terra:& quattũ non potest sustinere.Per seruum cum reg.&c.Seruus regnans est spiritus contra deum intumes

tumescens. Stultus satiatus cibo: est animus deliciis infatuatus. Mulier odiosa in matrimonium assumpta: est voluptas spiritus hominis. Ancilla hæres dominę, est sensualitas dominium rationi auferens. secundum Greg. Ista excusatio pertinet ad vitiū curiositatis: de quo Greg. Graue curiositatis est vitiū: quæ dum cuiuslibet mentē ad inuestigandam vitā proximi ducit, semper ei sua intima abscondit, vt aliena sciens se nesciat, & curiosi animus quāto peritus fuerit alieni meriti: tanto fiat ignarus sui. Ecclesiastici. 21. Pes fatui facilis in donum proximi sui. Circa excusationem tertij notādum quòd si vxor ad literam accipitur: nulla excusatio videtur. Cum enim vxor sit adiutorium à deo datum, secundum illud Gen. 2. Non est bonum hominem esse solùm: faciamus ei adiutorium, &c. Qui vxorem duxit maxime si bona est, potentior videtur esse ad veniendum ad cænam dominicam. vnde ecclesiastl. 26. Mulieris bonæ beatus vir. Si vxor ista intelligatur voluptas carnis secundum expositionem beati Grego. datur ex hoc intelligi quòd voluptas corporis hominem impotentem efficiat & quasi paraliticum, ad quod pertinet illud, Nō possum venire. Voluptas est mulier illa de qua Ecclesiasti. 7. Inueni amariorem mortē mulierum, &c. Oseæ 5. Non dabunt cogitationes suas vt reuertantur ad deum suum: quia spiritus fornicationum in medio eorum: & dominū non cognouerunt. Circa damnū sequens ex peruersitate excusantiū se, quod ostēditur verbo illo, Nemo virorū qui vocati sunt, gustabit cęnam meam: notādū quòd iuste irasci tur dominus contra illos qui contemnunt eius cænā tam delicatam, & tantis expensis præparatam: sicut iratus fuit contemnentibus manna. Nu. 21. Nauseat inquiunt, anima nostra super cibo isto leuissimo. & subditur, Quamobrem misit dominus in populum ignitos serpentes. Cæna ista manna est, habens omne delectamentum, & omnis saporis suauitatem. Num. 16. Iuste offenditur do. &c. item. Cum aliqui voto se obligant ad aliquas obligationes: & post nō curant eas obseruare. Contra tales dicitur ad Hebr. 4. Nolite contristare, &c. Spiritu sancto signatur qui baptizatur, quia caracter ei imprimitur: vel qui votum religionis emittit signatur, quia habitu à ceteris hominibus discernitur. qui spiritum sanctum contristat: cum ea quæ promisit

non ob

nō obseruat. Eccl. Melius erat viam ve. non ag. &c. Prou. 20. Ruina est homini deuotare sanctos: & post vota retractare. Ecclesiast. 9. Est qui præ confusione promittit amico suo: & lucratus est eum inimicū gratis. prouer. 25. Nubes & ventus & pluuiæ non sequētes vir gloriosus, & promissa non complens. Contra tales dicit dominus exemplū de duobus filiis, quorum vnus respondit patri quòd nolebat ire in vineam, & tamen iuit: reliquus dixit eo, & non iuit. & subdit dominus, Amen amen dico vobis quòd publicani & meretrices præcedent vos in regnum dei. Matthe. 21.

Sermo secundus de eodem.

HOmo quidā fecit cænam magnā &c. Cena corporalis est refectio quam sequitur somnus corporalis. cæna vero dominica est refectio quam comitatur somnus æternæ quietis. Cantic. 1. Indica mihi vbi pascas, vbi cubes in meridie, id est in æternæ felicitatis claritate. Deliciæ mundi non possunt proprie dici cæna: vsum enim earum sequitur vexatio mentis. Sunt enim velut cibus inflatiuus: ventosus & indigestibilis. Illi enim qui plus habēt de bonis istis temporalibus inflantur & contra deū & contra proximum. Iob. 15. Quid tumet contra deum spiritus tuus &c. 1. Corin. 4. In nobis discatis ne vnus contra alterum infletur. In eodem, Quid habes quod non accepisti? Si autē accepisti: quid gloriaris, quasi non acceperis? 1. Timo. vlti. Diuitibus huius seculi præcipe non sublime sapere. Item habent verba ventosa. Item licet delectatio in bonis præsentibus sit transitoria: tamen interminabilis est pœna. prouer. 20. Suauis est homini panis mendacii. Et post implebitur os eius calculo qui non potest masticari nec digeri. Et notādum quòd cum deus præparauerit nobis cænam magnam: libenter debemus ei parare saltem cænam paruam.

Duplicem cænam vult sibi dominus parari. Prima est cæna corporalis, quæ ei paratur in paupere. Mar. 25. Quod vni ex minimis meis fecistis, &c. Secunda est cæna spiritualis, quæ ei paratur in mente. Apoca. 3. Ecce ego sto ad

ostium

ostium & pulso. Siquis audierit vocem, &c. Stat dominus expectando ad pænitentiam. Esa. 30. Expectat dominus vt misereatur vestri. Pulsat dominus ad ostium cordis, quod est voluntas. Inspirando: Prædicádo: Beneficia conferédo: vel affligendo. Intrat dominus gratiam infundendo ostio cordis aperto per bonum consensum.: sicut sol intrat domum aperta fenestra. Cænat dominus cum illo in fide eius vel in puritate operum delectando. Ipse enim pascitur inter lilia. Cant. 1. Homo etiam cænat cum illo de conscientiæ puritate lætando. Deliciæ dei sunt esse cum filiis hominum. Prou. 8. Et vocauit multos. Cum ad cœnam dominicã simus inuitati: tria debemus facere quæ solent facere inuitati ad cænam magnam corporalem. Primum est temperare nos à cibo qui cænam posset nobis auferre: & hæc est vna ratio quare viri sancti in præsenti ieiunant, scilicet ne amittant cænam illam. Viri sancti in præsenti ieiunant ne amittant illam beatam cænam: & ne contristent inuitatorem: & ne expensæ pro cæna factæ ab eis requirantur. Ecclesiastes 10. Væ tibi terra cuius rex est puer: & cuius principes manè comedunt. Secundo debemus consolari nos spe huius cænæ si forte esuriamus, & sitiamus meditantes illud Luc. 6. Beati qui nunc esuritis: quoniã saturabimini. Tertio debemus prægustare aliquid in contemplatione ne dilatione cænæ deficeremus. Dauid, Gustate & videte quoniã suauis est dominus. Contemplatio vero circa tria versatur. Primo circa creaturas visibiles. Secundo circa creaturas inuisibiles. Tertio circa dei inuisibilia. Quæ species contemplationis nobilior est. Tullius, Cibus & pabulum animorum humanorum est cognitio & contemplatio sempiternæ naturæ. Et misit hora cænæ, &c. Quia parata sunt omnia. In hoc quòd dicuntur omnia esse parata, datur intelligi quòd manuum ablutioni sit intendendum: Væ illi qui negligentia abluendi manum: tantam & talem cænam amittet. Et cœperunt omnes excusare, Causa huius excusationis est inexperientia internæ & æternæ dulcedinis, vt ostendit Gre. in homel. His verbis, Corporales inquit deliciæ cum non habentur, graue in se desideriũ accendunt, Cum vero habitæ eduntur, comedentem protinus in fastidium per satietatem vertunt. Econtrario spirituales delitiæ cum non habentur, in fastidio sunt: cum vero

habeu

habentur, in desiderio. Quantomagis sapor earum percipitur: eo amplius cognoscitur, quod auidius sumatur. Et propterea non habitæ amari non possunt, quia earum sapor ignoratur. Quis enim amare valeat quod ignorat? Fastidium vero spiritualis dulcedinis sequitur fames bonorum temporalium. Omnis enim peccator famelicus est: vt dicit filius prodigus de se, Lucæ 15. Ego inquit hic fame pereo. Est autē superbus famelicus honoris: auarus famelicus est pecuniæ: voluptuosus famelicus est delitiarum. Et ad hæc tria pertinent tres excusationes quæ sequuntur. Grego. in homel. Quia gustare intus nolumus paratā dulcedinem: amamus miseri forisnostram famem. Ea scilicet que nos famelicos reddunt.

Dominicæ tertiæ post trinitatem,

SERMO PRIMVS.

ERant appropinquantes ad Iesum publicani & peccatores, &c. Lucæ 15.

Hoc Euangelium tria ostendit, videlicet Primo saluatoris dignationem recipientis peccatores ad se veniētes. Secundo scribarum & phariseorum indignationem murmurantium de hac receptione, ibi, Et murmurabant. Tertio saluatoris instructionem sedantis hoc murmur, ibi, Et ait ad illos parabolam istam, &c. Erant appropinquantes ad Iesum, &c. Non erat mirū si saluatori appropinquabāt hi, qui salute indigebāt. Mat. 9. Nō est opus valētibus medicus, sed male habentibus. Augu. Domine, medicus es, & æger sum: misericors es, & miser sum. sana ergo, & misere re. Item. Non erat mirū si ei appropinquabāt cuius māsuetudinē odoriferam à prophetis prædictā senserāt. Zacha. 9. Ecce rex tuus venit tibi mansuetus. In Psalmis, Procede & regna: propter veri. & man. & iusti. Ber. super Cantic. Omnino propter māsuetudinē quæ in te prædicatur curri mus post te domine Iesu, audiētes quòd nō spernas paupe rē: peccatorē nō horreas. Nō horruisti cōfitentū latronē:

non lachrimantem peccatricem: non Chananeam supplicantem: non deprehensam in adulterio: non sedentem in theloneo: non supplicantem publicanum: non negantem discipulum: nō persecutorem discipulorum: nec ipsos crucifixores tuos. In odore ergo vnguentorum tuorum currimus. Mansuetudo habet naturam quasi adamantinam. Adamas ferrum ad se trahit: & mansuetudo corda ferrea trahit. Et notandum quòd cum generaliter longe à peccatoribus sit salus: aliqui à deo sunt remoti ab ea, quòd non possunt ei appropinquare: vt damnati qui iam sunt in inferno. vnde Lucæ.16. Eleuans autem oculos sursum cum esset in tormentis vidit Abraham à longe. & paulopost, Inter nos & vos chaos magnum firmatum est, &c. In præsenti vita possibilis est & appropinquatio & elongatio. Et alij deo appropinquant: alij vero ab eo se elongant. De elongantibus dicit Dauid, Qui elongant se à te, peribunt. Elongatio vero ista fit per consensum prauum: per opus malum: & per consuetudinem malam. Hæc est via trium dierum qua itur ad infernum. Inter propinquitates vero appropinquāt aliqui solo ore. Hiere.12. Prope es tu domine, ori eorum, &c. Esa.29. Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum, &c. Aliqui vero corde per cōtritionem, ore per confessionem, opere per satisfactionē. Et hæc est via trium dierum, Exo.15. qua ab Ægytiis receditur: vt gratum officium deo offeratur. Illis qui sic appropinquant appropinquat deus. Iac.4. Appropinquate deo: & appropinquabit vobis. Deus vero appropinquans homini, intellectum illuminat. In Psalmis, Accedite ad eum & illū. Affectum à rubigine viciorum purgat: & ad bonum inflāmat. Deut.6. Deus noster ignis consumens est. In arduis adiuuat. Dauid, Adhæsit anima mea post te: me suscepit dextera tua. Deus ad modum boni socij quando transitus difficilis est: manum extendit & iuuat. Item ab hoste cōseruat, Iob.17. Pone me iuxta te: & cuiusuis manus pugnet contra me. Psalmus, Dominus protector vitæ meæ: à quo trepidabo? Item notandum quòd peccatores debent libenter ad Iesum appropinquare: cum ipse recipiat eos libenter, festinanter, læanter, frequenter. Tria prima apparent in receptione filij prodigi. Pater libēter eum recepit: quia cum adhuc longe esset, vidit illum, & misericordia motus est.

Item

Item frequenter recipit saluator peccatorem.Mat. 18. Nõ solum septies:sed vsque septuagesies septies.Esa.55. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad dominum: quoniam multus est ad ignoscendum. Vt audirent illum. Notandum quòd sicut initium recedendi à deo est fastidium doctinæ vt dixit Palladias in vitis patrum:sic initium redeũdi ad deum est auditus sanæ doctrinæ.Ecclesiastici.6.Si dilexeris audire: sapiens eris.Prouer. 19. Non cesses audire fili doctrinam, &c.Auditus verbi diuini multum incitat ad bonum.Legitur enim de Herode qui fuit valde impius, quòd audito Ioanne multa faciebat.Mat.6.Ecclesiasti.6. Si videris sensatum,euigila ad eum: & gradus ostiorũ eius exterat pes tuus.Prædicatores pedes sunt saluatoris deferentes nomẽ eius per mundum.His pedibus debet peccator libẽter appropinquare. Deut.penul. Qui appropinquant pedibus eius excipient de doctrina illius.Aliqui tamen imitatores Diaboli cum isti pedes intrant ecclesiã,tam cito egrediuntur.Abacuch.3. Egredietur Diabolus ante pedes eius. Et murmurabant Pharisei & scribæ dicentes:quia hic peccatores recipit.Fatuè agebant scribæ & pharisei murmurantes de hoc.Primo quia obliti suæ infirmitatis peccatores despiciebãt:cum ipsi apud deum cõtemptibiliores essent. Ecclesiastici 8.Ne despicias hominem auertẽtem se à peccato suo:neque improperes ei.Memento quoniam in corruptione sumus.&c.Aliqui indigni sunt apud deum: qui magni sunt in opinione hominum. Matth. 20. Sic erunt nouissimi primi: & primi nouissimi.Primi in opinione hominum:nouissimi apud Deum.Eiusdem 21.Amen dico vobis quòd publicani & meretrices precedent vos in regno dei. Secundo qui se iustos putabant cum essent superbi:& illos esse reos cum iam pœniterent. Ipsi de magnitudine infirmitatis sensum amiserant.vt Phariseus ille de quo loquitur Grego.in homel.illius euangelij, Rogabat Iesum quidam phariseus. Veraciter apud se superbus,& fallaciter iustus ægrum reprehẽdit de ægritudine,& medicum de subuẽtione:qui ipse quoque de elationis vulnere ægrotabat & ignorabat. Inter duos ægros medicus aderat.Sed vnus æger in febre sensum perdiderat,qui hoc ipsum quòd à salute longe esse ignorabat. Tertio quia cum

cum duo ſint in peccatore, ſcilicet, natura & vicium: naturæ vero debebatur compaſſio: vicio vero indignatio & deſtructio: ipſi ſolam indignationem ad peccatores habebant. Gregor. in homel. huius euangelij. Vera iuſticia compaſſionem habet: falſa iuſtitia indignationem. Idem in alia homel. Oportet vt ſollicite diſcernamus: quia diſtrictionem debemus viciis: compaſſionē naturæ. Sic enim feriendus eſt peccator: nutriendus eſt proximus. Si vero iam per pœnitentiam percutit ipſe quod fecit: iam noſter proximus peccator non eſt. Quarto quia murmurant de hoc quòd dominus rem ſuam recipit quam hoſtis fraudulenter ei ſurripuit. Ad quod pertinet parabola de oue. Quis eſt animal ſimplex. Et homo à ſerpēte deceptus perit: ideo miſericordia dei ei ſubuenit. Tria excitant pietatem dei ad miſericordiam, ſcilicet, ſimplicitas, infirmitas, & terrena ætas. Ad ſimplicitatem pertinet illud Pſalmiſtæ, Erraui ſicut ouis quæ periit. Ad infirmitatem illud Luc.5. Non egent qui ſani ſunt medico: ſed qui male habent. Ad terrenam ætatem pertinet quòd dominus dixit Io.20. Bis, Paſce agnos meos: & ſemel tantum, paſce oues meas. Quinto quia murmurāt de hoc quòd dominus eos recipit quos ad ymaginem & ſimilitudinem ſuam creauit. Similitudo enim multum facit ad dilectionem. Eccleſ. 13. Omne animal diligit ſibi ſimile. Ad quod pertinet parabola de drachma quæ habet regis ymaginē: & nominis eius ſuperſcriptionem, apud Lucam. Sexto quia murmurāt de hoc quòd recipit quos tantum dilexit, quòd regni ſui eos heredes fieri voluit. Ad ꝙ pertinet parabola de filio prodigo. Si filij & hæredes. Hæredes quidem dei, &c. Rom.8.

Sermo ſecundus de eodem.

Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quæ perierat.

In hoc verbo dominus noſter Ieſus Chriſtus charitatem quam habet apud nos indicat: ad pœnitētiam incitat: & innocentiam commendat. Charitatem indicat in hoc quòd oſtendit ſe gaudere de bono noſtro. Amantis enim eſt gaudere de bono amati. vnde Gal.5. Inter fructus ſpiritus gaudium aſſociatur charitati. Fructus inquit ſpiritus

sunt charitatis gaudium, &c. & 1.Cor.13. dicitur de charitate quòd congaudet veritati, id est veris bonis.Ioan.15. Si diligeritis me,gauderetis vtique,quia vado ad pat.&c.Ad pœnitentiam incitat in hoc quòd ostendit se gaudere de pœnitentia nostra.Libẽter ergo facere debemus vnde patrem celestem lætificemus.Prou.10.Filius sapiens letificat patrem suum. Et non solum ipse de pœnitentia nostra gratulatur : immo etiam amicos suos & vicinos conuocatos ad lætandum de hoc hortatur. Non reputat deus aliquem amicum suum qui de salute animarũ non lætatur. Petrum etiam qui ita ardenter amabat Christum aduersarium reputauit cum saluti humani generis aduersari voluit.Matt. 16.Vade post me sathana: scandalum mihi es. Pœnitẽtiam agendo deo & angelis occasionem lætitiæ damus. Ambr. Multum debet nos accendere ad probitatem vt agamus quod illis gratum sit, quorum affectare patrocinium & offensam timere debemus.Et super illud Num.28. Oblationem meam & panes : & incensum odoris suauissimi offerte,&c.dicit glosa Origenis , In diebus festis nostris habet deus dies festos suos . Est enim magna festiuitas salus humana.Puto quòd per singulos fideles,per singulos qui cõuertuntur ad deum & in fide proficiunt festiuitas deo oritur.Lætificat eum impudicus:si fit castus.Et iustus cum iusticiam colit,agit festũ Christo, qui pro salute nostra sanguinem suum fudit:cum videt prodesse. quòd humiliauit se factus obediens vsque ad mortem. Agit festa spiritus sanctus:cum in his qui conuertuntur videt sibi templa parari. Lætantur angeli , ad quorum festiuitates accedunt conuersi.Gaudium enim est angelis in cęlo,super vno peccatore pœnitentiam agente,&c.Deo & angelis occasionẽ læticiæ damus: cum super terram ambulantes cõuersationem in cælis habemus.Vereor ne econtrario mala conuersatio nostra non solum terris , sed & cælo lamentationes indicet:& fortassis ipsi deo. vt quid enim dixit, Penitet me fecisse hominem.Gen.6. Innocentiam commendat in hoc quòd hominem ouem vocat. Ouis est animal innocens. Iniurias nouit ferre,non inferre.Esa.53. Sicut ouis ad occisionem ductus est:& quasi agnus coram tondente,&c.Cętera animalia lædunt:quia alia mordent dentibus: vt canis & lupus.Alia impingunt cornibus:vt aries & taurus. Alia

percu

percutiunt pedibus: vt equus & mulus. Alia dilaniant vnguibus: vt leo & vrsus. Ouis vero nullo istorũ modorum lædit. Non est ergo ouis Christi ille qui mordet detrahendo: vel impingit cornibus, minores per potentiam opprimendo: vel percutit pede, id est, affectu, proximo irascendo, vel eum odiendo: vel laniat vnguibus, aliena rapiẽdo.

De proprietatibus ouis require in sermone illo, Oues meæ vocem meam audiunt, scilicet, Dominica prima post octauam Paschæ.

Sermo tertius de eodem.

DIco vobis quòd ita gaudium est in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, &c.

Hoc verbum spem in vobis erigit: & desperationi omnino locum aufert. Sicut ille qui pugnat in duello corporali adhoc tendit vt hostem suum faciat dicere malum verbum seu vltimum verbum: sic diabolus in pugna spirituali adhoc tendit vt eum quem impugnat faciat dicere verbũ malum, scilicet, verbum desperationis vt Cayn. Genes. 4. Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam mærear. &c. Sed post verbum propositum nullus locus desperationi relinquitur: cum ex verbis saluatoris habetur quòd cælestis curia: de conuersione peccatoris lætatur. Peccator conuersus, est velut fera capta: quia aper est aliquis per luxuriã: vrsus per gulam. & sic de cæteris. Venationes vero deliciæ sunt regum. De vna fera capta delicias habet tota curia vnius principis. Et de vno peccatore conuerso lætatur tota curia cælestis. Desiderabat Isaac vesci de venatione. Gene. 27. Sic pater cælestis hanc spiritualem venationem desiderat. Tale gaudium est de peccatore conuerso: quale gaudium esset si filius regis ab igne qui dicitur infernalis, vel sancti Antonij, liberaretur. Ignis enim concupiscentiarũ ignis infernalis est. Parisius in ecclesia beatæ virginis Te Deum, cantatur, cum ignis ille in aliquo extinguitur. Itẽ tale est gaudiũ illud quale esset si filius regis

qui ad patibulũ duceretur, de manibus ducẽtium eriperetur. Prou.24. Erue eos qui ducuntur ad mortem: & eos qui trahuntur ad interitũ liberare ne cesses. Alij ducuntur voluntarij: alij trahuntur quasi inuiti à feruore iuuenili: vel praua consuetudine. Itẽ tale gaudiũ illud, quale esset gaudium de victoria pugnãtis in duello. Pugnant enim homines contra dæmones: quã pugnã deus & angeli respiciũt. Et si cõtigerit diabolum vinci ab homine: de victoria illa gratulantur. 1. Cor. 4. Spectaculum facti sumus mundo: & angelis, & hominibus. Non solum gaudiũ est de conuersione peccatoris: immo etiã festiuitas magna. Et sunt quasi quatuor festiuitates. Primo est festiuitas quasi natalis filij dei. Quæ natiuitas duplex est videlicet vna in vtero in cõceptiõe, s. boni propositi. Esa. 26. A timore tuo do. &c. Secũda ex vtero in cõfessione peccatorũ vel manifestatione bonorũ operũ. Sicut reges terreni gratulantur hæredi sibi nato: sic & rex celestis. Lætatus est Zacharias nato Ioãne: & cõgratulabãtur Elizabeth vicini. Luc. j. Secũdo est festiuitas paschæ & resurrectionis. Resurrexit enim filius dei à morte spirituali quæ est resurrectio prima. Apoc. j. Beatus qui habet par, in re. p. Itẽ, Est ibi trãsitus de morte ad vitã: id est de profunditate vitiorum ad sublimitatẽ virtutum. Tertio est ibi festiuitas spiritus sancti qui recesserat à domo sua propter immundicias peccatorũ. Quarto est ibi festiuitas regiæ coronationis. Inungitur enim qui cõuertitur ad regnum cælorum. Eccl. 4. De carcere & cathenis interdum quis egreditur ad regnum. Et notandum quòd istud, Gaudium est in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonagintanouem iustis, &c. intelligitur de peccatore feruente & iustis non feruentibus: vt vult Gregor. super illud Ecclesiast. 9. Melior est canis viuus leone mortuo. Canis est viuus, pœnitens strenuus: leo mortuus, iustus piger & accidiosus.

Dominicæ quartæ post Trinitatem,
SERMO PRIMVS.

Estote misericordes sicut & pater vester misericors est. Luc. 6.

In hoc euangelio dominus noster primo ad miseri

misericordiã mouet. Secundo impedimentũ misericordiæ amouet ibi, Nolite iudicare: & non iudicabimini. Tertio duos principales effectus misericordiæ suadet ibi, Dimittite,&c. Quarto ad illos effectus ponit incitãtia ibi, Mensuram bo.&c. Quinto ponit cohibentia ad impedimẽtum misericordiæ ibi, Quid autem vides festucam in oculo fratris tui,&c. Estote misericordes sicut & pater vester misericors est. Plenus est mundus iste malis: & malis culpæ, & malis pœnæ. Abundat autem iniquitas ex parte mundi. Et æquitas iustitiæ ex parte Dei. Augustinus in libro de libero arbitrio, Nullo temporis interuallo ista duo diuiduntur: vt quasi alio tempore non faciat aliquis quod debet: & alio patiatur: ne vel temporis puncto vniuersalis pulchritudo turpetur vt sit in ea peccati dedecus sine decore vindictæ. Oseæ 4. Maledictum & mendaciũ, homicidium, & furtum & adulterium inundauerunt,&c. Propter hoc lugebit terra. Prouer. 14. Miseros facit populos peccatum. In hoc loco vbi sunt tot & tanta mala modo sunt boni sicut & mali. Super quo posset aliquis mirari multum. Cum sapientes mundi quando habent aliquam rem bonam & sibi charam non soleant eam dimittere in loco malo, si aliter possent de ea disponere: quomodo ergo deus qui omnipotens est qui bonos diligit vt filios veracissimos permittit eos in mundo isto esse: cum mundi maliciam agnoscat? Apoc. 2. Scio vbi habitas: vbi sedes est sathanæ. Ad hoc Dauid: quòd hoc facit deus propter multas vtilitates electorum: & propter gloriam suam. Vtilitates vero illas ponere non est præsentis negocij. Sed sciendum quòd triplex adhibet dominus remedium electis suis, contra mundi periculum. Primum est: quòd citius eripit eos de mũdo isto: Sap. 4. Placens deo factus dilectus & viuens, inter peccatores translatus est. Raptus est ne ma.&c. Et paulopost: Placita erat deo anima illius. Propter hoc properant illum eripere de medio iniquitatum. Esai. 56. Viri misericordiæ colliguntur. Sicut aliquis colligit ficus suas aliquantulum virides potius eligẽs illas habere tales quàm alius habeat eas magis maturas: sic dominus bonos in iuuentute colligit ne peruertantur, & à diabolo deuotentur. Secundum est quòd in parte remouet eos de mundo isto, scilicet quantum ad partem illam quæ est melior & sibi carior.

licet enim in mundo ſint corpore:alibi tamen ſunt corde. Phil.3.Noſtra autem conuerſatio in cælis eſt. Qui continue eſt in mũdo iſto & corde & corpore:vix eſt quin corrumpatur à malicia mundi.Amici dei magna parte temporis morantur extra mundum iſtum.Aliquando deſcendunt in infernum viuentes : ne deſcendant morientes. Et in ignem inferni depurant corda ſua à viciorum rubigine ſicut aurum purgatur à fornace. Eccleſiaſti. 1. Timor domini expellit peccatum. Tertium remedium eſt quòd dominus dat quaſdam gracias amicis ſuis quibus mala in bona vertuntur.Maius eſt mala alicuius in bona conuerti:quam penitus ab eo auferri.Hæ gratiæ ſunt patientia:& miſericordia.Patientia propria mala bonis in bonum conuertit:Miſericordia vero aliena.Anima quæ habet perfecte has gratias,vere poteſt dici illud Prouer.vlt.Multæ filiæ congregauerunt diuitias: tu ſupergreſſa es vniuerſas. Mundus enim plenus diuitiis eſt. Has duas gratias commendat nobis eccleſia in hac dominica. Patientiam in epiſtola dicens,Non ſunt condignæ, &c. Miſericordiam in euangelio dicens, Eſtote miſericordes. Et poſt illam admonitionẽ oſtẽdit quare & quomodo miſericordes eſſe debemus,ſcilicet,quare,ibi,Pater veſter miſericors eſt. Quomodo,ibi,Sicut. Circa admonitionẽ notãdum quòd cum deus ſit ſumme iuſtus ſicut ſumme miſericors : poterit aliquis dubitare quare potius dicat dominus, Eſtote miſericordes ſicut & pater veſter miſericors eſt:quàm, eſtote iuſti ſicut & pater veſter iuſtus eſt. De quo triplex ratio poteſt aſſignari.Quarum prima eſt,quia miſericordia inter virtutes excellit. Sicut oleum ſuperenatat aliis liquoribus:ſic miſericordia excellit reſpectu aliarum virtutum. Ipſa deo maxime placet. Aug. Non eſt quod ita deo amabiles faciat, vt pietas. Ipſa de diabolo efficacius triumphat.vnde ſuper illud Pſalm. Miſericordia mea & refugium meum.dicit gloſa,De nullo ſic vincitur diabolus,vt de miſericordia Ipſa in omni neceſſitate ſubuenit. 1.Tim.4.Pietas ad omnia vtilis eſt, &c. Secundo quia miſericordia loco in quo ſumus maxime competit: ſumus enim in valle miſeriæ. Mundus plenus eſt miſeria: ideo oportet homines plenos eſſe miſericordia. Tertio quia miſericordia patri naturaliter conuenit.Sicut dilectio eſt

paternu-

paternus affectus: sic & misericordia. Vnde filios patris cælestis oportet imitari eum in misericordia: & in hoc examinabit eos in die iudicij. Misereri eius proprium est. Misericordes faciet heredes regni sui: immisericordes vero tanquam filios diaboli mittet in infernum Matth. 25. Discedite ame maledicti, &c. Et cum iusticia domino congruat: eam ipsi debemus dimittere non nobis vsurpare. Ecclesiastes. vlt. Cuncta quæ fiunt, adducet deus in iudicium pro omni errato, siue bonum siue malum sit. Prouer. 20. Ne dicas, Reddam malum: expecta dominum, & liberabit te. Dominus liberabit te, scilicet, à labore vindicandi, & à debito gehennæ qua te obligares vindicando. Nota quòd misericordia debetur homini in voluntate, iusticia in necessitate. Causa autem quare misericordes esse debemus: ostenditur cum dicitur, Pater vester misericors est. Non solum in creaturis rationalibus: sed irrationalibus verum est quòd ab eo à quo habent vitam: habent & modum viuendi. Aliter viuit agnus, aliter viuit lupus: aliter filius regis, aliter filius pastoris. A patre ergo cælesti, à quo habemus vitam per creationem: debemus habere modum viuendi per eius imitationem. Ipse proprie pater est. Matth. 23. Patrem nolite vocare vobis super terram, &c. A patre carnali habemus partem corporis: valde modicum est quod ab eo tunc nobis datur. Nihil enim dat nobis de suo: sed à patre celesti habemus corpus & animam. Aug. Amandus est genitor: sed præponendus est creator. Pater iste super omnia diligēdus esset. De eo confidendum esset pro omnibus. In hoc multum videntur errare homines quòd ita parum de ipso confidunt.

Et notandum quòd pater cælestis filios degenerantes, filios non reputat. Matth. 5. Diligite inimicos vestros, &c. vt sitis filij patris vestri, qui in cælis est. Specialiter vult pater cælestis vt filij eius imitentur eum in tribus, videlicet in sanctitate. Leuit. 19. Sancti estote, quoniam ego, &c. In beneficentia inimicorum. Matth. 5. Benefacite his qui oderunt vos, &c. vt sitis filij patris vestri, &c. Et in misericordia, de qua hic: Estote misericordes, &c. Pater cælestis est perfectæ bonitatis. Circa quam nota quòd perfecta bonitas malitiam non admittit: vnde sanctitas est. Item perfectam bonitatem aliena malicia non impedit quin

beneficia sua tribuat. Item perfecta bonitas sibi sufficit ad hoc vt in actum exeat. vnde illis à quibus nihil sperat misericorditer subuenit. Circa modum miserandi: notãdum est quòd Deus ita misericors est quòd eius misericordia est in omnes. Ipse enim facit solem suum oriri super bonos & malos, &c. Item misericordia eius in omni opere eius: etiam punit circa condignum. Item miserationes eius sunt super omnia opera eius. Iacobi 2. Misericordia superexaltat iudicium. Item ipse miserendo corpori animam præponit: non parcens corpori, vt animæ medeatur. Esto & tu similiter misericors. Ecclesiastici 30. Miserere animæ tuæ, placens deo. Prouer. 11. Benefacit animæ suæ vir misericors. Item, Notandum quòd Deus multipliciter miseretur. videlicet indignum omni bono auersum ab ipso reuocando. Esaie 30. Erunt aures tuæ audientes vocem post tergum monentis. Redire nolentem patienter expectando. Rom. 2. Ignoras quoniam benignitas dei ad pœnitentiam te adducit. Sap. 9. Dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam. Item hostem nolentem redire pascendo. Psalm. Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. Pulli coruorum sunt filij dæmonum. pulli inquam per imitationem. Item eum defendendo. Treno. 3. Misericordia domini quòd nõ sumus consumpti. Dæmones enim inimicos dei iugularent: nisi à deo defenderentur. Bernar. Si spiritus boni se elongauerint, impetum malignorum spirituum sustinere quis poterit? Item, Oportunitatem peccandi ei subtrahendo. Oseæ 9. Sepiam vias tuas spinis, &c. Item post multiplicem repulsam à vocatione non desistendo. Grego. Debemus ergo dei misericordiam erubescere: & si iustitiam eius nolumus formidare. Qui tanto ampliori improbitate contemnitur: quanto contemptus vocare non dedignatur. Apoc. 3. Ecce ego sto ad ostium & pulso. Item ad conuersionem nostram studiose operando. Psalm. Nunciate inter gentes studia eius. Ipse est vt faber qui equum inclauat vt sibi remaneat. Dauid, Conuersus sum in ærumna mea dum configitur spina. Item, Pœnitentem benigne recipiendo: vt patet in filio prodigo, Luc. 15. Ber. Misericorditer & plene remittit Deus. Non enim damnat vlciscendo: nec confundit improperando: nec minus amat imputando

tando

tando.Item,De ſtatu viliſſimo ad ſtatum regium exultando.Vilitas ſtatus oſtenditur,cum dicitur, De ſtercore erigens pau.&c.1,Reg.2. Item conuerſo virtutem perſeuerandi dãdo.vnde Eſa.40.Qui dat laſſo virtutem, &c.Item, In periculis cuſtodiendo. Eſa. 9. Succenſa eſt quaſi ignis impietas, &c. Item delinquentem miſericorditer corripiendo.Pſalm.Si autem dereliquerint filij eius legẽ meã, &c.Viſitabo in virga iniquitates eorum, &c.Item. Maliciam citra condignum puniendo.in Pſalm.Non continebit in ira ſua miſericordias ſuas. Item, Perſeuerantem in bonis ſupra condignum remunerando: ſecundum illud, Menſuram bonam,&c.Nolite iudicare, &c.Hic impedimenta miſericordiæ amouet,ea ſcilicet quæ ſunt falſæ iuſtitiæ.Impeditur enim miſericordia à falſa iuſticia.Et notandum quòd ſunt quidam qui omnia volunt iudicare, qui extremum dei iudicium videntur velle euacuare. Si enim hic omnia iudicarentur:ad quid diuinum iudicium in futuro ſequeretur? Si illos ad quos pertinet ex officio iudicare diſtrictum manet iudicium,ſecundum illud Sap. 6.Iudicium duriſſimum his qui præſunt fiet:quid fiet de illis qui ſibi vſurpant iudicium? Et notandum quòd triplex iudicium eſt prohibitum vel diſſuaſum. Primum eſt cum iudicat quis perſonam quæ non ſubeſt eius iudicio:quale eſt iudicium eorum,qui iudicãt ſuperiores ſuos. Qui deo ſunt odioſi.Prouerbiorum 6.Sex ſunt quæ odit dominus: & ſeptimum deteſtatur anima eius. Oculi ſublimes ſunt qui reſpiciunt ſuperiores ſuos, vt eos iudicent. Bernard. Non obſeruemus prælatos:ſed honoremus. Eccleſiaſtici 8.Non iudices contra iudicem:quia quod iuſtum eſt iudicat.Prælati tenentur reddere rationem pro animabus ſubditorum.vnde Hebr.13.Ipſi enim peruigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri. Subditi non tenentur reddere rationem pro animabus prælatorum. Quare ergo immiſcent ſe huic periculo à quo Deus eos liberat? Secundum eſt iudicium de his quibus ſolus Deus habet iudicare: vt de intentione, vel de his quæ futura ſunt 1. Reg.16.Homines vident ea quæ parent: Deus autem intuetur cor. Videre futura vt præſentia, diuinum eſt.Eſa. 41.Annunciate quæ ventura ſunt in futurum: & ſciemus quia dij eſtis vos.Tertium eſt iudicium præceps:quod fit

nõ ſeruato iuris ordine.Iob 29.Cauſam quam neſciebam diligentiſſime inueſtigabam.Sunt qui iudicant ad teſtimonium vnius vel potius nullius,quia perſona teſtificans eſt infamis,cui fides adhibenda non eſt. Nec etiam exigunt iuramẽtum.Et cum aliquis infamis deponit aliquid contra aliquam perſonam honeſtam : adeo credunt ei quòd ſi decem viri iuſti iurarent contrarium,non acquieſcerent eis.Item,Aliqui ſunt proniores ad condemnãdum quam ad miſerendum. Contra quos dicitur, Nolite condemnare,&c.Miſereri, debet eſſe in deſiderio; condemnare,in neceſſitate.Mich.6.Indicabo tibi ô homo quid ſit bonum & quid dominus requirat à te.vtique facere iudicium,& diligere miſericordiá, &c. Sene.in epiſtolis ſuis, Clementia ſanguini alieno tanquam ſuo parcit: & ſcit hominis non eſſe homine prodige vtendum. Dimittite & dimittetur vobis,&c.Hic monet ad duos principales effectus miſericordiæ, videlicet ad condonandum , & ad donandum.Et nota quòd condonantur offenſæ: dantur beneficia.Condonanti autem condonat Deus. vnde Eccleſiaſ.28.Relinque proximo tuo nocẽti te:& tunc deprecanti tibi ſoluentur peccata.Auguſtinus, Ad dilectionem inimicorum vos admoneo:quia ad ſanãda peccatorum vulnera nullum medicamentum vtilius eſſe cognoſco.Quędam littera ſic habet,Dimittite & dimittemini. Et poteſt intelligi dictum contra tria genera hominum , videlicet Primo,contra tenentes iram, qui diabolum ſecum tenent & à diabolo tenentur tanquam eius ſerui.dimittere ergo oportet eos diabolum iram dimittendo : ſi à diabolo volunt dimitti. Secundo contra nimis amantes pecuniam, qui eam incarcerãt in archis ſuis:& cum ea corda eorum incarcerantur. Vbi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum.Matth.6.Immo quod plus dum pecuniam male cupiunt à diabolo capiuntur.Auguſt.Præda quam vis rapere,in muſcipula eſt.Tenes alienum : & teneris à diabolo. Tales dum pecuniam male acquiſitam reſtituendo dimittunt: à diabolo dimittuntur. Tertio contra volentes confiteri peccata ſua: qui diabolum quodammodo incluſum habent:dum os ſuum volunt ad confeſſionẽ aperire vt Diabolũ à ſe poſſint expellere.Prouer.28.Qui abſcondit peccata ſua non dirigetur:qui autem con.&c.Date & dabi

& dabitur vobis. Danti pauperibus non solum dantur spiritualia in præsenti, & cælestia in futuro: immo etiã tempo ralia ei multiplicantur. Greg. in dialo. Terrenæ substantiæ per hoc quòd pauperibus distribuũtur, multiplicãtur. Prouer. 11. Alij diuidunt propria & ditiores fiunt: alij rapiunt aliena & semper in ægestate sunt. eiusdẽ 28. Qui dat pauperi non indigebit. Qui despicit deprecãtẽ, sustinebit penuriã. Farina & oleum non defecerunt &c. 4. Reg. 4. Misericordes fideliter dispẽsant pauca bona sibi cõmissa: & ideo merito super multa bona cõstituuntur. Mat. 25. Conquerebantur enim quidam religiosi quòd non daretur eis vt solebat. Quibus vnus de antiquis fratribus ait, Intrauerunt abbatiam istam duo socij, quorũ alterum eiecistis: & ideo reliquus noluit nobiscũ remanere. Hij duo socij sunt, date, & dabitur: quos dominus in Euangelio associauit. Non vultis dare: ideo merito non dabitur vobis. Et notandum quòd danti temporalia pauperibus, quinque sunt prouidenda. Primum est ordo: vt, scilicet prius seipsum det deo. Ecclesiasti. 30. Miserere animæ tuæ placens deo. Non est accepta hæc compensatio deo, vt tua ei des, & te ei subtrahas. Non est grata hæc diuisio, vt tua des deo, & te diabolo: sicut fecit Cain in Gen. 4. Respexit dominus ad Abel prius: & ad munera eius post. Ad Cain vero & munera eius non respexit. Secundum est vt des de tua substantia nõ de vsura vel rapina. Prouer. 3. Honora dominum de tua substantia, &c. Tob. 4. De tuo fac eleemosynam. Ecclesiasti. 34. Dona iniquorum non probat altissimus &c. Tertiũ est intentio recta: vt nõ fauore vel humana laude hoc facias. Mat. 6. Cum facis eleemosynã noli tuba canere ante te. &c. Glosa, Sinistra intentione dare, sunt vt semina quæ tollũt aues. Mat. 14. Mar. 4. Luc. 8. Et sicut fructus vermiculosi quos cõcutit ventus. Quartum est idoneitas personæ cui datur. Danda est eleemosyna pauperi, & maxime bono. vnde Ecclesiasti. 29. Conclude eleemosynam in sinu pauperis, &c. Lu. 4. Cum facis conuiuium, voca pauperes, &c. 4. Reg. 4. Helyseus implet vasa vacua. Hieron. Da pauperibus non locupletibus, Ecclesiasti. 12. Si benefeceris, scito cui benefeceris. Quintum est modus: vt, scilicet detur secundum facultatem dantis & necessitatem eius cui datur. Tobiæ 4. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum

guum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Mensuram bonam, &c. Hic ponit dominus incitantia ad principales effectus misericordiæ. Et primo incitat ad dādum magnitudine præmij, quod eleemosynæ reddetur. Et notandum quòd qui pauperi dat eleemosynam, deo dat mutuum. Prouerbi. 19. Fæneratur domino qui miseretur pauperis. eiusdem 22. Qui accipit mutuum, seruus est fænerantis. Misericors multum habet deum ad voluntatem suam. Et quia dans mutuum aliquando non recuperat tale quale dedit: immo deterius vel non tantum: ideo dicit dominus. Mensuram bonam dabunt: supple pauperes in sinum nostrum, id est de re bona. Circa primum notandum quòd valde melius erit quod soluetur: quā quod accommodatum fuit. Quod accommodatum fuit erat putridum quasi: quia transitorium vel corruptibile: quod redde tur erit æternum. Augu. Præbe tectum, & accipe cælum. Circa secundum ostenditur quòd mensuram dabunt plenam: & plenitudine non vana sed vera. Et etiam mensurā cumulatam. Ad primum pertinet quòd dicitur, cōfertam, Ad secundum quòd dicitur, coagitatam. Ad tertium quòd dicitur supereffluentem. Augu. Miser homo quid fænераris proximo? Fænerare deo: & centuplum accipies, & vitā æternam possidebis.

Dominicæ quintæ post trinitatem,

SERMO PRIMVS.

CVm turbæ irruerent in Iesum, vt audirēt verbum dei, & ipse stabat secus stagnum Genezareth. &c. Luc. 5.

In hoc Euangelio iuxta literam ad sex monemur. Primo ad diuini verbi amorem: Secundo ad obedientiam. Tertio ad charitatem mutuam. Quarto ad humilitatem. Quinto ad benignitatem. Sexto ad bonorum familiaritatem.

tem. Ad primum monemur exemplo turbæ irruẽtis in saluatorem: vt verbum eius audiret. Sic tempore famis irruere solent pauperes in distributione eleemosynarum. Immiserat eis dominus famẽ sicut promiserat Amos 8. Mittam inquit famem in terram, non famem panis neque sitim aquæ, sed audiendi verbum dei. Fames ista quæ est appetitus cibi spiritualis donum est saluatoris, & signum salutis: sicut appetitus cibi corporalis signum est sanitatis corporalis, & econtrario. Fastidium huius cibi signum est languoris spiritualis. in Psalmis, Omnem escam abominata est anima eorum &c. Inest brutis animalibus naturalis appetitus cibi: vnde currunt aues & pisces ad cibum si eis proiiciatur: & aues quæ viuunt de granis frequentant loca vbi segetes excutiuntur. Quæ autem viuũt de racemis: vineas frequentant. Inexcusabiles ergo sunt homines ratione vtentes qui cibum suum vel non agnoscunt vel negligunt: & porrigentem eum fugiunt. Ad obedientiã monemur exemplo Petri qui licet per totam noctem laborasset inutiliter: tamẽ ad verbum domini nauem ducit in altum, & rhetia laxat. Duabus de causis solet homo renuere opus sibi iniunctum: scilicet propter sui fatigationem, vel operis infructuositatem. Petrus autẽ licet fatigatus esset, & infructuositatem laboris præteriti timere posset: tamẽ iniunctum opus non renuit, sed simpliciter obedit. Simplicitas vero obedientiæ multum grata est deo. De hac commendat dominus primitiuam ecclesiã. In Psalmis, In auditu, inquit, auris obediuit mihi. Ad charitatem mutuam monemur exemplo illorũ qui erant in naui Simonis: qui ad eos veniunt & auxilium eis impendunt. Prouerbi. 18. Frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma: & iudicia quasi vectes vrbium. Ad humilitatem monemur exẽplo Petri ad genua Christi procidentis & dicentis, Exi à me domine quia homo peccator sum. quasi diceret: quià non sum dignus habitare tecum. Grego. Immo si te peccatorem consideras: oportet vt à te dominum non expellas. Augustinus, Vt piscator loquitur Petrus. Deum & dominum secum habebat: & dicebat ei, Exi à me domine: ac si infirmus medico accedenti & eum curare volẽti, diceret, Exi à me: quia ego ægroto. Ad benignitatẽ monemur exẽplo saluatoris duobus modis: videlicet Primo in hoc quòd

quòd turbam irruētem in se non à se turpiter repellit: sed ascendens in nauem eam à terra elongari fecit. Aug. Nō debet esse dispensator austerus: vbi pius est dominus. Luc. 8. Præceptor, turbæ te comprimunt, & affligunt: & dicis Quis me tetigit? Secūdo in hoc quòd à Petro non recedit immo consolatur eum dicens, Noli timere: prædicēs exaltationem Petri humiliati: ex hoc inquit, iam eris homines capiens. Aug. in libro confessionum, O quam excelsus es domine: & humiles corde sunt domus tuæ. Luc. 18. Qui se humiliat, exaltabitur. Et sciēdum quod dictum est Petro, Eris homines capiens non aurum, non argentum. 2. Cor. 12. Non quæro quæ vestra sunt: sed vos. Esaiæ 13. Suscitabo super vos Medos, qui argentum non quærant nec aurum velint. Prædicator debet facere sicut fecit Ioseph in Gene. 45. Congregans triticum, vt omnes Ægyptios regiæ subiiceret seruituti. Ad bonorum familiaritatem monemur in hoc quòd subductis ad terram nauibus, relictis omnibus secuti sunt eum: sic acquirentes eius familiaritatem. Prouer. 13. Qui cum sapientibus graditur sapiens erit: amicus autē stultorum similis efficietur. Carbones mortui si ponantur cum viuis, accēdūtur. Sic qui in peccatis sunt mortui: familiaritate bonorū, vita gratiæ viuificantur.

Sermo secundus de eodem.

CVm turbæ irruerēt in Iesū &c. Et ipse stabat secus stagnū Genezareth, &c.

Per stagnū Genezareth: mūdus designatur. Primo quia stagnum illud auras generat. Et varietas tentationum ad modum ventorum mundum istum perturbat. Matthæi 12. Flauerunt venti, &c. Daniel. 7. Videbam in visione noctis: & ecce quattuor venti pugnabant in magno mari. Vētus flans ab Oriente, est tētatio superbiæ vel vanæ gloriæ: quę à nobilitate generis ortum habet. Ventus flans ab Occidēte, est tentatio carnis, quæ caro non cessat tendere ad occasum. Ventus flans à Meridie, est tentatio inuidię quæ de proximi prosperitate affligitur. Ventus flans ab Aquilone, est tentatio iræ vel odij ad Diabolicam crudelitatem incitans. Secundo quia pisces de stagno aquam limosam sapiunt

piunt. Sic amatores mundi in verbis & operibus terram & limum sapiunt. Phili.3. Et gloria in confusione eorum qui terrena sapiũt. Io.3. Qui de terra est, de terra loquitur, &c. Tertio quia stagnum istud dicitur mare secundum Hebræos: qui omnem congregationem aquarũ mare vocant. Sic veri Hebræi in bonis huius mũdi intelligunt amaritudinem esse. Acquiruntur enim cum labore. Ecclesi.4. Vnus est, & secundũ non habet, nõ fratrem, non filium: & tamen non laborare cessat. Cum timore possidetur. Iob 15. Sonitus terroris semper in &c. Leuitic.26. Terrebit eos sonitus folij volantis. Cum dolore deseruntur. Ecclesiast. 5. Diuitiæ congregatæ in manu domini sunt: pereunt enim, &c. In hoc quòd dominus non in hoc stagno sed secus stagnum stat, insinuatur quòd prædicator à mundo separare se debeat. Grego. Qui carnalibus actibus ad huc incubat: vitam aliorum spiritualiter instituere necesse est vt erubescat. In Psal. Erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, nõ in decursu.2. Tim.2. Nemo militans deo implicat se secularibus negotiis. &c. Duæ naues possunt intelligi duę viæ salutis, videlicet Via mandatorũ, de qua Dauid, Viam mandatorum tuorum cucurri: & via consiliorum, quæ est nauis Simonis, id est obedientis perfectè, qui non solum seruat præcepta, sed etiam consilia. Nauem Simonis saluator ascẽdit, quia consilia impleuit. Prouẽ.8. Ego in consiliis habito, &c. Predicator nauem Simonis debet ascendere. Decet enim prædicatorem præcepta & consilia implere, cum ad impletionem præceptorũ alios habeat incitare. Piscatores sunt prædicatores. Mat.4. Faciam vos fieri piscatores hominum. Hiere.16. Mittam eis piscatores multos & piscabuntur eos. Abac.j. Facies homines quasi pisces maris. Rhetia sunt sermones diuini quibus corda audientium, deo capiuntur. De rhetibus notandum quòd saluator vidit Petrum & Andream mittẽtes rhetia in mare. Mat. 4. Item Iacobum & Ioannem reficientes rhetia. In eodem. Hic vero habetur quòd piscatores descenderant & lauabant rhetia. Item quòd naui ducta in altum rhetia laxantur: & multum capitur: & quòd rhete rumpitur. Item Io. vlti. Rhete in dexterã nauigij mittitur, & multum capitur. Iuxta primum exemplo Petri & Andreæ mitte rhete prædicationis in mare, id est in illos qui

qui sunt in amaritudine vitæ. Facilius enim ad deum conuertitur qui non habet in hoc mundo in quo delectetur. Puer Ægyptius quē dominus suus reliquerat, qui & infirmari ceperat, adhæsit Dauid. 2. Reg. 30. Sic Christo adhæret quem mundus despicit. Iuxta secundum exemplo Ioānis & Iacobi rhetia prædicationis reficias. Non semper nouos sermones facias: nec iam factos vilipendas: sed eos meliorare studeas, & operam des vt eos bene scias, & gratiam dicendi habeas. Sene. Vis sapienter loqui: loquere quod scieris. Iuxta tertium, post prædicationem noli extolli: sed per humilitatem ad infima tua descende, & laua rhetia prædicationis, humiliter deflens quòd circa eam negligenter egisti. Mar. 13. Videte vosmetipsos. 1. Tim. 4. Attende tibi & doctrinæ, &c. Iuxta quartum intellige non semper esse prædicandum in locis propinquis: in remotis enim maior est fructus. Mar. vlti. Euntes in mundum vniuersum prædicate euangelium omni creaturæ. Et notandum quòd rhete prædicationis multis modis rumpitur.

Rūpitur rhete prædicationis. Vno modo cum prædicator malo exēplo dissipat quòd verbo ædificat. Grego. super Ezech. Ad hoc vt seruetur veritas prædicandi, teneatur necesse est altitudo viuendi. Secundo cum scriptura extraneis opinionibus scinditur. 1. Corin. 1. Obsecro vos, &c. vt idipsum dicatis omnes: & nō sint in vobis schismata. Tertio cum hi qui fidem receperunt, præceptis dei non obediunt. Ierem. 2. A seculo fregisti iugum: rupisti vincula. Et Mat. 5. legitur de dęmoniaco, quòd sæpę cathenis & compedibus vinctus diripuisset cathenas, & compedes comminuisset. Et notandum quòd magni pisces rhetia solent rumpere. Sic maiores de ecclesia precepta dei amplius transgrediuntur. Ierem. 5. Dicitur de optimatibus, Hij simul magis confregerunt iugum: ruperunt vincula. Iuxta quintum intellige prædicationem pro æternis factam valde fructuosam esse. Rhete enim in dexteram nauigij mittitur: cum pro æternis prædicatur. In veteri lege piscabantur ad sinistram nauigij: temporalia enim promittebantur & intendebantur. Esayæ 1. Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. Ad sinistram etiam nauigij piscantur prædicatores quæstuarij: quorum prædicatio à populo contemnitur. Pręceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus. Sciendum quòd

ista

ista piscatio Petri nocte facta laboriosa & infructuosa significat piscationem laborantium in acquisitione temporalium. Piscatio vero in verbo domini facta, significat piscationem laborantium in his quæ pertinent ad salutem animarum. Primam piscationem facit cupiditas. Secũdam charitas. Prima in nocte fit: quia qui male agit odit lucem. Ioan. 3. & Iob 24. Oculus adulteri obseruat caliginẽ. Eiusdem. 3. Viro cuius abscondita est via: & circundedit eum Deus tenebris. Augustin. primo libro confessionum: Spargis pœnales cecitates super illicitas cupiditates. Excæcatur aliquis quantum ad visum corporalem pelui candenti. Sic spiritualiter excæcantur homines ardore cupiditatis. In Psal. Supercecidit ignis, & non vi. solem. Ex igne prauæ concupiscentiæ quidam fumus procedit, qui visum interiorem impedit. Item, Piscatio cupiditatis multum habet laboris. Sapien. 5. dicunt damnati, Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus, vias difficiles. Ecclesiast. 10. Labor stultorum affliget eos: quia nesciunt in vrbem pergere. Itẽ, Infructuosa est illa piscatio. vnde hic dicitur, Nihil cepimus. Auarus nihil capit tribus de causis, videlicet Primo, quia temporalia comparatione æternorum nihil sunt. Hiere. 4. Aspexi terram: & ecce vacua erat, & nihili. Amos 6. Qui lætamini in nihili. Secundo, quia potius capiuntur quàm capiant: sicut piscis volens capere escam, capitur hamo. Augustin. Præda quam vis rapere, in muscipula est. Tenes alienũ, & teneris à diabolo. Tertio, quia licet horrea & cellaria auarorum multa capiant: ipsi tamen vacui remanent, & potius amittunt quàm capiant. Lucæ 1. Diuites dimisit inanes. Tullius, Animus humanus non arca diues appellari solet. Quamuis illa plena sit, cum inanem te videbo, diuitem non putabo. Piscatio vero charitatis multum capit. Cum enim vna anima præualeat toti auro mundi: si prædicator toto tempore vitæ suæ non lucratur nisi animam vnam, multum lucratur. Auarus similis est araneæ quæ euiscerando se telam præparat, qua muscas capiat. In bonis enim interioribus se damnificat, vt vilia acquirat. Esa. 59. Telas aranearum texuerunt. Ecclesiast. 10. Dicitur de auro, Proiecit in vita sua intima sua.

Dominicæ sextæ post trinitatatem

SERMO PRIMVS.

Nisi abũdauerit iusticia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, &c. Matth. 5.

Iusticia Scribarum & Pharisæorum diminuta erat. Et quantum ad illam partem iusticiæ quæ est declinare à malo: & quantum ad illam quæ est facere bonum: & quantum ad cohibitionem animi. Quantum ad primam partem diminuta erat, & quantum ad cohibitionem linguæ, & quantum ad cohibitionem manus, Quantum ad primum: quia non cohibebat animum vt manum. Quantum ad secundum: quia non cohibebat linguam à contumelia: sicut manum à violentia. Item, Non cohibebat linguam à simplici mendacio. sicut à periurio. Quantum ad tertium, quia permittebat fieri minus malum ad vitandum maius: vt adulterium ad vitandum homicidium, sicut patet in libello repudij. Deuter. 24. Item concedebat vt prouocatus malo alieno malum inferret proximo: vt patet in lege talionis, Exod. 21. Quantum ad secundam partem iusticiæ diminuta erat iusticia eorum quia non faciebat bonum omnibus: vt inimicis. Leuit. 19. Diliges proximum tuum, & odio ha.ini.t. Item bonum quod faciebant non faciebant recta intẽtione: sed vt viderentur ab hominibus. Nisi abundauerit iusticia vestra, &c. Notandum est quòd quadruplex est iusticia ad regnum non introducens. Prima est iusticia transiens. Secunda est iustitia hic mercedem recipiens. Tertia est iustitia remisse agens. Quarta iusticia excedens. De tribus primis, Bernard. Omnis iusticia transitoria: omnis iustitia vendita: omnis iustitia tepida erit in obliuione. Quarta dissuadetur Ecclesi. 7. Noli esse iustus multum, &c. Prima in regnum non introducit. Nec mirum quia ante regni ingressum deficit. Hæc est iusticia non perseuerãs. Talis est iusticia illorum qui pœnitẽtiam quã in quadragesima accipiunt post pascha proiiciunt: quos tẽpus paschale impotẽtes reddit non solum in medicta

medietate corporis: sed quasi in sex partibus corporis. Qui enim sex diebus in septimana potuit ieiunare: post pascha non potuit ieiunare in sexta feria. Perseuerandum est in iusticia inchoata, & seruanda est iusticia tanquam res valde preciosa. Precium enim est regni cœlestis. vnde vocatur iusticia regni. Matth. 7. Iob 27. Iusticiam meam, quam cepi tenere, non deseram. Apoc. 3. Tene quod habes vt nemo accipiat coronam tuam. Gal. 6. Bonum autem facie͂tes non deficiamus: te͂pore enim suo metemus non deficientes. secundum Bern. Sola perseuerantia singularis est filia summi regis. Illa enim sola cœlestem hæreditate͂ obtinet. Ve͂dita iusticia est, quæ fit pro aliqua re tra͂sitoria: vt laude humana vel pecunia, quæ ad regnu͂ non introducit. Mat. 5. Atte͂datis ne iusticia͂ vestram faciatis cora͂ hominibus: &c. alioquin mercede͂ non habebitis à patre vestro, qui in cœlis est. In eodem, Receperu͂t mer. suam. Iusticia excedens, est iustitia sine misericordia: quæ non est vera iusticia. Glos. super Mat. 5. Iusticiæ lumen est misericordia. Iusticia sine misericordia in tenebris est. Super illud Ecclesiast. 7. Noli esse iustus multum. Interline. Summum ius summa iniuria est. Hæc iustitia in regnu͂ non introducit, eo quod est sine misericordia. Iudiciu͂ enim sine misericordia fiet ei, qui non fecerit misericordia͂. Iacob. 2. Misericordia in paradiso loca distribuit. Vnde, Qui misericors non fuerit: in paradiso locum non habebit. Ecclesiast. 17. Omnis misericordia faciet vnicuique locum secundum meritum peregrinationis illius. Et sciendum quod huius intemperatæ iustitiæ triplex solet esse causa, scilicet, Inconsideratio propriæ infirmitatis. Prouerb. 19. Homo indigens, misericors est. Galat. 6. Considerans temetipsum, ne & tu tenteris. Ignorantia alienæ infirmitatis. Non agnoscitur de facili aliena infirmitas nisi per propriam. Sene. Regum animos induti obliuiscuntur propriæ infirmitatis: & alienæ deseuiunt, tanquam iniuriam acceperint. Item, Amor vanæ gloriæ vel laudis: ex quo enim ventus vanitatis percutit ignem zeli, totus accenditur: ita quod non timet facere magnam stragem animarum vt iustus dicatur: sicut iudex pro culpa leui filium proprium fecit occidi vt diceretur bonus iusticiarius: stultissimus mercator qui vanam laudem ita chare emit. Iusticia ad regnum introdu-

cens est: iusticia vera animum & linguam & manum cohibens. Omnibus & amicis & inimicis benefaciens: æterna quærens, sed cum nesciamus an veram aut falsam iusticiam habeamus: vnum remedium habemus vt ad humilitatem confessionis confugiamus: ad curiam diuinæ misericordiæ appellantes. Bernard. Apud dominum fratres ius habere non possumus, quia in multis offendimus. Sed nec fallere eum: ipse enim nouit abscondita cordis, quantomagis opera manifesta? Nec resistere viribus quoniam omnipotens est. Quid igitur restat nisi ad humilitatis remedia tota mente confugere: & quicquid in aliis minus habemus de ea supplere? Idem, Fugiamus ad misericordiam & dicamus quoniam melior est dies vna in atriis tuis super millia: & quoniam melior est misericordia tua super vitas. Et qui non possumus in vestitu innocentiæ seu iusticiæ apparere: appareamus vestiti in confessione. Confessio enim & pulchritudo in conspectu eius. Nisi abundauerit iusticia vestra, &c. Solent magistri in scholis docere faciliora pueros per maiores scholares: ipsi vero docent difficiliora maiores. Magister ecclesiæ Christus est. Matth. 23. Vos vocatis me magister, &c. Vnde Iudæos qui pueriles fuerunt, & quasi sub virga, docuit per viros à Deo edoctos quasi per maiores scholares, scilicet, per Moysen & Prophetas mandata leuiora: populum vero Christianum quasi magnum, capacem docuit ipsemet doctrinam sublimiorem, scilicet, legem nouam.

Ad differentiam doctrinæ veteris legis & nouæ pertinet euangelium hodiernum: in quo dominus tria facit. Primo ostendit Iudæorum doctrinam, etiam sicut docebant eam scribæ siue magistri legis, & sicut seruabant eam Pharisæi, qui maximæ religionis videbantur, esse insufficientem ad salutem. Secundo assumit quintum mandatum decalogi, scilicet, Non occides: implens quod deerat illi mandato: ostendens non solum manum esse cohibendam ab homicidio: sed etiam animum ab ira: & linguam à contumelia, ibi, Audistis quia dictum est antiquis, Non occides, &c. Tertio ostendit ab eo quem læserit aliquis reconciliationem eius sine dilatione esse quærendam, ibi, Si offers munus tuum, &c. Sequitur, Audistis quia dictum est antiquis, Non occides. Occasione horum verborum di-

cunt.

cunt quidam neminem esse occidendum: circa quem errorem multa inuenies in tractatu virtutum, capitulo vltimo, de disciplina. Et notandum quòd multum debemus cauere homicidium: & homicidiũ nostri: & homicidium alterius. Et maxime nostri. Occidit vero aliquis seipsum: cum mortaliter peccat. Sapient. 16. Homo per maliciam occidit animam suam. Iob 7. Virum stultum interficit iracundia: & paruulum occidit inuidia. Item, Os quod mentitur, occidit animã. Psal. Interficitis vniuersi vos. &c. Cauendũ est etiã ab occisione alterius: quod fit multipliciter. Primo corde. 1. Iob 3. Qui odit fratrem suum, homicida est. Secundo ore: vt in detractoribus. Prouerb. 30. Generatio quæ pro dentibus gladios habet. Hiere. 9. Sagitta vulnerans lingua eorum. Psalm. Exacuerunt vt gladium linguas suas. Tertio, gladio materiali. Act. 12. Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio. Quarto, malo exẽplo. Rom. 14. Noli cibo tuo illum perdere pro quo Christus mortuus est. Sic autẽ peccantes in fratres & percutientes conscientiam eorum infir. in. Christum peccatis. Quinto, taciturnitate mala. Exechi. 3. & 34. Si dicente me ad impium mor. mo. non fueris locutus ei vt se custodiat à via sua ma. ipse impius in ini. sua mo. &c. Gre. Quia iusto pereunte qui in peccato cecidit, prædicator tacuit: eius sanguis reus tenetur. Sexto, incauta repræhensione. Deuteron. 19. Qui percusserit proximum suum nesciens. &c. & in succisione lignorum securis effugerit manuum: ferrumque lapsum de manubrio amicum eius percusserit & occiderit: hic ad vnam supradictarum vrbium confugiet & viuet. In siluam imus: cum per corruptionem viciorum incidere intendimus. Ferrum labitur: cum asperior correptio debito exercetur: & proximus ad impatientiam mouetur. Septimo, duritie & immisericordia ad indigentes. Aug. Pasce fame morientem: si non pauisti occidisti. Prouerbio. 27. Qui subtrahit aliquid à paupere: supple, de necessariis exhibendis: & dicit hoc non est peccatum: particeps homicidæ est. Octauo bona pauperem rapiendo. Ecclesiasti. 34. Qui aufert in sudore panem: quasi qui occidit proximum suum. In eodem, Panis egentium, vita pauperis est: qui defraudat illum, homo sanguinis est.

Dominicæ septimæ post trinitatem, SERMO PRIMVS.

CVm turba multa esset cum Iesu, &c.Mar.8.

In hoc euangelio ostenditur primo quare dominus turbam pauerit.Secundo vnde eam pauerit, ibi; Et interrogabat eos.Quot panes habetis?Tertio quomodo eos pauerit,ibi,Et præcepit eos discumbere,&c.Quarto ostenditur multitudo reliquiarum conuiuij, ibi, Et sustulerunt fragmenta,&c.Quinto numerus mãducantium ibi,Erant autem qui manducauerant,&c. Ad modum pascendi pertinent ista, scilicet, quòd turbam super terram discumbere fecit:quòd gratias egit: quòd ipsemet panes fregit:quòd eos discipulis dedit turbæ apponendos:quòd fuit ibi benedictio piscium:& pulmenti appositio:& quòd satiauit eos quos pauit. *Misereor super turbam, &c.* Recolit ecclesia in euangelio hodierno vnum de conuiuiis solennibus factis à saluatore in mundo isto.Non legitur fecisse nisi duo talia:quia melius iudicauit intendere refectioni animarum,quàm corporum,Augustinus,Non est magnũ pascere ventres morientes: sed magnum est pascere animas in æternum victuras. Octo vero inueniuntur in hoc euangelio facta à saluatore,pertinentia ad ædificationem nostram.Primum est quòd turbam refecturus,discipulos conuocauit:& de hoc quod facturus erat cum eis tractauit.Glos.super Matth.15.Dominus discipulos conuocat vt doceat maiores consilia sua minoribus communicare: & vt ex locutione intelligant signi magnitudinẽ.Sunt aliqui qui credunt se sibi sufficientes,à nullo consilium quærentes:qui putantes se esse sapientes,stulti facti sunt. Rom. 1. Aug.vbi dixisti sufficit, ibi defecisti : vbi tibi placuisti, ibi peristi.Bernar.Omnia illi desunt,qui sibi nihil deesse putat.Prouerb. 26. Vidisti hominem sibi sapientem videri? magis illo spem habebit insipiẽs.Ecclesiasti.22.Fili, nihil sine consilio facias.Secundum est quòd dominus ostendit quid ad pascendum turbam eum mouerit, ibi, Misereor super turbam,&c.Non mouit eum mundanæ gloriæ vanitas:sed pietas. Sunt aliqui qui ideo faciunt magna conui-

Octo fecit saluator pertinẽtia ad nostram ædificationem.

conuiuia, vt largi dicãtur. Qui in veritate largi non sunt, licet ventus vanitatis res suas eis auferat sicut arbor nucis larga non est licet fructus eius à vento excutiatur. Pietatem autem saluatoris multa mouere potuerunt: vt in actũ miserandi exiret. Primum fuit hoc quòd turba erat. Turba enim est miseranda: quia vix est quin sint in ea multi indigentes misericordia: & digni ea. Sunt enim in ea aliqui simplices defectum sapientiæ habentes: aliqui verecundi: aliqui vero pauperes valde: & aliqui magni meriti apud deum. Turbæ impendebat beneficia sua saluator: vt beneficium instructionis. Matth. 5. Videns Iesus turbam, ascendit in montem, &c. & aperiens os suum docebat eos. Item beneficium sanationis. Matth. 14. Exiens vidit turbam multam: & miseratus est eius: & curauit languidos eorum. Item beneficium corporalis refectionis: vt hic habetur. Secundum fuit hoc quòd triduo sustinuerunt eum, vel perseuerant cum eo: vt dicitur Matth. 15. Multum valet perseuerantia ad impetrandum à domino quod ab eo petitur: vt dominus ostendit Lucæ 11. in parabola de amico veniente de via. Item in parabola de iudice iniquo & vidua, Luc. 18. Ad hoc sustinuerat turba dominum, vt infirmos ipsius sanaret. Si ergo infirmitates tuas spirituales vis sanare: exemplo turbæ sustine dominum triduo, scilicet, vt primus dies sit dolor contritionis, secundus pudor confessionis, tertius labor satisfactionis. Hoc est triduum quo itur, vt sacrificium gratum deo offeratur. Exo. 5. Vel potest intelligi primus dies cognitionis veri: secũdus detestatio mali: tertius amor boni. Tertium quod mouit dominum: fuit turbæ indigentia: quia non habebant quod manducarent. Chrysost. Sine indigentia non fecisset deus mira. Hic ostendit dominus facto quod Luc. 14. ostenderat verbo dicens, Cum facis conuiuium, voca pauperes, &c. Quarto poterat eum mouere quòd ipsi laborauerant: vt ipse dicit: Quidam ex eis de longe venerunt. Quinto hoc quòd laboraturi erãt, vnde ipse dicit, Si dimisero eos ieiunos, deficient in via. Sexto hoc quòd erant in solitudine: vbi necessaria venalia non inuenissent: etiam si pecuniam habuissent. vnde dicunt discipuli, Vnde quis istos poterit satiare panibus in solitudine? Tertium pertinens ad ædificationem nostram est hoc quòd de numero pa-

num quæsiuit, Voluit dominus numerum panum à discipulis responderi: vt veritas miraculi per hoc appareret: & ad commendationem septiformis gratiæ spiritussancti. Illa refectio facta ex septem panibus significat doctrinã nouæ legis in qua septiformis gratia spiritus sancti & reuelatur & datur: Hæ septem gratiæ possunt intelligi septẽ dona spiritus sancti: vel virtutes, scilicet, tres theologicæ: & quatuor cardinales. Quarum tres ordinant ad finem supremum, scilicet, fides, spes, charitas. Quatuor circa illa quæ ducunt ad finem illum. Fide agnoscimus finem esse sempiternum bonum se communicans. vnde duæ oriuntur affectiones, scilicet, Spes ex eo quòd cognoscitur liberalissimus, bona sua communicando. Et desiderium ex eo quòd cognoscitur esse bonum, quo nihil melius desiderari potest. Bonum enim est quod desideratur ab omnibus, vt ait Dyonisius. Hoc desiderium pertinet ad charitatem. De quatuor cardinalibus dicit August. Prudentia est eligere quod eligendum est. Fortitudo nullis auelli molestiis. Temperãtia nullis illecebris. Iusticia nulla superbia. Attendendum vero est quòd saluator audito à discipulis quòd septem panes haberẽt: turbam discumbere iussit: ad ostendendum quòd pane contenti esse debemus, quando alia non inueniuntur. Quod est contra quosdam qui dicunt quòd non pro solo pane imponent mensam: vel non sedebunt ad mensam. Quartum est quod eos ad terram discumbere fecit: ad ostendendum quòd in noua lege terrena contẽni iubentur, quæ in veteri promittebãtur. Esa. 1. Si volueritis & audieritis me: bona terrę comedetis. Matt. 5. Si vis perfectus esse, vade & vẽde omnia, &c. Quintũ est quòd gratias egit. Debemus gratias agere deo in conuiuiis nostris, cum gratias agamus hominibus, etiam pro modicis beneficiis ab eis receptis. 1. Timo. 4. Nihil est reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur, &c. Sextum est quòd panes & pisces benedixit. Benedictio etiam in conuiuiis nostris non est negligenda: qua oratur vt qui creauit & dedit cibum, det salubrẽ eius vsum: quod non est paruum donum. Sene. Stulto nulla re opus est, quia nulla re scię vti. Idem, Doce non esse positum bonum vitæ in spacio eius, sed in vsu. Idem est intelligendum de aliis rebus temporalibus 1. Tim. 4. Dicitur de cibo, Quod

ſanficatur per verbum dei & orationem: ne, ſcilicet, ſit noxius animæ vel corpori. Intrauit diabolus in ſanctimonialem, quæ lactucam ſine benedictione comedit, vt legitur in dialog. Greg. Septimum eſt quòd piſces apponi iuſſit: ad oſtendendum quòd cibo verbi diuini addendum eſt pulmentum exempli boni. Magis enim ſuadent opera, quam verba, vt dicit Ambroſ. Seneca. Longum iter per præcepta: breue & efficax per exẽpla. Octauum eſt quòd panes & piſces multiplicauit: ideo quòd poſtquam ex eis quatuor milia præter mulieres & paruulos ſatiata ſunt, ſeptem ſportæ plenæ fuerunt fragmentis, quæ remanſerunt: ad oſtendendum quòd miſericordibus bona temporalia à deo multiplicantur. Luc. 6. Date & dabitur vobis. Grego. in dialog. Terrenæ ſubſtantiæ per hoc quòd pauperibus diſtribuuntur, multiplicantur. Prouerb. 11. Alij diuidunt propria: & ditiores fiunt. Eccleſiaſtici 28. Qui dat pauperi, non indigebit 3. Reg. 17. Illi viduæ quæ Helyam pauit, farina & oleum non defuerunt donec pluuia à domino data eſt mundo. Potius Helias pauit viduam: quam vidua ipſum. Multotiens potius pauperes paſcunt miſericordem, quam miſericors ipſos: quia miſericors fideliter diſpenſat bona ſua ſibi à deo commiſſa: ideo meritò à deo ſuper multa conſtituetur. Matth. 15. Dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via. Notandum quòd tribus generibus hominum graue eſt ieiunare, ſcilicet, Conualeſcentibus ab ægritudine magna, itinerantibus, & pueris. His tribus modis ſe habent qui de nouo de peccatis ſuis pænituerunt. Conualuerunt enim à multis & magnis ægritudinibus: viam paradiſi ingreſſi ſunt: puer vnius anni vel menſis ſunt. Ideo cibus verbi diuini eis eſt neceſſe, & ſine illo deficiunt. Gloſa Bedæ ſuper Matth. 15. Perit qui ſine cæleſti pane ad patriam tendit. 3. Reg. 19. Surge, comede: grandis enim tibi reſtat via. Tren. 1. Facti ſunt principes eius ſicut arietes, non inuenientes paſcua: & abierunt abſque fortitudine, ante faciem ſubſequentis.

Sermo secundus de eodem.

QVot panes habetis? Et dixerunt, septem.

Septē panes spiritualiter. Septem panes possunt intelligi septē quibus vita spiritualis sustentatur. Primus est opus virtutis. Virtus enim deficit, nisi exeat in opus: sic potentia videndi in eo qui diu in tenebris est, deficit, cum non exeat in actum suum: sustentatur enim actu suo. Vnde in persona virtutum potest intelli. illud Esa. 4. Panem nostrum comedemus. Panis virtutum est opus earum quo sustentamur. Secundus est doctrina. Deuterono. 8. Afflixit te penuria & dedit tibi manna: cibum quem ignorabas tu & patres tui: vt ostenderet quòd non in solo pane viuit homo: sed in omni verbo quod procedit de ore dei. Tertius est exemplum. Ecclesiasti. 29. Quæ in manu habes ciba cæteros. Bernard. Efficacior est vox operis, quam vox sermonis. Quartus est sacramentum altaris. Ioh. 6. Panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita. Quintus est inspectio creaturarum. Esa. 29. Erit visio omnium quasi visio libri signati. Sextus est oratio: quæ multum roborat hominem. Septimus est meditatio. De his duobus dicit Bernard. Vita hominis, amor dei. Hunc fides concipit: spes parturit: spiritus sanctus format & viuificat: lactat lectio: meditatio pascit: oratio confortat. Pisciculi sunt consolationes quas dominus dat in præsenti. In Psalm. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Ioh. 14. Rogabo patrem & alium paracletum dabit vobis. Et bene dicuntur pisciculi presentes consolationes: respectu enim consolationum quæ erunt in patria se habent ad instar puncti. Bernardus exponit quæ dicuntur in hoc euangelio de claustralibus, his verbis, Saluatorem fratres mei in desertum secuti estis: & existis ad eum extra castra. Sed vereor ne quis forte in triduana expectatione pusillanimis inueniatur: & in Ægyptum huius seculi nequam corde vel etiam corpore reuertatur: propter hoc dicit scriptura, Expecta dominum, & viriliter age. Idem, Viam trium dierum

rum eas necesse est in deserto, si gratũ deo tuo offerre volueris sacrificium:& triduo sustineas saluatorem, si miraculi panibus desideras satiari. Item Bern. Prima est dies timoris, horrendum supplitium gehennæ demonstrans. Secunda dies est pietatis, qua respiramus in luce miserationum dei. Tertia dies est resurrectionis, in qua veritas innotescit vt tanquam ex debito quodam naturæ sine alia cõsideratione creatura subiecta sit creatori: seruus seruiat redemptori. Septem panes quibus reficimur, isti sunt. Primus panis est verbum fidei, in quo vita hominis est sicut ipse testatur. Secundus panis est obedientia. Quoniam meus inquit cibus est vt faciam voluntatem eius qui me misit. Tertius panis est meditatio sancta. De qua scriptum est, Meditatio sancta seruabit te. & quæ in alio loco nominari videtur, Panis vitæ & intellectus. Quartus panis est orantiũ lachrimæ. Psalmus, Panem meum cum fletu miscebam. Quintus, labor pænitentiæ. Nec miraberis quòd laborem aut lachrimas panem dixerim: nisi forte excidat tibi quòd in propheta legisti, Cibabis nos pane lachrimarum. Item in psalmo alio, Labores manuum tuarum quia mãducabis, beatus es & bene tibi erit. Sextus panis est iocunda vnanimitas socialis: panis inquam ex diuersis granis confectus: fermentatus sapientia dei. Septimus panis est eucharistia: quoniam inquit panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita. Item septem panes secundum Ber. sunt septẽ misericordiæ. Prima est quòd à multis peccatis adhuc in seculo positum custodiuit. Prima quidem non inter omnes quas impendit: sed inter has septẽ. Quis enim non videat quòd sicut in multa peccata cecidi, sic & in alia cecidisse potui nisi me omnipotens pietas seruasset? Fateor & fatebor, nisi quia dominus adiuuit me, paulominus habitasset in inferno anima mea. At miseratio tua secũda super me domine, quonam poterit explicari sermone? Ego peccabam: & tu dissimulabas. Non continebam à sceleribus: & tu à verberibus abstinebas. Prolongabã ego multo tempore iniquitatem meam: & tu domine pietatem tuam. Tertia miseratio fuit quòd visitauit cor meum & immutauit vt amara fierent quæ prius male dulcia erant. Et qui lætabar cum male facerem, & exultabam in rebus pessimis: nunc recogitarem ei annos meos in amaritudine animæ

Septẽ panes secũdum Bernar.

animæ meæ.Quarta miseratio fuit quòd penitenté misericorditer suscepisti:vt in numero eorũ inuenirer de quibus Psal.Beati quorũ remissæ sunt iniquitates,&c.Quinta misericordia est per quã mihi cõtinẽdi deinceps & emẽdatius viuendi præstitit virtutem, ne recidiuũpaterer:& esset nouissimus error peior priore. Sexta misericordia est gratia promerendi,cũ,scilicet munus bonæ cõuersationis indulges. Septima spes obtinendi qua donas homini indigno peccatori de tua tociens experta bonitate vsque ad cælestia speranda præsumere.Item, de miserationibus diuinis dicit Ber.Sic onerat me miserationibus deus, sic concludit,sic obruit beneficiis suis,vt onus aliud non possim sentire. Quid enim retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi?Tanta tribuit,tanta retribuit mihi: & tu mihi de alio onere loqueris?Deficit spiritus meus:prorsus deficit beneficiorum consideratione. Et licet dignas non sufficiam gratias agere, ingratitudinem prorsus odit anima mea.Peremptoria siquidem est ingratitudo:& hostis gratiæ salutis inimica. Vnde istos quis poterit saturare panibus in solitudine. Sicut cælum solitudo est malis secundum illud Luc.15.Dimisit nonagintanouem in deserto: sic mundus solitudo est bonis:qui licet habeant ibi bona trãsitoria: sunt tamẽ ibi quasi non habẽtes.1.Cor.7. Qui gaudent tanquam non gaudentes,& qui emunt tanquam non possidentes, & qui vtuntur hoc mundo tanquam non vtãtur.In hac solitudine dat dominus septem panes, scilicet, septem dona spiritussancti possumus cõtra carnem, mundum,Diabolum. Dono scientiæ,timoris & pietatis possumus contra carnem. Dono consilij & fortidudiniscontra mundum.Dono intellectus & sapientiæ,cõtra Diabolum. Dono scientiæ cogitat quis vilitatẽ criminis,scilicet quomodo ipse sit vas stercorum: immo latrina lachrimarum. Aliæ enim latrinæ non sordescunt nisi per ipsam.Dicitur Iudicum 3.quòd percusso Eglon rege, per secreta naturæ statim stercora proruperunt.Non apparebat prius ibi esse latrina:sed tunc apparebat. Item, Dono scientiæ cogitat quis carnem esse domum ruinosam ad cuius reparationẽ frustra quotidie laboratur. Aggei.1. Comedistis & non estis saciati.& subditur, Qui mercedes congregaui misit eas in saccũ pertusum. Saccus pertususest caro de qua per multa

multa foramina sordes effluunt. Itē Dono sciētiæ cogitat quis carnē esse carcerem interioris hominis. In Psal. Educ de carcere animā meā. Rom. 7. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Hic carcer est luteus, im mundus & tenebrosus. Iob. 4. Quāto magis qui habitant domos luteas, &c. Oseæ. 8. Israel factus est in nationibus quasi vas immundum. in Psalmis, Eripe me de luto vt non infi. Iob. 3 Viro cuius abscōdita est via: & circundedit eum deus tenebris. Item, Dono scientiæ cognoscit quis carnem esse colubrum. De quo dicitur, quod cum foueret in sinu eius qui eum liberauerat complexus eum cepit pungere. Et cum quereretur: quid facis? respondit, Naturā meam facio. sic caro reddit malum pro bono. Dicitur quòd ista tria male remunerant hospites, scilicet. Mus in pera: Coluber in sinu: Ignis in domo. Dono ergo scientiæ cognoscitur caro esse coluber: & fugiendo vincitur. Ecclesiasti. 21. Qua si à facie colubri fuge peccatum, &c. Item, Dono timoris caro vincitur fugiendo. timoris enim est fugere. Prouer. 14. Sapiens timet & declinat à malo. eiusdem 12. Per timorem domini declinat omnis à malo. Item, Dono pietatis caro vincitur. vnde super illud 1. ad Ti. 4. Pietas ad omnia vtilis est. dicit glos. Omnis summa Christianæ disciplinæ in misericordia & pietate consistit: quā aliquis sequens & si lubricum carnis patiatur: vapulabit quidē sed non peribit. Dono consilij & fortitudinis vincitur mundus, qui impugnat prosperis & aduersis. Dono cōsilij prosperitatem nobis vtilem reddimus: dum ea quæ non possunt seruari retinendo, seruamus distribuendo. Stultus est qui omne frumentum suum recondit in horreo: nihil inde seminans cum pars esset seruanda. Gene. 47. Reliquas partes permitto vobis in sementem, &c. Pauperes sunt quasi thesaurus vel sacculus. Ecclesiastici 29. Eleemosyna viri quasi sacculus cum ipso, & Luc. 12. Vendite quæ possidetis: & date eleemosynam. Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum indeficiētem in cælis. Dono fortitudinis aduersitas nobis vtilis redditur dum patienter toleratur. Dono intellectus & sapientiæ Diabolus vincitur: sunt enim pennæ spirituales, quibus in cælum volatur. Prouer. 1. Frustra iacitur rhete ante oculos pennatorum. Glos. Facile euadit laqueos in terris qui oculos habet in cælis. Diabolus tentans

tans de mundi gloria, vincitur dono intellectus, cuius est legere interiora. vnde, Sub mundi gloria videt ignominiā. secundum illud Phil.2. Gloria in cōfusione eorum qui te. sa. Et Oseæ.4. Gloriam eorum in igno. cō. Item Sub temporali ignominia videt immarcessibilem gloriam. Moyses minabat gregem ad interiora deserti. Exo.3. Sic interiora mundi respiciēda sunt vt ab eo resiliatur. Naū.3. Qui viderit te resiliet à te. Item, Dono sapientiæ vincitur Diabolus. Dono enim sapientiæ sapit cælestis gloria: & sic mundana gloria abominabilis redditur. Luc.16. Quod aliū est apud homines: abominatio est apud deum. Ecclesiastes.1. Vbi multa sapientia, multa indignatio.:. Mac.3. Gloria viri impij stercus & vermis. Et manducauerunt & saturati sunt.

Notandum quòd sex sunt genera hominū qui non satiantur ad mensam domini. Primi sunt illi qui ad eam nō accedunt: qui sunt maledictio secundum illud, Maledicti qui decli. à mandatis tuis. In Psalmis, Omnem escam abominata est anima eorum. Secundi qui accedentes ad mensam domini non comedunt sed abscondunt vt postea vendant: non acquiescentes illi exhortationi, Cant.5. Comedite amici, & bibite: & inebriamini charissimi. Tertij sunt quidā homines rustici qui ad mensam domini tergū vertunt. Ecclesiastici.9. Quā aspera est nimiū sapientia indoctis hominibus: & non permanebit in ea excors. Excors est qui habet cor suum alibi. Quarti sunt seculari sciētia satiati. prouer.27. Anima satiata calcabit fauum, &c. Quinti sunt homines fastidiosi qui nolunt audire nisi noua: & ex quo aliquid semel audierunt, licet illud nesciāt, non possunt illud audire de cetero. Sen. Fastidientis animi est multa degustare. Sexti sunt homines maleuoli & detractores. Sapien.1. In maleuolam animam non introibit sapientia. Erant autem qui mādu cauerant quasi quattuor milia. Notandum quod sex sunt in quibus hæc refectio domini differt ab alia. Primo in hoc quod ibi fuerunt quinque panes: hic vero septem. Secundo in hoc quòd illi fuerunt ordeacei: isti credūtur fuisse triticei. Tertio quòd ibi sederunt super fænum: hic super terrā. Quarto in hoc quòd ibi fuerunt quinque milia qui manducauerāt: & hic quattuor. Quinto in hoc quòd ibi duo pisces: hic pisciculis pauci. Sexto in hoc quòd ibi duodecim cophini pleni

his

his quæ super fuerũt:hic septem sportæ. Quid per septem panes designetur iam ostensum est. Sed nota quod in pane ordeaceo signatur timor pungitiuus: & palea figurarum intellectum tegens: quæ in veteri lege abundabant. In pane triticeo amoris suauitas in noua lege abundans. In discubitu super fænum: ostenditur quòd in veteri lege desideria carnis reprimebantur. In discubitu vero super terram, facto in hoc conuiuio: ostenditur quòd in noua lege terrena contemni docentur. In hoc quòd quinque milia fuerunt in alio conuinio: insinuatur populum illum subditum fuisse quinque sensibus. In hoc quattuor milia sunt propter quatuor virtutes quibus spiritualiter viuitur. Ibi duo pisces: quia duæ personæ erant quæ populum pascebant, scilicet rex & sacerdos. In noua autem lege pascitur populus sanctis qui multi sunt. De sexto dicit Chrysostomus, Quare supra duodecim cophini fuerũt vbi plures manducauerunt. Et respondet, forte sportæ cophini sunt maiores. Potest etiam numerus sportarum ad idem referri ad quod numerus panum, scilicet ad septiformem gratiam spiritussancti.

Dominicæ octauæ post trinitatem,

SERMO PRIMVS.

ATtendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos, &c. Mat. 7.

Cum sint quattuor impedimenta acclesiæ in via præsentis vitæ videlicet aperta persecutio tyrannorum deceptio hæreticorum, simulatio falsorũ fratrum, antichristus & sui: de duobus agitur in hoc Euangelio. Primo de deceptione hæreticorum, ibi, Attendite, &c. Secundo de simulatione falsorum fratrum, ibi, Non omnis qui dicit mihi domine domine, &c. Heretici cum bene videantur viuere, male docent. Falsi fratres cum bene videantur docere, male viuunt. In prima vero parte primo monemur vt ab hæreticis caueamus, ibi, Attendite à falsis prophetis. Secundo docemur qualiter eos agnoscere valeamus, ibi, A fructibus eorum cognoscetis eos. Attendite à falsis pro. &c. In

verbo

verbo attendendi monemur ad vigilantiam in cognoscẽdo malum. Chryso. Magna virtus boni est cognoscere malum: & firma tutela salutis scire quæ fugias... Io. 3. Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex deo sint: quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum. 2. Pet. 2. Nota quòd heretici rectè dicuntur falsi, cum ipsi falsificent literas & cælestis regis, & monetam paradisi. Ipsi corrumpunt litteras sacræ scripturæ quæ filio dei qui est imago patris quasi sigillo appenso confirmatæ fuerunt in cruce. Iob. 13. Ostendam vos fabricatores esse mendacij, & cultores peruersorum dogmatum. Monetam vero paradisi falsificant: aurum diuini amoris subtrahẽdo ei: dum orationes, ieiunia, eleemosynas amore vanæ gloriæ faciunt: quæ amore Dei facere debuerunt. Sequitur, Qui veniunt ad vos in vestimentis ouium. Secundum Aug. Vestimenta ouium sunt blanda verba innocẽtum, cæteraque religionis signa. 2. Ti. 3. Habentes quidem speciem pietatis: virtutem eius abnegantes. Quis dum viuit pelle sua cõtegitur. Mortua autem oue: alius contegitur. inde, Ouis viua est vere innocens, qui pelle honestæ conuersationis ornatur. Sed quasi pellis ouis mortuæ est conuersatio exterior hypocritæ. Glo. Ieiunia & orationes sunt simulatis sicut & bonis. Sed non debẽt oues pelles suas deponere, & si aliquãdo lupi eis se contegant. Intrinsecus autem sunt lupi rapaces, videlicet vel spiritualiter corrumpendo, vel si possint factis persequendo: vt patet in Arrio, cuius consilio tẽpore suo omnes episcopi catholici missi sunt in exilium: vt vix inuenti sint tres episcopi qui obsisterent & obuiarent ei. Act. 20. Scio quia intrabunt inter vos post discessum meũ lupi rapaces. Chrysost. Lupus tectus pelle ouina per vocem cognoscitur & per actum. Ouis balat inclinata deorsum: lupus vlulat contra cælum. Hoc superbiæ: illud humilitatis signum. Ouis herbam manducat: lupus carnem. Qui ergo sanguine gaudet & bellis: lupus est. Et notandum quòd sicut illi nos decipiunt qui speciem boni prætendunt cum sint mali: sic etiam interius decipimur quibusdam prænunciationibus quasi quibusdam prophetiis habentibus speciem boni. Tren. 2. Prophetæ tui viderunt falsa & stulta. Proponit aliquis recedere à peccato: sed occurrit ei cogitatio dicens: quòd potest hoc differre, pro-

mittēs ei longos dies cum adhuc iuuenis sit: vel quia satis alia vice recuperabit: vel quòd non debet nimis terreri magnitudine peccati: & inducit ei exemplum de Magdalena & Dauid. Vel quòd cum sit lubricus, post confessionem deterius cadet. Vel quòd omnia grandi pœnitentia redimet intrādo religionem: vel eūdo in terram sanctam. Et quòd hoc securius est quam cadere modo & post resurgere:& iterū cadere. Velut Prophetiæ diabolicæ sunt huius cogitationes. Immissæ enim sunt ab angelo malo & de futuro sunt. Sed quòd prima sit falsa patet per hoc, quòd plures pelles venales agnorum inueniuntur in foro quàm arietum:& frequētius moriūtur homines non senes quàm senes. in Psal. Viri impij non dimidiabunt dies suos. Secundam etiam patet esse falsam. Non enim est in voluntate hominis egressus de peccato: peccatum enim nassæ cōparatur, à qua piscis per se non exit, licet per se intrare possit. Item, comparatur casui elephātis qui per se non resurgit: & fractioni vitri vel testæ quæ non cōsolidantur. Alia etiā prophetia fallax est. Exēplum enim Dauid, vel Magdalenæ non est ad hoc vt ad peccatū quis incitetur: sed ad hoc vt si quis peccauerit, non desperet. Nec omnibus facit deus quod illis fecit. Ioel. 2. Quis scit si cōuertatur, &c. Alia etiā prophetia fallax est, quæ solicitudinē facit de vulnere non recepto. Qui cecidit, sollicitus debet esse quomodo surgat:& orare humiliter deū vt operi suo porrigat dexterā. Iob 14. Sed qui stat, sollicitus debet esse ne cadat. Alia etiā prophetia fallax est. Fatuum enim est quòd aliquis proponat se facere magnā pœnitentiam cum infirmior erit: qui nunc non potest facere paruam. vnde, Qui non est hodie, cras minus aptus erit. Senilis ætas minus est potēs ad tollenda onera quàm iuuenilis. Cum omne totum maius sit sua parte: qui non potest vnum peccatum parum redimere penitus: quomodo poterit omnia redimere magna penitentia? Itē, Cum militia vita hominis super terrā: Iob 7. & valde vtiliter militetur cum peccata per penitētiam destruantur: quanta fatuitas est senilem ætatem huic militiæ reseruare, vt aliquis nolit militare donec decrepitus fuerit? Tren. 3. Bonum erit viro cum portauerit iugum domini ab adolescentia sua. A fructibus eorum cognoscetis eos. Secundum Augustinum à tribus maxime cognoscuntur

hypocritę. Quorum primũ est bonorum oppressio. Opprimunt enim bonos persequendo factis: vel detrahẽdo verbis. Secũdum est facilis reprehensio aliorũ. Quod faciunt vt videantur zelũ habere. Tertiũ est impatientia in aduersis. vnde dicit Gl. quod maxime discernũtur per impatientiam in tempore aduersitatis. Quod manifestum est in hypocritis nostri temporis qui mouẽtur ad contumelias sibi dictas quia gloriã quærũt. Hier. Nõ quæras gloriã: & non dolebis cũ inglorius fueris. Qui laudẽ non appetit: cõtumeliã nõ sentit. Specialiter tũc cognoscũtur ex fructibus hypocritę: cũ dignitates sunt adepti. Cognoscuntur inquã quales prius fuerint. vnde, cũ quidã diceret: honores mutant mores: alius correxit, Immo monstrant mores. Sequitur, Non potest arbor bona fructus malos facere. &c. Bona arbor est bonus homo & iustus. vel bona voluntas. Et nota quod fructus viri iusti in præsenti sunt duodecim: Et in patria erũt duodecim. Primus in præsenti est. Bonorum temporaliũ multiplicatio. Esa. 1. Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Proue. 13. Custoditur iusto substantia peccatoris. Iob 27. Argentũ eorũ innocens diuidet. Secũdus est quod omnia tã prospera quã aduersa seruiunt eis & ad salutẽ cooperãtur. Rom. 8. Scimus quoniã diligentibus deũ, omnia cooperantur in bonum. Tertium est continuum incremẽtum spiritualiũ bonorũ. Prouer. 4. Iustorũ semita quasi lux splẽdens præcedit & crescit, &c. Quartus est radicatio eorundem. Ephe. 4. In charitate &c. Quintus est cõsolationum spiritualiũ multiplicatio. Esa. 6. Ego consolabor vos. Sextus est, secretorũ reuelatio. Ioan. 15. Quæcunque audiui à patre meo nota feci vobis. Amos 3. Non faciet dominus verbũ nisi reuelauerit secretũ suũ ad seruos suos prophetas. Septimus est, iocũditas domini in bene operando. Psal. In custodiendis illis retributio multa. Ecclesiast. 25. Homo qui iocundatur in filiis. Naturalis iocunditas animæ est: in bonis operibus sicut hominis in filiis. Octauus est: victoria de diabolo. Iac. vlt. Resistite diabolo, & fugiet à vobis. Nonus est, fomitis debilitatio: quæ significata est, Ios. 11. vbi præcepit dominus Iosue vt equos subneruaret. Decimus est, experientiæ eruditio. Ecclesiasti. 34. Qui non est expertus, pauca recognoscit. Vndecimus est, cognitionis diuinæ per contemplationem

præliba

prælibatio. Ezech.32. Vidi dominum ſedentem.&c.& Iacob,Gene.28. Vidi dominum facie ad faciem. Duodecimus eſt,ſpei roboratio.Greg.Tanto ſpes in deum ſolidior ſurgit: quanto quis pro eo grauiora ſuſtinuerit. Sequitur de fructu iuſticiæ in patria. Sapien. 3. Habebit fructum in reſpe.animarum ſanctarũ.Primus eſt gaudium de egreſſu exilij.Hiere.31.In miſericordia reducam eos.&c.Secundus eſt gaudium de abſolutione carceris.Pſal.Educ de carcere animam meam.Rom.8.Iufelix ego homo,quis me liberabit de. &c.Tertius eſt gaudium de laqueorum,id eſt, tentationum euaſione.Pſal.Laqueus contritus eſt, &c. Quartus eſt gaudium de liberatione à ſeptem vinculis pœnalibus,quæ ſunt:fames, ſitis, calor,frigus,laſſitudo,ægritudo & neceſſitas moriendi. Eſai. 25. Præcipitat in monte iſto faſcem vinculi colligati ſuper omnes populos. Sextus de pœnæ æternæ euaſione: pro qua ſancti miſericordias domini in æternum cantabunt.vnde.Mich.Miſericordiæ domini quòd non ſumus conſumpti.Eſai.4.Exultatio his qui ſal.f. de Iſrael. Septimus erit plena libertas. De quibus, Rom.8.In libertatem g.ſi.Dei. Octauus eſt, deſiderata ſocietas. Matth.8.Multi venient ab oriente & ab oc.&c. Nonus eſt, conſummata charitas. Tunc enim ex toto corde diligent deum.1.Corum.13. Cum venerit quod perfectum eſt euacuabitur quod ex parte eſt. Decimus eſt, deſiderabilis Chriſti fratris humanitas. Cant.8. Quis mihi det te fratrẽ meũ ſugentem vbera,&c. Vndecimus eſt,pacis tranquilitas. Pſalm. In pace in idipſum dor. & requieſcam. Et iterum,Qui poſuit fines tuos pacem.&c.Duodecimus eſt: confirmata ſecuritas. Pſal. Non timebis à timore nocturno,&c.

In patria, fructus duodecim.

Sermo ſecundus de eodem.

OMnis arbor quæ. &c.

Id eſt tam laicus , quã clericus, quã religioſus. Laicus oliua debet eſſe:cuius fructus debẽt eſſe opera miſericordiæ.Pſal. Ego ſicut oliua fructificans in domo Dei. Hiere.11. Oliuam vberem,fructiferam,ſpecioſam vocauit.

nomen tuũ. Clericus vero vitis debet esse fructificans suauitatem odoris. Ecclesi.24. Odor bonæ opinionis multum est necesse eis.1. Cor.2.Christi bonus odor sumus,&c. Debet autẽ clericus esse vitis non solum frondosa: sed & fructuosa. Oseæ 11. Vitis frondosa Israel: fructus adæquatus est ei,&c. Religiosus vero debet esse ficus ferens dulcem fructũ.Prouer.27.Qui seruat ficum,comedet fructus eius. Hiere.24:Quid tu vides Hieremia? Ficus bonas:bonas valde:& malas:malas valde.Boni religiosi sunt valde boni: & mali sunt valde mali.Aug.Sicut nõ inueni meliores quam qui in monasterio profecerunt: sic non expertus sum deteriores quam qui in monasterio defecerunt.De his tribus lignis legitur,Iudic.9.quod imperium super ligna recipere noluerunt.Quia,scilicet oliua pinguedinem, vitis læticiam,ficus dulcedinem relinquere noluerunt.Et notãdum est quòd ad bonitatẽ fructus tam corporalis quam spiritualis,quinque vidẽtur pertinere.Primum est vtilitas fructus. vnde solent appellari steriles arbores illæ quæ non ferunt fructus vtiles. Fructus inutiles ferunt qui ociosa agunt: vt qui ludunt in quadragesima ne sint ociosi. Bern. Pro vitando ocio: ociosa sectari ridiculum est. Hier. 21. Scribe virum istũm sterilem:virum qui in diebus suis non prosperabitur. Secundum est vt sit sine corruptione. vnde fructus vermiculosus non reputatur bonus. Talem ferunt hypocritæ.Matth.23.Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ:quia similes estis sepulchris dealbatis.Tertium est gratus sapor.Fructum grati saporis ferunt qui cum lęticia bonum operantur. In Psal. Seruite domino in læticia. Sap. 8. Non habet amaritudinem conuersatio illius. Accidiosi ferunt fructus amaros: quia aliis sunt oneri: & alij eis. vnde Eccl.30.Non des tristiciã animæ tuæ. Quartum est sanitas fructus. Sanum fructum fert ille qui diligenter cauet ne proximum suum scandalizet.Aug. In incessu:statu:habitu: & in omnibus motibus vestris nihil fiat quod cuiusquam offendat aspectũ.Iob 9.Verebar omnia.o.m.&c.Quintum est fructuũ durabilitas. Fructum durabilem non ferũt qui opera carnis faciunt. Gal. 5. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt,fornicatio,immundicia,&c. Ecclesiast..4. Omne opus corruptibile in fine deficiet:& qui operatur illud,ibit cum illo.

Ad bonitatem fructus quinque pertinet.

Sermo

Sermo tertius de eodem.

OMnis arbor quæ non facit fructum bonũ excidetur & in ignẽ mittetur.

Hoc verbũ dictum eſt à præcurſore, Mat.3. & à ſaluatore, eiuſd.7. Ex quo apparet quod eſt vtile prædicationi. Hoc etiam quod ſaluator dicit in prædicatione ſua quod præcurſor dixerat: eſt contra quoſdam qui dedignantur dicere dicta ab aliis. Et poteſt intelligi verbum propoſitum dictum contra quinque genera hominum. Primo contra ocioſos qui nihil facere volunt: qui poſtquàm per mortem fuerint exciſi, in ignem æternum mittentur. Mat. 20. Seruum inutilem proiicite in te. exte. Hij ſunt arbores autumnales infructuoſæ: bis mortuæ. Iud. 2. Huius ocioſitatis in quibuſdam cauſa eſt error, quo credunt eos nobiliores eſſe qui nihil agunt: quàm eos qui aliquid agunt. Qui tali fatuitate laborant quali laboraret ille qui diceret meliores eſſe vineas quæ fructum non ferunt quàm quæ ferunt: & ſalices infructuoſas quam arbores amigdalas quæ fructum ferunt: & porcos qui nihil faciunt eſſe nobiliora animalia quàm equos quorum eſt aliquis vſus. Iob. 40. Circundabunt eum ſalices torrentis. Homines ocioſi ſunt ſicut ſalices: in aquis deliciarum & diuitiarum creſcentes: & velut porci in luto ſe volutantes. Quanta ſit fatuitas ocium amare, oſtenditur Prouer.12. Vade ad formicam, o piger, &c. Et ſunt multæ fatuitates ocioſi: immo infelicitates. Prima eſt quod infelicior eſt brutis animalibus: in hoc quod inhibitum eſt ei comedere. 2. Theſ. 3. Si quis non vult operari, non manducet. Brutis animalibus non eſt hoc inhibitum: immo deus paſcit ea. Mat.6. Reſpicite volatilia cæli. & poſt, Pater veſter cæleſtis paſcit ea. Secunda eſt, quod eſt in magna afflictione. Plus enim durat ei vna dies quam homini occupato duo. Ipſe eſt quaſi totus famelicus. Aures eſuriunt rumores: gula cibum: oculi ſpectacula. Prouerb.21. Deſideria occidunt pigrum: noluerũt enim quidquã manus eius operari. Tota die concupiſcit & deſiderat. Tertiũ eſt: quod in magno periculo eſt: eſt enim velut homo inermis in medio inimicorũ ſuorũ.

Ille qui eſt in peccato: non exit inde niſi ſe occupet. Sen. A ſtulticia nemo emergit niſi manum porrigat ad laborem. Qui extra peccatum eſt: cito cadit niſi ſe occupet. Bernar. Omnium tentationum & cogitationum malarum & inutilium ſentina eſt ocium. Secundo poteſt intelligi verbum iſtud dictum contra illos qui habent folia verborum ſine fructu bonorum operum. Prouer. 19. Qui tamen verba ſectatur, nihil habebit. Qui verbo ſe recognoſcunt chriſtianos: non faciunt tamen opera quæ chriſtianos decent. Qui maledicti ſunt. In Pſalm. Maledicti qui declinãt à mandatis tuis. Qui ſignificati ſunt per ficulneam cui dominus maledixit. Matth. 21. Cum non inueniſſet in ea niſi tãtum folia: & ſtatim areſacta eſt. Ficulnea quæ dulces fructus debet ferre, recte ſignificat chriſtianum qui debet facere opera deo & angelis grata. Qui ſi habeat tantum folia verborum, maledictus eſt & areſactus, quia æterno igne dignus. Et ſciendum eſt quod inter arbores habẽtes folia & non fructus laudabiles, aliquæ habent folia pungitiua vt iuniperi. Quibus ſimiles ſunt detractores. Iere. 9. Sagitta vulnerans lingua eorum. In Pſal. Lingua eorum gla. ac. Aliæ habent folia fetentia vt ſambucus. Quibus ſimiles ſunt luxurioſi qui de peccato carnis libenter locuntur. Ephe. 5. Fornicatio & omnis immundicia, &c. Tertio poteſt intelligi hoc verbum dictum contra illos qui flores habent: ſed non fructum. Flores igitur intelligimus opera de genere bonorum quæ fiunt in mortali, tamen bona intentione. Et ſicut omnes flores quæ creſcunt in terra alicuius diuitis hominis non ſufficerent ei ad refectionem diei vnius: ſic ſi aliquis faceret tot bona in mortali quot facit totus mundus non ſufficeret ei ad hoc quòd de illis poſſet viuere vna die in paradiſo. Non tamen propter hoc qui in mortali eſt debet ceſſare à bonis operibus. Sicut enim in flore ſpes fructus eſt: ſic ſpes habetur de conuerſione illius qui libenter facit eleemoſynas & alia opera de genere bonorum. Et ſicut flos vineæ buffones inde fugat: dominum vero vineæ lætificat: ſic quodam modo opera de genere bonorum fugant dæmones: & deum & angelos lætificant, dum occaſionaliter ad pænitentiam adducunt. Gaudium enim eſt in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, &c. Luc. 15. Cant. 2. Flores apparuerunt in terra no

ra nostra. Fatuus esset qui nollet arbores suas flores ferre,quia flores non comeduntur:nisi enim flores precederent,non sequeretur fructus. Sic fatuus est qui non vult facere bona opera dum est in mortali : quia illis non meretur vitam æternam. Multum tamen deberet conari ad remouendum mortale:quod tot & tantos labores quasi ei aufert.Plus enim valeret vnum bonum opus extra mortale factum:quam infinita in mortali facta. Sed sunt aliqui qui ad modum auarorum pro modico magna amittunt. Quarto potest intelligi hoc dictum contra hypocritas qui non faciunt fructum qui bonus sit:licet bonus videatur.Qui sunt similes arboribus quæ sunt iuxta mare mortuum,quarũ fructus ante maturitatem virides sunt. Cum vero maturi sunt si incidas,inuenies in eis fauillam & cinerem.Sic opera hypocritarum modo videntur meritoria vitæ æternæ:sed quando dominus manifestabit qua intentione ea fecerint : apparebit quòd fuerunt meritoria ignis infernalis. Quinto potest intelligi dictum extra illos qui aperte malos fructus faciũt:qui lætantur cum malefecerint,& exultant in rebus pessimis.Prouer. 2. Qui talis peruersitatis sunt qualis esset mulier quæ potius vellet parere buffones quàm filios pulcros. Quos bruta animalia & terræ nascentia damnabiles ostendunt : cum illa fructus sibi assignatos à deo faciant & isti eis degenerent.

Et notandum quòd duabus de causis debet homo multum conari ad fructum bonorum operum.Prima est:quia illos defert secum in morte,cum & diuitias deserit, & ab amicis carnalibus deseritur.Apocal.14.Opera illorum sequuntur illos. vnde nec pro filia nec pro filio:nec pro aliquo alio deberet à bono opere cessare. Secunda est : quia valde periculosum est homini fructum bonorum operum non facere,secundum verbum propositum,Omnis arbor, &c.Bernard.Quam mitius me priuares ô amara mors vitæ vsu,quàm fructu. Nam vita sine fructu grauior mors. Denique duo parãtur arbori infructuosæ:securis & ignis. In maiori periculo sunt homines qui fructum non faciũt: quàm canes vel porci. Illi enim non debent nisi vnam mortem,& post mortem nihil : homines vero mali debitores sunt morti temporali:& æternæ. Excidentur enim morte temporali:& post comburentur igne æterno.Ideo

dicuntur arbores bis mortuæ. In Canonica Iudæ Chryso. Duæ pœnæ sunt excidi & in ignem mitti. Ego autē casurā illius gloriæ multo maiorem pœnam gehenna esse aio. Intolerabilis est gehenna: verum etiam si mille ponat aliquis gehennas, nihil tale dicet quale est: excidere à gloria illa: odio à Christo haberi & audire, Nō noui vos. Etenim melius est decem milia sustinere fulmina: quam faciem illam mansuetam auersam videre à nobis, & tranquillum illum oculum non ferentem videre nos.

Sermo quartus, ad laicos & vetulas.

OMnis arbor, &c. Tempore isto libri Salomonis in ecclesia leguntur, in quibus multa sapientia inuenitur: & à clero sapientia à deo petitur cum cantatur, Da mihi domine sedium tuarum assi. sap. &c. Vnde & populus exemplo cleri tempore isto sapientiam debet desiderare: & libenter addiscere. Et cum nesciat legere in libris Salomonis: alij libri sunt eis aperiendi: velut quidam libri sunt hæ visibiles creaturæ. Effudit enim sapientiam suam super omnia opera sua. Ecclesiastic. Non est aliqua creatura in qua aliquid sapientiæ legi non possit. Etiam in formica. vnde Prouer. 6. Vade ad formicam ô piger & d. &c. Salomon sapientiam quæsiuit in creaturis. Disputauit enim de terræ nascentibus ab ysopo vsque ad cedrum: & de singulis animalibus aliquam proposuit parabolam. Et Aristoteles interrogatus à quo tot & tanta didicisset: respondit, A rebus quæ mentiri non norunt Esa. 29. Erit vobis visio omnium quasi verba libri signati. Et nunc volumus vobis exponere quod dominus nobis proponit in euangelio hodierno dicens, Omnis arbor quæ non fecerit fructum bo. ex. &c.

Duodecim sunt attendenda circa arborem pertinentia ad nostram edificationē.

Duodecim vero attendenda sunt nobis circa arborem, pertinentia ad nostram ædificationem. Primum est illud August. Arborem accendite: radicem figit in humili, vt vertice tendat ad cælum. Sic te primo humilia, vt deinde exalteris. Luc. 18. Qui se humiliat, exaltabitur. Greg. Origo virtutum humilitas est. Illa in nobis virtus veraciter pullu

pullulat:quæ in radice propria,ideſt in humilitate perdu- rat.Secundum eſt hoc quòd arbor quæ propter intemperiem hyemis ab operatione ceſſauit:redeunte temporis opportunitate operari incipit. Vade & fac ſimiliter. Gal. vlt.Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes, &c.Eccleſiaſti.9.Quodcunque poteſt ma.t.f.in o. &c.Eiuſ dem 11.Mane ſemina ſemen tuum:& ve.non ceſ.ma. t.Eccleſiaſti.14.Particula diei bonæ non te prætereat.Tertium eſt quòd arbor non operatur in vno ſolo ramo:ſed in omnibus.Exemplo ergo ipſius omnibus in membris tuis ſeruias deo.Ore inſtrue proximũ:lauda & ora deum: & manus tuas libenter extendas ad pauperem. Pedibus peregrinate:auribus libenter audi verbum dei & cantus eccleſiæ. Oculis libenter reſpice quæ te inuitent ad dei timorem vel amorem vel humilitatem: vel proximorum compaſſionem.Cum videris aquam:cogita quòd quãdoque omnes inimicos dei qui erant in hoc mundo ſubmerſit, ſcilicet,tempore diluuij, Gen.5.& time. Cum videris ignem; cogita quòd ignis quandoque omnes inimicos dei comburet:& time.Cum reſpicis terram:cogita illam eſſe ſepulchrum tuum.Terra enim es:& in terram reuerteris:& humiliare. Cum vides miſeriam proximi tui: cogita te & ipſum membra eſſe vnius corporis: & compatere. 1. Cor. 12.Si quid patitur vnum membrum: compatiuntur omnia membra.Cum reſpicis omnia viſibilia: cogita omnia illa propter hominem à deo facta vt ſic ad dei amorem accẽdaris.Aug.Domine cælũ & terra & omnia quæ in eis ſunt vndique mihi dicunt vt amem te: nec ceſſant hoc dicere omnibus.Quartum eſt hoc:quòd licet arbor creſcat inſenſibiliter:tamen continuatione crementi tantum proficit quòd arbor valde magna efficitur.In quo nobis perſeuerantia commendatur, quæ ſola ſecundum Bernard.eſt ſingularis filia ſummi regis:illa enim ſola hæres eſt regni æterni. Qui perſeuerauerit vſque in finem: ſaluus erit. Matth.24.Labor improbus omnia vincit.Item. Gutta cauat lapidem non vi:ſed ſæpe cadendo.Quintum eſt:quòd arbor non degenerat vt alios fructus quàm deus ordinauerit ferat:ſecundum verbum domini hic poſitum, Nunquid colligent de ſpinis vuas:aut de ficu tribulos? Arbori dominus præceptum poſuit:& non preteribit. Solum duæ

creaturæ sunt quæ transgrediuntur ordinationem,scilicet homo malus, & diabolus. Qui tantæ peruersitatis sunt quòd potius volunt producere spinas vnde in inferno incendantur:quam fructum, vnde in cælis pascantur. Cum homo peccat:tale est ac si vinea spinas produceret.Vinea enim domini sabaoth domus Israel est.Esa.5. Sicut mulier horresceret si videret se peperisse buffonem vel serpentem:sic anima deberet perhorrescere cum videt se peperisse fructum innaturalem, scilicet mala opera, & peccata. Sextum est:quòd arbor vehementer adhæret terræ: vnde habet nutrimentum & crementum: & non vnica radice sed multis.Et secundum philosophum radix plantæ similis est ori animalis.Sic anima tua vehementer adhæreat deo:vnde habet omnia bona.Adhærere enim debet veritati per fidem:liberalitati per spem:suauitati per dilectionem.Noli amplius credere vetulæ sorciariæ: quàm deo vel eius ministro. Noli diffidere de liberalitate sicut illi qui per mortale à deo recedunt vt sustentationem suam habere possint:ac si diabolus posset & vellet melius providere eis quàm deus.Noli guttas transitoriæ delectationis præponere fonti æternæ dulcedinis: sicut faciunt dei inimici qui secundum verbum Dauid terram lingent. Septimum est:quòd arbor humorem suum & fructum diligenter seruat:humorem duriciæ corticis operiendo: & nucleum testa.Ita tu humorem gratiæ diligenter seruare debes:quem fatuus effundit. Ecclesiastici 20. Gratiæ fatuorum effundentur. Bernard. Leuis sermo: sed grauiter vulnerat: aptissimum euacuandis sordibus instructum. Noli destruere opera tua mortaliter peccando: vel ab opere inchoato ante consummationem desistendo. Prouerb.18.Qui mollis & dissolutus est in opere suo,frater est sua opera dissipantis.Mollis est qui difficultati quæ in bono opere occurrit,cedit,ab opere, scilicet, desistendo. Octauum est quòd arbor cultura indiget. Philosophus, Puto quòd omnes plantæ quando non fuerint cultæ siluestres erunt. Excole ergo teipsum,ne quasi arbor siluestris fias.Intēde purificationi seu purgationi tui ipsius. Ioh.15. Eum qui fructū fert:purgabit eum vt fructus plus afferat. Nonum est, quòd arbores siluestres secundum philosophum magis fructificant quam hortēles:sed fructus horten

tensium meliores sunt.Studeas esse vt arbor hortensis magis intendens bonitati fructuum quam multiplicationi.In Psalmis, Secũdum puritatem manuum mearum retribuet mihi:non secundum pluralitatem operum. Cant.2. Qui pascitur inter lilia.Decimum est,quod arbores transplantantur & secundum philosophum quidam fructuum meliores sunt in vno loco quam in alio.Item, Tempus plantandi & tempus auellendi quod plantatũ est. Ecclesiastes 3.Item,secundum philosophum, plurima plantãtur in vere: pauca in hyeme & autum no: paucissima in æstate. Sic hominem spiritualiter transplantari oportet, & oportunius fit hæc transplantatio in pueritia vel adolescẽtia. Prouer.22. Prouerbium est,Adolescens iuxta viam suam: etiam cum senuerit non recedet.ab ea.Hiere.13. Si mutare potest Æthiops pellem suam, &c.Vndecimũ est,quòd arbores siluestres per insitionem fiunt nobiles arbores. Sic peccator qui est arbor siluestris per insitionem verbi diuini nobilis arbor efficitur.Iaco.1. In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras. Fructibus eius prius porci infernales pascuntur:post insitionem defert fructum quo & deus & Angeli delectantur. Duodecimum est, quòd rami arboris cum fructibus magis onerati fuerint, magis inclinantur: sic quanto plura opera bona feceris,tãto humilior sis:& ideo te magis esse obligatum noueris,cum opera illa eius dona sint. 1. Cor. 4.Quid habes quod non accepisti?si autem accepisti quid gloriaris quasi non acceperis?Omnis arbor. &c. Hoc verbum specialiter dictum est contra illos qui habent speciẽ bonitatis & non bonitatem.vnde Mat.3.sic habetur,Vidẽs autem multos phariseorum & saduceorũ &c. Et subditur. Omnis arb. &c. Pharisei & saducei religiosi erant ad minus exterius.& Mat.7. dicitur cõtra illos qui interius erãt lupi,cum exterius haberent vestimenta ouium. Vnde specialiter hoc verbum pertinet ad religiosos. Minus est tolerabilis in religione qui non facit fructum,quam in seculo: sicut arbores infructosas minus toleramus in horto excul to & clauso quam in silua.Religio est quasi ortus excultus & clausus.Cant.4.Ortus cõclusus soror mea spon.&c.Vnde de ficulnea plantata in vinea, dicitur, Succide eam:vt quid etiam terram occupat?Lu. 13. Fructus bonus est fructus

ctus spiritus. Gal.5. Fructus autem spiritus est charitas, gaudium &c.

Si vis loqui de his fructibus:require in sermonibus epistolarum Dominica 14.post pente.

Dominicæ nonæ post trinitatem,

SERMO PRIMVS.

HOmo quidam erat diues qui habebat villicum,&c.Luc.16.

In hoc Euangelio primo ponitur parabola cõtra auariciã pharisæorũ à saluatore dicta. Deinde osten ditur ad quid sit inducta ibi, Ego vobis dico : facite vobis amicos de mammona iniquitatis,&c.Qui habebat villicũ: villicus est propriè custos villæ : sed ponitur hic pro dispensatore qui vniuersam substantiam domus dispensat. Homo quidam erat diues, &c. In hac parabola ministrat nobis materiam ædificationis,& dominus,& villicus.Dominus in quattuor:primo in hoc quòd diffamationi villici non læuiter acquiescit.Bona facile sunt credẽda de proximo:mala vero non de facili.In malis enim verum est illud Ecclesiasti.19.Qui cito credit,leuis est corde. Ad non credendum leuiter malum de proximó monemur exẽplo domini Ge.18.Descẽdã inquit & vis. vin.&c.Et hic vocato villico dicitur,Quid hic audio de te? 1. Io.4.Nolite omni spiritui credere.Secundo in hoc quòd audita dissipatione bonorum suorum non neglexit inquirere. Genes. 18. Clamor Sodomorum & Gomorreorũ multiplicatus est. Descendã & vis.&c.Negligentia & pigritia multis fuit occasio depauperationis & spiritualis & temporalis. Prouer. 23.Vestietur pannis dormitatio.Ecclesiastici 10. In pigritiis humiliabitur contignatio,id est tignorum cõiunctio, quæ est in suprema parte ædificij.Tigna sunt ligna quæ di cuntur caprones:eo quòd mutuo se capiant. Piger differt subuenire. domui suæ male relictæ vel aliter deterioratæ donec totaliter corruat.Idem accidit in domo ecclesiç.Ex pigritia enim prælatorũ tantum differtur subuentio:quòd.

tantum

tantum crescit corruptio, quòd iam non habet locum correctio. Hoc est quòd plangit Esa.1. de synagoga. Vulnus & liuor & plaga tumens nõ est circumligata: nec curata medicamine: neque fota oleo. Tertio in hoc quòd dominus in villico iniquitatis quod laudabile est laudat: sicut apis dimissis immũdiciis flori insidet: sic dominus dimissis multis malis quæ erant in villico iniquitatis bonum elegit inter mala quæ laudet. Econtrario multi inter bona malum eligunt desiderio detrahendi & vituperandi: similes scabronibus qui dimissis floribus insident stercoribus. De scabronibus habetur Exod.23. Cunctorum inimicorũ tuorum coram te terga vertam: emittens scabrones prius. Hi sunt similes illis qui de pomo partim sano partim putrido, putridum comedunt, quod sanum est proiicientes. Hi quærunt impietatem in domo iusti: contra consiliũ Salamonis, Prouer.24. Ne insidieris & quæras impietatẽ in domo iusti. Item, ipsi quærũt festucam vnde sibi oculũ eruãt: auertentes se ab his vnde lumen boni exempli habere poterant. Quarto in hoc quòd villicum de remissione facta debitoribus etiam cum damno ipsius domini non increpat. Clementi domino placet villici clementia. vnde Gloss. dicit, Christus qui ad clementiam pronus est, laudabit discipulos, si in sibi creditos misericordes fuerint. Huic domino valde sunt dissimiles principes huius mũdi: qui volunt vt præpositi eorũ pauperes excoriẽt vt diuitias eorum augeant. Micheæ 3. Odio habetis bonum & diligitis malum qui violenter tollitis pelles eorum desuper eos: & carnem eorum desuper ossibus eorũ. Ipsi sunt generatio quæ pro dentibus gladios habet, & cõmãdit molaribus suis vt comedat inopes de terra: & pauperes de hominibus. Prouerb.30. Villicus similiter ministrat nobis materiam edificationis in quattuor, videlicet Primo in hoc quòd villicationem suam in breui finiendam esse attendit. Item attendere debet quicunque habet aliquam potestatem secularem. Ecclesiastici.10. Omnis potentatus vita breuis: & rex hodie est: & cras morietur. Prouer.27. Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera: non enim habebis iugiter potestatem, &c. Secundo in hoc quòd defectus suos agnoscit. Fodere inquit non valeo: mendicare erubesco. Ad litteram, Ministri diuitum cum à ministerio

amouen

amouentur,egent:quia nesciunt sibi aliter prouidere. De futuro tamen potest intelligi vbi nullum modum prouidendi habebunt qui hic sibi non prouident. Dupliciter in præsenti prouidet sibi qui indiget,scilicet vel operãdo,vel mendicando.Mendicando inquam mutuum, vel donum. Sed in futuro nõ erit tẽpus operandi.Ecclesiasti.9.Quodcunque potest manus t.fa.in.o.quia,&c.Io.9.Venit nox in qua nemo potest operari.Mendicatio etiam ibi inutilis erit.Prouer.20.Propter frigus piger arare noluit:mendicabit ergo æstate & non d.ei.Et Mat.25.dictum est fatuis virginibus mendicantibus,Ne forte non sufficiat nobis & vobis,&c.Tertio in hoc quòd cogitauit quid esset facturus. Quid faciam,inquit,quia dominus meus aufert à me villicationem,&c. Sic & frequenter debet cogitare peccator. Iob 31.Quid faciam cum surrexerit ad iudicandum deus: & cũ quæsierit quid respondebo illi? Quarto in hoc quòd contra paupertatem futuram remedium eligit amicitiam seruorum domini sui.Scio inquit,quid faciam:vt cũ amotus fuero à villicatione,recipiant me in domos suas. Notandum quòd mãsiones cælestes pauperũ sunt. Illis enim datæ sunt Mat.5.Beati pauperes spiritu,quoniam ipsorum est regnum cælorum. vnde si diuites illud habere volunt: oportet vt à pauperibus illud emant. Diuites habent domos in terra:pauperes in cælo.Libenter ergo diuites recipiant pauperes in domibus suis in terra: vt à pauperibus recipiantur in cælo.Aug.Præbe tectum:& accipe cælum.

Sermo secundus de eodem.

FAcite vobis amicos &c.

In verbo proposito monet nos dominus ad hoc de quo per nos satis moniti esse deberemus, scilicet,vt amicos nobis faciamus:ostendens de quo:& ad quid eos facere debeamus. De quo, ibi, De mammona iniquitatis. Ad quid,ibi, Vt cũ defeceritis,re.v.in.e.t.Per nos deberemus esse moniti & rogati de faciendo amicos: cum hoc sit vtilissimum.Esay.48.Ego deus tuus docens te vtilia. Dyonisius,Optimi est optima adducere. Optimũ inter actus humanos

manos esse videtur amicos facere. Ecclesiastici 6. Amico fideli nulla est comparatio.&c.Eiusdem.Beatus qui inuenit amicum verũ.Tullius in libro de Amicitia, Omnibus rebus humanis anteponẽda est amicitia. Nihil enim tam naturæ aptũ,tamque cõueniens ad res secũdas vel aduersas.Ad conseruationẽ naturæ multũ valet amicitia.Si prosperitas assit,habes qui tecum gaudeat:si aduersitas,habes qui tecũ sustineat eam.Amicitia præualet etiã cõsanguinitati.Tullius in eodẽ,In hoc præstat amicitia propinquitate:quòd ex propinquitate beneuolẽtia tolli potest,ex amicitia nõ potest.Sublata enim beneuolẽtia,nomẽ amicitiæ tollitur,propinquitas manet.Consanguinitas facit vt aliquis sit tibi propinquus. Amicitia autem vera facit vt aliquis sit beneuolus. Tullius, Qui verum amicum intuetur, tanquam exemplar aliquod intuetur sui: quo circa & absentes assunt,& egentes abundant, & imbecilli valent, & quod dictu difficilius est,mortui viuunt. Qui sanctos vel Angelos vel pauperes bonos qui iam decesserunt fecit sibi amicos:est in curia cælesti ante deum in illis, cum non dum sit in propria persona. Item qui pauperes bonos qui ad huc viuunt fecit sibi amicos,est in eis cum deo in oratione.Et cum in propria persona sit ægens meritis:in eis abundat: & cum per se sit debilis resistere Diabolo: in eis potens est.Item, Cum in propria persona mortuus sit: in amicis suis viuit qui ei subueniunt,& testamentum ipsius fideliter exequuntur. Et notandum quòd ei qui vult amicum facere duo sunt necessaria.Primo vt in eius electione discretionem habeat. Secũdo vt his quæ possunt valere ad hoc vt ametur intendat. In electione amici quattuor sunt attendenda.Primũ est: vt ille qui eligitur sit discretus quia amicitiæ stultorum solent esse noxiæ.Prouerb.13. Amicus stultorum similis efficietur licet stultus sit amandus:tamẽ amicitiæ nõ sunt cum eo ineundæ. Ad amicitiam pertinet idem velle & idem nolle: cum amico habere confidentiã & familiaritatem. Specialiter fugienda est amicitia illius stulti de quo legitur Ecclesiastici 25. Tres species odiunt anima mea, &c. Senem fatuum & insensatum. Iste senex fatuus est mundus,qui est quasi in senio: & tamen in leuitate & in vanitate sua remanet.Non cessat dominus flagellare eum:& tamen non recedit ab eo fatuitas ipsius. Prouerb.

uerb.17.Si contuderis stultum in pila quasi ptisanas desuperferiente pilo,non auferetur ab eo stultitia eius.Secundo,vt sit bonus.Tullius in libro de amicitia,Hoc primum sentio:nisi in bonis amicitiam esse non posse. Quomodo erit tibi amicus qui sibiipsi est inimicus? Ecclesiastici 14. Qui sibi nequam est:cui bonus?Psalmus, Qui diligit iniquitatem,odit animam suam. Tertio,vt non sit iracūdus. Prouer.22.Noli esse amicus homini iracundo. Homo iracundus est: velut ignitum lignum quod exurit tangētem se: & velut lignum spinosum quod pungit amplectentem se.Ideo quamuis sit amandus: tamen est eius familiaritas timenda. Præterea,amicitia eius non duraret.Vincuisi enim amoris igne iræ in eo exuritur. Quarto,ne sit superbus.Superbus enim nescit esse socius: vult enim esse dominus.Prouer.11.Vbi fuerit superbia, ibi & contumelia. Quinque sunt quæ valere possunt ad hoc vt ab eo ameris quem pro amico elegisti.Primum est,modestia in sermone.Ecclesiastici 20.Sapiens in verbis amabilem se facit: gratiæ autem fatuorum offundentur. Secundum est,similitudo.Ecclesiasti.27.Volatilia ad sibi similia conueniunt. Oderunt Hilarem tristes,tristemque iocosi. Tertium est, virtus.Tullius in libro de amicitia,Nihil est virtute amabilius: nihilque quod magis alliciat ad diligendum. In eodem,Tanta est vis probitatis: vt eam vel in eos quos nunquam vidimus, vel quod maius est in hoste diligamus.Specialiter valet ad hoc virtus mansuetudinis. Ecclesiasti.3.Fili,in mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diligeris.Mansuetudo ad modum adamantis habet vim attractiuam.Ezech.3.Vt adamantē & silicem dedi faciem tuam, &c. Quarto valent ad hoc obsequia & beneficia.Terētius,Hoc tempore obsequium amicos,veritas odium parit. Ignem amoris oportet multis lignis nutriri beneficiorum: alioquin deficit. Prouerb. 26. Cum defecerint ligna extinguetur ignis. Obsequia etiam feras ad amorem incitant:& de inimicis amicos efficiunt. Rom.12 Si esurierit inimicus tuus,ciba illum,&c.Cor eius accendendo ad tui amorem. Quinto valet amor ad hoc. August.Nulla est maior ad amorem inuitatio quam præuenire amando. Seneca in epistolis, Quæris quomodo amicus factus sis:cito ego monstrabo amatorium sine

medica

medicamento, sine herba, sine vllius veneficæ carmine. Si vis amari, ama: vt ameris, amabilis esto. Sequitur videre de quo faciẽdi sint amici. Sũt autẽ faciẽdi de mãmona: seu de diuitiis iniquitatis. Sed quomodo est hoc verũ, cùm sit scriptum Ecclesi. 34. Qui offert sacrificium ex substantia pauperis, quasi qui victimat filiũ in cõspectu patris. Quatuor modis fiunt amici de mãmona iniquitatis. Primo cũ integre restituuntur pauperibus ea quæ per rapinam vel furtum ab eis male habita sunt: & humiliter petitur remissio de iniuria eis illata: differendo restitutionem. Secundo cum ignoratur cui sit restituendum: & de consilio ecclesiæ pauperibus erogatur. Tertio cum aliquis contra prohibitionem ecclesiæ lucratur, vt laborando festiuis diebus vel aliter: ita tamen quod non tenetur ad restitutionem. Tunc enim faciẽda est medicina vnde facta sunt vulnera: & dandum est de hoc pauperibus. In his tribus modis possunt fieri amici de mammona iniquitatis, i. de diuitiis iniquè acquisitis. Quarto faciendi sunt amici de mammona iniquitatis, i. de diuitiis que iniquè seruantur cum tenacitate, s. nimia veniali vel mortali. Potest enim aliquis damnari eo quod non dat bona sua. Matt. 25. Discedite à me maledicti in ignem æternum. Esuriui enim. &c. Et diues epulo damnatus est quia sua non dedit. Lu. 16. Ad quid autem faciendi sunt amici ostenditur cum dicitur, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Gloss. Non quoslibet pauperes: sed eos qui possunt in æterna tabernacula recipere. Cato, Cui des videto. Ecclesiast. Si benefeceris scito cui benefeceris. Ibidem, Benefac iusto & inuenies retributionem magnam: & si non ab ipso, tamen à deo. Ibidem, Da bono & ne respicias peccatorem. Benefac humili: & ne dederis impio. Quod intelligendum est in duobus casibus. Quorum vnus est: si credatur quod propter donum tuum negligit iusticiam. Alius est cum non datur intuitu pietatis: vt faciunt illi qui dant hystrioni causa hystrionatus. Ecclesiast. 7. Bonum est sustentare iustum virum: bonum debes reputare attinentem tibi exemplo Christi dicentis. Matth. 12. Quicunque fecerit voluntatẽ patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater & mater & soror est. Indubitanter. Prius est subueniẽdum filiis Dei, quam seruis diaboli. Debent boni amare se inuicem, cum mali odiant eos,

Ioan. 15. Quia de mundo non estis: propterea odit vos mundus. Boni debent se amare: sicut aliqui qui sunt de vna patria amant se cum se inueniunt in alia regione. De mundo enim non sunt, licet sint in mundo.

Sermo tertius de eodem.

HOmo quidam erat diues qui habebat villicum.

Villicus enim potest intelligi quilibet homo cui commisit Deus custodiam ad minus suiipsius. Ecclesiast. 16. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui. Sicut vulgariter dicitur, Bonum castrum custodit, qui corpus suum custodit: sed melius custodit qui animam suam custodit. Deuteron. 4. Custodi temetipsum, & animam tuam sollicitè. Prouerb. 4. Omni custodia serua cor tuum: ab ipso enim vita procedit. Et notandum quòd magna indiget homo custodia, tanquam castrum vndique obsessum. Iob 19. Obsederunt in giro tabernaculum meum. Impugnatur homo à dextris per prospera: à sinistris per aduersa. A posteriori per delectationem præteritorum peccatorum: ab anteriori per nouos laqueos tentationum. A superiori per præsumptionem. Ab inferiori per desperationem. Hic diffamatus est apud eum, &c. Notandum quòd sicut procedit fumus ab igne: & fætor à cadauere: sic infamia à peccato. Non potest diu fieri ignis quin fumus inde exeat. Nec peccatum frequenter fieri quin infamiam diffundat. Diffamatur autem peccator apud homines. Et apud ceteras creaturas, & apud Deum. Cum aliquis diffamatur absque culpa sua: cito decidit infamia, & reuertitur pœna in confringentes: vt accidit presbyteris qui Susannam accusauerunt, Daniel. 12. Cum auditur aliquid contra virum bonæ famæ, debemus stupere non credere. vnde ibidem legitur, Erubuerunt serui vehementer quia nūquam auditus fuerat sermo huiusmodi de Susanna. Ecclesi. 19. Qui cito credit, leuis est corde. & post, Audisti verbum contra proximum tuum, commoriatur in te fidens: quia te non disrumpet. Et alludit

dit vulgari, quod dicitur, Ipse creparet, nisi diceret. vnde subditur, A facie verbi parturit fatuus. vbi vero peccatum alicuius notorium est tollatur de medio ne alios inficiat sicut fecit Apostolus de Corinthio. 1. Corin. 5. Tollatur de medio nostrum, &c. subditur, Nescitis quòd modicũ fermenti totam massam corrumpit. Publicus peccator est sicut domus igne accensa in medio ciuitatis, de qua aliquando carbones procedunt qui alias domos comburunt. vnde dixit quidam, Et tua res agitur paries cum proximus ardet. Ecclesiast. 32. Peccator homo vitabit correctionem: & ad voluntatem suam inueniet comparationem: super illud Esai. 34. Pilosus clamabit alter ad alterum. Gloss. perpetrata malicia perpetrandam inuocat. Seneca: Socrati: Catoni: & Lælio honestatem excuterent dissimilis multitudo ipsius. Et post vnum peccatum luxuriæ aut auariciæ multum mali fecit. Econtrario vnum bonum inuitat ad aliud bonum. Prouerb. 27. Ferrum ferro exacuitur: & homo exacuit faciem amici sui. Ecclesiast. 11. Ab vna scintilla augetur ignis: & ab vno doloso augetur sanguis, id est, peccatum. Infamia etiam est vt fœtor procedens de cadauere. Amos 4. Ascendere feci putredinem castrorum vest. ad n. vest. Peccator occultus est sicut cadauer occultũ quod non fœtet aliis hominibus, sed fœtet Deo & angelis eius. Peccator vero manifestus est sicut cadauer insepultum. Et notandum quòd tria faciunt ad hoc quòd cadauer multum fœtet, scilicet quòd in altum positum est, calor & ventus. Propter primum, peccatum prælati multum fœtet & multos inficit. Hierem. 51. Ecce ego ad te mons pestifer, qui corrumpis vniuersam terram. Sic accidit de prælato malo sicut de Anthioco: 1. Machab. 9. qui tantum fœtebat quòd fœtore eius grauabatur exercitus. Prosperitas velut calor solis excitat fœtorem. In Ios. 10. legitur de quinque regibus quòd suspensi sunt super quinque stipites ad solem. Ventus etiam est quasi quoddam incitamentum fœtoris. ad modum venti se habent verba hominum quæ infamiam disseminant. Item non solum infamatur peccator apud homines, sed etiam apud cæteras creaturas, quæ eum accusant cum teneat eas incarceratas & inclusas, videlicet, Denarios in archa, Frumentum in horreo, Vinum in cellario. vnde quasi de incarceratis

loquitur dominus Oseæ 2. Sumam frumentum meum in tempore, scilicet & vinum meum: & liberabo lanam nostram, & Iacob. 5. Agite nunc diuites, &c. Item quatuor elementa accusant hominem, quæ triplici voce, secundum magistrum Hugonem de sancto Victore, nos alloquuntur. videlicet sic: Accipe beneficium. Redde debitum. Fuge supplicium. Prima vox famulantis. Secunda admonentis. Tertia comminantis. Cælum dicit, Ministro tibi lucem in die vt vigiles: Tenebras in nocte vt pauses. Ego ad oblectationem tuam gratis temporum vicissitudines pario. videlicet, Teporem veris: Feruorem æstatis: Autumni plenitudinem: Hyemis algorem. Aer dicit, Vitalem tibi præbeo flatum: & omne genus auium ad tuum nutrio obsequium. Aqua dicit, Potum tibi præbeo: sordes purgo: arctia rigo: & diuersorum genera piscium ad tuum esum nutrio. Terra dicit, Ego te porto: pane cōfirmo: vino lætifico: lana & lino vestio. Mundus dicit, Seruio tibi qui factus sum propter te: vt & tu seruias illi qui & me & te fecit propter se. Si sentis beneficium, redde debitum: ne qui fecit te & me, puniat te per me. Ignis dicit, A me cōbureris. Aqua, In me demergeris. Aer, In me ventilaberis. Terra, A me absorbeberis. Infernus, A me deglutieris. Ideo dicitur Sapien. 5. Armabit creaturam ad vltionem inimicorum. Ibidem, Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. Eiusdem 16. Creatura tibi creatori deseruiens excandescit in tormentum contra iniustos. Peccatū etiam diffamatur apud Deum iudicem & vltorem: quia opera clamant contra facientem. Genes. 4. Vox sanguinis fratris tui, Abel clamabat ad me de terra. Eiusdem 18. Clamor Sodomorum & Gomorræorum multiplicatus est. Quasi dissipasset bona illius.

Vox famulātis.

Vox admonētis.

Vox comminātis.

Bona dissipantur cum & naturalia vulnerantur: & gratuita auferuntur: & bona temporalia inutilia redduntur. Hæc omnia per peccatum fiunt. De duobus primis habetur, Luc. 10. Qui despoliauerunt eum quantum ad gratuita: & plagis impositis quantum ad naturalia. Ad tertium potest referri illud Ecclesiast. 13. Bona est substantiā illi cui non est peccatum in cōscientia. Oseæ 7. Proiecit Israel bonum. Seneca, Nihil est homini bonum sine se bono. Et attende quòd dicitur, Bona illius naturæ vel gratiæ

vel

vel fortunæ. Siue enim ſint bona, bona Dei ſunt, non noſtra ſed nobis credita.1.Corinth.4.Quid habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Eſa. 26. Omnia opera noſtra operatus es nobis domine.Ioan.15.Sine me nihil poteſtis facere. Quid hæc audio de te? quaſi diceret: de quo audire non debueram cui omnia bona mea commiſeram. Hæc conſideratio retraxit Ioſeph ne peccaret cum vxore domini. Geneſ.29. Ecce inquit dominus meus omnibus traditis ignorat quid habeat in domo ſua:nec quicquam eſt quod non tradiderit mihi præter te, quæ vxor eius es.Quomodo ergo poſſem hoc malum facere & peccare in dominum meum? Econtrario legitur de malis, Iob 12.Habundant tabernacula prædonum, & audacter prouocant Deum cum ipſe dederit in manibus eorum. Redde rationem villicationis tuæ.de præſenti poteſt hoc exponi: & ſecundum hoc hæc redditio villicationis ad confeſſionem refertur. Confeſſio eſt quaſi quædam computatio coram Dei vicario. Bernard. Computatio dilata multa facit obliuiſci. Poteſt etiam intelligi de futuro ſub hoc ſenſu,Redde,&c.Cogita te redditurum. vnde Matth. 12. De omni verbo ocioſo quod locuti fuerint homines,reddent rationem in die iudicij. Eccleſiaſt.18. Ante iudicium interroga teipſum. Eccleſiaſtes vltimo. Pro omnibus iis adducet te Deus in iudiciũ.Mat.10. Omnes capilli capitis veſtri numerati ſunt.

Dominicæ decimæ poſt trinitatem

SERMO PRIMVS.

CVm appropinquaret Ieſus Hieruſalem, videns ciuitatem, fleuit ſuper illam,&c.Luc.19.

In hoc euangelio oſtenditur nobis ſaluatoris compaſſio & zelus. Compaſſionem oſtendit nobis ſaluator in fletu de ciuitatis deſtructione. Zelum in eiectione vendentium & ementium de templo & quotidiana prædicatione. Videns Ieſus ciuitatem,fleuit ſuper,&c.

Ad tria monemur in hoc euangelio. Primum est vt vano gaudio fletum præferamus. Secundum est vt locis sacris reuerentiam exhibeamus. Tertium est vt prædicationi frequenter intendamus. Ad primum monemur in hoc quòd dominus Ierosolymitas gaudentes facto & verbo ad fletum incitauit. Facto, dum respiciens Ierusalem, fleuit: verbo, cùm dixit, quia si cognouisses & tu. De hoc, scilicet, quare gaudio vano fletus vel tristitia præferri debeat, require dominica tertia post pascha, in sermone 1. Tristitia vestra vertetur in gaudium. Et notandum quòd quadruplex fletus saluatoris potest haberi ex scriptura. Quorum primus est fletus infantiæ ipsius. vnde cantat ecclesia, Vagit infans inter arcta com. præsepia. Sapien. 7. Primam vocem similem omnibus emisit plorans. Secundum est fletus quo fleuit super Lazarum ad vitam reuocandum. Iohan. 11. Tertius est quo fleuit super ciuitatem. Quartus est fletus de quo habetur Hebreo. quinto, quo creditur fleuisse in cruce. Hi quatuor fletus saluatoris possunt referri ad quatuor species fletus quæ quasi quatuor fluuij paradisi animam irrigant & fæcundant. Quorum primus est fletus pro incolatu præsentis miseriæ. Aug. In valle miseriæ sumus, in qua magis flendum est, quo minus flemus. Psalm. Heu michi quia incolatus meus prolõgatus est, Secundus est fletus compunctionis, de quo Psal. Lauabo per singulas noctes lectum meum. Item, Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cu. le. t. Tertius est fletus compassionis. Iob 29. Flebam quondam super eo qui afflictus erat, &c. Iere. 9. Quis dabit capiti meo aquã, & oculis meis fontem lachrymarum? & plorabo die ac nocte interfectos, &c. Quartus est pro dilatione patriæ. Psalm. Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus: dum recordaremur tui Syon. De fletu infantiæ dicitur super illud Ephe. 5. Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Puer qui nascitur à ploratu incipit nec ridere potest: statim natus plorat, propheta suæ calamitatis: lachrimæ sunt testes miseriæ. Nondum loquitur, & iam prophetat. Fletus quo creditur fleuisse in cruce pertinet ad fletum compunctionis: qui est illorum qui sunt in cruce pœnitentiæ. Fletus vero super destructione ciuitatis fletus fuit cõpassionis. Fletus super Lazarum qui ad vitam erat reuocãdus,

dus,cuius gloria erat differenda,pertinet ad illam speciẽ fletus,qui est pro dilatione patriæ. Ad reuerentiam locis sacris exhibendam monemur in hoc quòd dominus vendentes & ementes de templo eiecit. Et notandum quòd multis modis se habet aliquis irreuerenter ad sacrum locum.Primo in sacro loco male viuendo, vt faciunt mali religiosi.Exod.3.Solue calceamenta pedum tuorum:locus enim in quo stas terra sancta est.Esai. 26.In terra sanctorum iniqua gessit: & non videbit gloriam dei. Secundo opus terrenum in ecclesia agendo. August. In oratorio nemo aliquid agat nisi id ad quod factum est:vnde & nomen accepit.Mar.11.legitur quòd dominus non sinebat vt quisquam vas transferret per templum.Tertio violẽtiam sacro loco inferendo:vt faciunt qui ecclesias frangunt 1. Corinth.3.Si quis templum dei violauerit,disperdet illum deus.Quarto locum sacrum polluendo. Psal. Polluerunt templum sanctum tuum. Traditur de Pompeio, quòd postquam illi qui cum eo erant templum dei prophanauerunt,stabulantes equos in porticu templi,nũquam post pugnauit quin vinceretur,qui hactenus fuerat fortunatissimus & strenuissimus.Quinto proximo ibi nocendo vel in rebus suis,vt qui rapiunt ea quæ ibi posita sunt:sicut voluit facere Helyodorus,2.Machab.3.Qui grauiter fuit flagellatus vel in ipsis personis:vt faciunt mulieres quæ ostẽsione suæ pulchritudinis filios dei occidunt. Ieronymus, Gladius igneus est species muliebris. Sexto filio dei in propria persona contumeliam ibi faciendo:vt faciunt illi qui indigne celebrant vel communicant.Heb.10.Irritam quis faciens legem Moysi sine miseratione duobus vel tribus testibus moritur:quanto deteriora putatis meretur supplicia qui filium dei conculcauerit,&c.Secundum glosam,Christum conculcat qui eum indigne sumit. Ad intendendum frequenter prædicationi monemur in hoc quòd saluator erat quotidie docens in templo. Cum verbum dei patris quotidianum sit, conuenienter saluator quotidie erat docens in templo. Et notandum quòd illi ad quos pertinet vt prædicent,frequenter debent prædicare:cum de hoc in scriptura sacra multas habeãt admonitiones:& qui hoc negligunt, multas comminationes. Et de vtrisque paucas ponere sufficiat.vnde Esayæ 58.Cla-

ma ne cesses, &c. Ecclesiastici 11. Mane semina semẽ tuum &c. Oseæ 8. In gutture tuo sit tuba, &c. 2. ad Tim. 4. Testificor coram deo, &c. Prædica verbum: insta oportunè, importunè. Ezechiel 3. & 32. Si dicente me ad impiũ, Morte morieris: non annunciaueris ei, &c. 1. Corinthiorum 11. Væ mihi, si non euangelizauero. Esaiæ 6. Væ mihi, quia tacui. Prouerb. 11. Qui abscondit frumenta, &c. Ieremiæ 48. Maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine. Et sicut qui docti sunt in ecclesia frequenter debent prædicare: sic indocti frequenter & libenter debent prædicationem audire. Prouerb. 19. Non cesses audire fili doctrinam. Ecclesiastici 7. Si dilexeris audire sapiens eris.

Sermo secundus de eodem.

VIdens Iesus ciuitatem fleuit super illam, dicens, &c.

Circa seriem hodierni euangelij duodecim nobis sunt attendenda pertinentia ad ædificationem nostram. Primum est quòd saluator plorat: idem ostẽdens facto quod Salomon verbo dicens, Risum reputaui errorẽ. Bernard. Christum super Lazarum & super ciuitatem fleuisse & in orationibus pernoctasse: risisse vero, aut iocasse nusquam legimus. Secundum est quòd plorat super ciuitatem non super villulas. Ciuitates enim magis periculosæ sunt. In eis enim plus est sapientiæ mundanæ, quæ sapientiæ diuinæ multum aduersatur. Prouerb. 26. Vidisti hominem sapientem sibi videri? magis illo spem habebit insipiens. Rom. 8. Sapientia carnis inimica est deo. In ciuitatibus sunt homines magis ambitiosi, voluptuosi & auari. Tertium est quòd destructionem Ierusalem quàm facturus erat ex iusticia, deflet ex misericordia. In oleo enim misericordiæ debet ardere ignis zeli. Sorores germanæ sunt iusticia & misericordia. vnde associantur Matth. 5. Beati inquit qui esuriunt & sitiunt iusticiam, &c. Beati misericordes, &c. Glo. Iusticiæ lumen est misericordia. Misericordiæ virtus est iusticia. Iusticia sine misericordia cæcus furor est. Misericordia vero sine iusticia, remissio est.

Quat-

Quartū est hoc ꝙ dominus flens super Ierusalē dicit ei, Si cognouisses & tu, supple, fleres: innuēs ex defectu cognitionis esse quòd non flebat. Sic ex cæcitate est quòd aliqui in mundo isto non flent sed gaudent vbi tanta est materia flendi: & tanti valoris sunt lachrymæ. De malis quæ in hoc mundo videmus patet quia per se sunt materia fletus. Bona vero quæ hic videmus mala adducunt: vt sunt, diuitiæ, sanitas, pulchritudo corporalis, & similia. Ecclesiastici 11. Si diues fueris, non eris immunis à delicto. Vnde bona huius mundi per consequens sunt materia fletus. De valore seu virtute lachrymarum, require in tractatu de beatitudinibus: vbi agitur de luctu. Quintum est quòd gaudio Ierosolymitanorum fletum immiscuit, ostendens facto illud prouer. 14. Risus dolore miscebitur: & illud Ecclesiastici 11. In die bonorū ne immemor sis malorum. Sextum est quòd causam huius destructionis esse ostendit, quòd tempus visitationis suæ non cognouit. Visitauerat dominus Ierusalem per seruos suos: tandem visitauit eam per seipsum: & eam incorrigibilem inuenit. & hæc fuit causa destructionis, Matth. 23. Quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos, &c. Non proiiciuntur sotulares quàm cito apparet in eis foramen, sed tunc quando nō habetur spes de reparatione eorum: idem accidit in peccatoribus. Tūc dominus Iudeos reliquit cum eorum incorrigibilitas apparuit. vnde illud Psalm. Multa flagella peccatoris. Dicit glo. Peccator domatur flagello & freno: & vtinam perdometur: verendum enim est ne minus resistendo correctioni indomitus relinqui mereatur, & ire in latā viam quæ ducit ad mortem. Septimum est quòd ingressus vrbem primo templum adiit. Chrysost. Proprium erat boni filij vt veniens primo ad domum curreret patris. Tu ergo imitator Christi factus cum in aliquam ingressus fueris ciuitatem, primum ante omnem actum ad ecclesiam curras. Octauum est quòd postquam ventura mala ciuitati defleuit vt radicem malorum illorum ostenderet, cupidos & auaros de templo eiecit. Beda, Post enumerata mala ingressus in templum vendentes & ementes eiecit: per hæc innuens quòd ruina populi maxime sacerdotum culpa fuerit: dum enim ementes & vendentes percutit, osten-

dit vnde radix perditionis processit. Nonum est quòd opus terrenum in templo fieri non permisit. Marc. 11. legitur quòd dominus non sinebat vt quisquam vas transferret per templum. Vult dominus magnam reuerentiam templo materiali exhiberi. vnde Dauid, Domũ tuam decet sanctitudo domine, &c. Gen. 28. Quam terribilis est locus iste. Non est hic aliud nisi domus dei & porta cæli. Multum etiam displicet deo, cùm personæ ecclesiasticæ seculares fiunt. secundum illud Esayæ 23. Et erit sicut populus, sic sacerdos, &c. Decimum est quòd exemplum zelandi contra symoniacam prauitatem, ecclesiæ dedit: dum cum tanto zelo vendentes & ementes de templo eiecit. Non legitur saluator in hac vita mortali tantam iram per zelum ostendisse quantam ostendit ibi, Tunc impletum fuit illud, Zelus domus tuæ comedit me. Bernard. Eugenio papæ, Si filius vel discipulus Christi es: ignoscat zelus tuus: exurgat auctoritas aduersus impudentiam hanc & generalem pestem. Intuere magistrum sic facientem, & audi dicentem, Qui mihi ministrat, me sequatur. Non parat aures vt audiat, sed flagellum vt feriat: verba nec facit nec recipit: nec enim sedet iudicans, sed insequitur puniens. Causam tamen non tacet quia domum dei domum negociationis fecissent. ergo & tu fac similiter. Erubescãt vultum tuum huius negociatores si fieri potest, si non timeant. Et tu flagellum tenes sicut Deus. Contra peccatum contra naturam multum zelauit cum lege naturali mundus regebatur. Sic tempore gratiæ multum zelauit contra prauitatem symoniacam, quæ est contra gratiam. Vnde licet aduentus ille fuisset mansuetudinis: tamen iram suam contra hoc vitium ostendere voluit. Sicut iuxta verbum Bernard. Gehennalis flamma moram non sustinens Sodomæ præuenit tollere nationem. Vndecimum est quòd vsurarios latrones vocauit: etiam illos qui non recipiebant manifestas vsuras, sed fructus accipiebant pro vsuris accomodandis his qui offerre volebant: vsurarij sunt fures domestici: & ideo magis nociui. Nulla enim pestis efficacior est ad nocendum quàm familiaris inimicus. Ipsi tanquam fures damnabuntur in die iudicij. Væ illi qui alio modo nescit victum suum acquirere in mundo isto nisi per furtum. Duodecimum est illud

illud quòd quibus in templo intendendum ſic oſtendit. Orationi enim & doctrinæ in eccleſia intendẽdum eſt. Ad primum pertinet quòd domus eius dicitur domus orationis. Ad ſecundũ quòd erat quotidie docens in templo. Eccleſia domus eſt diſciplinæ ſicut & domus orationis. Aug. in libro de diſciplina Chriſtiana. Diſciplinę domus eſt eccleſia Chriſti. Eccleſiaſtici vltimo. Appropinquate ad me indocti, & congregate vos in domo diſciplinæ. His duobus ſpecialiter intendebant diſcipuli in primitiua eccleſia ſicut ipſi dicunt Actuum 6. Nos vero inquiunt orationi & miniſterio verbi inſtãtes erimus. Si cognouiſſes & tu. Hoc verbum dixit ſaluator flens Hieruſalem gaudenti & mala ſibi ventura non præuidenti. Idem verbum debet dicere prædicator flens vel dolens peccatori in hoc mundo proſperanti & parata ſibi tormenta non proſpicienti. Sic loquebatur Paulus Philippenſibus, Imitatores inquit mei eſtote fratres, & obſeruate eos qui ita ambulant ſicut habetis formam noſtram. Multi enim ambulant quos ſæpe dicebam vobis: nunc autẽ flens dico inimicos crucis Chriſti quorum finis interitus: quorum deus venter eſt. Philippen. 3. Peccatores ſunt gens abſque conſilio & ſine prudentia: vtinam ſaperent & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent. Deutero. 32. Et notandum quòd ſeptem mala ventura ſunt peccatori: per quæ ſi ea cogitaret ad fletum incitari poſſet. Primum eſt ſpoliatio quæ fit ei in morte: quia cum interierit nõ ſumet omnia &c. Luc. 12. Stulte, hac nocte repetent animam &c. Secundum eſt occurſus inimicorum. Trenorum 1. Omnes inimici eius apprehendent eam inter anguſtias. Bern. O anima mea quis erit ille pauor cũ tibi occurrentia cateruatim illa teterrima monſtra videbis. Ad cuius confugies auxilium. Tertium amiſſio ſtatus pænitendi & miſericordiã conſequendi. Iſte ſtatus diſtinguit inter dęmones & homines viatores. Pſalmus, Ex tunc ira tua. Item, Cum accepero tempus: ego iuſ.i. Quartũ eſt magna confuſio. Iere. 20. Confundentur vehementer quia non intellexerunt opprobriũ ſempiternum, quod nunquã delebitur. Confuſionis huius cauſa poterit eſſe operũ denudatio: vel beneficiorum Chriſti exprobratio: vel dei & ſanctorum deriſio. De primo habetur Eccleſiaſtici 11. In fine hominis denudatio operum illius. Eſaie 47. Reuelabitur

tur ignominia tua, videbitur opprobriũ tuũ. Naum. 3. Reue labo pudenda in facie tua: & ostendã gentibus nuditatem tuã, & regnis ignominiã tuã. Beneficiorũ exprobratio, & specialiter exprobratio passionis Christi multũ cõfondet eos: cũ Christus insignia passionis suę eis ostendet. Apparebunt enim cicatrices in carne eius vt videant in quẽ pupugerunt, vt Zacha. 12. & Apoc. 1. Matt. 24. Tunc apparebit signũ filij hominis in cælo. De tertio habetur in Psal. Qui habitat in cælis irridebit eos. Prouer. 1. Ego quoque in interitu vestro ridebo. Itẽ in Psal. Videbũt iusti & non timebunt, & super eum ridebunt & d. Quintum est separatio reproborum ab electis. Mat. 13. Exibunt Angeli & separabunt malos de medio iusterum. Eiusdem 24. Vnus assumetur & alter relinquetur. Oseæ 3. Consolatio abscondita est ab oculis meis, quia ipse inter fratres diuidet loca de in ferno. Sextum est exclusio à gloria. Esaie 26. Tollatur impius ne videat gloriam dei. Alia littera est. Nostra littera sic habet, In terra sanctorum in qua gessit: & non videbit gloriam dei. Chrysostomus, Ego casum illius gloriæ multo maiorem pęnam gehennæ esse aio. Intolerabilis est gehenna: verum etiam si mille ponat aliquis gehennas: nihil tale dicet quale est excidere à gloria illa. Matthei 25. Et clausa est ianua. Septimum est gehennalis pœnæ miseria. Ibi enim erit fletus & stridor dentiũ: sicut dominus ostendit in multis locis in Euangelio. vt Mat. 13. & 22. & 25. Non relinquent in te lapidem super lapidem: eo quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ. Notandum quòd quinque sunt periculosa in peccatore. Primum est peccati insensibilitas. Ambrosius, Grauissime, id est periculosissime peccas, quia ignoras. Bern. Scio membrum longius à salute absistere quod obstupuit: & ægrum sese non sentiẽtem, periculosius laborare. Seneca, Initium salutis cognitio peccati. Secundum est remedij abominatio prouueniens ex quadam ventosa plenitudine. de qua in Psalmis, Omnem escam abominata est anima eorum. Tertium est peruersitas, quæ est in quibusdã qui adeo sunt corrupti, quod dicunt bonum malum, & amant periculum suum. Esaiæ 5. Væ qui dicitis bonũ malum &c. Ecclesiastici. 3. Qui amat periculum, in illo peribit. Ecclesiastici. 1. Peruersi difficile corriguntur. Ipsi destruuntur ab emundatione siue emen-

datione

datione,id est,vnde deberent emũdari vel emendari.Grego.Cælestis medicus ægros non respicit,quos de medicamento deteriores fieri videt. Tales medicum reputãt inimicum.Bernar.Mira peruersitas! irascitur medicanti, & non irascitur sagittanti.Quartum est corruptio actiua seu infectio aliorum. De peccatoribus qui non corrumpunt alios intelligitur illud Matth. 13. Sinite vtraque crescere vsque ad messem. In Hæreticis vero quia fideles corrumpunt,quorum sermo serpit vt cancer, 2. Timo.2. non habet hoc locum.Quintum est induratio in malo qualis fuit in Pharaone.1. Reg. 6. Quare aggrauatis corda vestra sicut aggrauauit Ægyptus & Pharao cor suum? Talis fuit in Iudeis:& ideo perierũt. Ecclesiastic 3. Cor durum male habebit in nouissimo. Prouer.28.Qui mẽtis est duræ,corruet in malum. Eiusdem 29.Viro qui corripientem se dura ceruice contemnit, repentinus superueniet interitus, &c. Domus mea domus orationis vocabitur. Notandum quòd triplex est domus:Superior.Ioan.14.In domo patris mei mansionem multæ sunt.2.Corin.5.Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationẽ ex deo habemus,domum nõ manu factam,æternã,&c.Alia est domus inferior siue exterior de qua loquitur dominus in verbo proposito.& Gen.28.in figura huius domus dicitur, Non est hic aliud nisi domus dei & porta cæli.Tertia est domus interior,scilicet anima iusti.1.Corin.3.Templũ dei sanctũ est, quod estis vos. In eodẽ, Nescitis quia templum dei estis & spiritus sanctus habitat in vobis.Domus exterior figura est aliarum duarum ostendens quid in superiori lateat: & quid in inferiori fieri debeat.Circa domum exteriorem,scilicet ecclesiam,verbum propositum ad tria debet nos excitare, scilicet,Ad eius amorem: ad eius venerationem: & ad fiduciam impetrandi. Ad primum excitat nos quòd dicit Domus mea. Naturaliter amat filius domum patris. Exemplum de hoc habemus in Christo qui relictis parentibus, in templo remansit,& ait, Nesciebatis quia in his quæ patris mei sunt oportet me esse? Luc. 2. Et quando veniebat in Hierusalem, primo ibat ad templum. vnde glos.super Matte.21.Ingressus vrbem adiit primo templum,dans formam religioni vt quocunque imus,primo domum oratio

nis,

nis,si ibi est,adeamus: & per orationes deo commendati, sic ad agenda negocia recedamus. Frequenter etiam erat in templo. Noctibus autem morabatur in monte Oliueti. Ad venerationem ecclesiæ incitat nos illud, Domus mea. Domui enim dei reuerentiam debemus.Malachiæ 2. Leui à facie nominis mei pauebat, diuinis rebus reuerentiam exhibendo. Genes.28. Quam terribilis est locus iste. Ecclesia est locus communis.Apocalyp.21. Ecce tabernaculum dei cum hominibus & habitabit cum eis.3.Reg.8.Ædificans ædificaui domum in tabernaculum tuum. Domum Dei decet pulchritudo. Psalmus, Dilexi decorem domus tuæ. 3.Regu.6.Nihil erat in templo quod nō auro tegeretur. Pulchritudo huius domus indicare debet pulchritudinem cœlestis domus: de qua Apoca.21. Non intrabit in eam aliquid coinquinatum &c. Magnitudo etiam huius domus inferioris,magnitudinis cœlestis domus indicium est.Baruch 3. O Israel quàm magna est do.d.&c. Luminositate vero ipsius indicatur claritas cœlestis. de qua Apocal.21.Claritas Dei illuminabit illam.Celebritas officij indicat gaudij magnitudinem.Ber. Nihil adeo repræsentat in terris quendam cœlestis habitationis statum: sicut alacritas laudantium Deum. Fiduciam vero impetrandi in ecclesia nobis dat hoc quòd dicitur domus orationis. Ad hoc enim voluit dominus hanc domum fieri vt ibi oraremus,& orantes exaudiremur. Ad quid enim vellet nos ibi orare,nisi & vellet exaudire?vnde 3.Reg.9.Cùm Salomon petiisset vt orantes in templo exaudirentur: respondit dominus, Exaudiui orationem tuam &c. & post, Sanctificaui domum istam &c. & erunt oculi mei & cor meum ibi,cunctis diebus. & 2.Paralipo.7.Oculi mei erunt aperti,& aures meæ erectæ ad orationes eius qui orauerit in loco isto.& post, Elegi & sanctificaui locum istum, vt sit nomen meum ibi in sempiternum,& permaneant oculi mei ibi & cor meum cunctis diebus. In eodem, Cum complesset Salomon fundens preces: ignis descendit de cœlo,& deuorauit holocausta & victimas:& maiestas domini repleuit domum. Exodi vltimo, Postquam cuncta perfecta sunt, operuit nubes tabernaculum testimonij, & gloria domini repleuit domum. Sequitur, Vos autem fecistis illam speluncam latronum.Notandum quòd eccle-

sia quan

ſia quandoque fuit habitatio ſanctorum : poſt vero facta eſt ſpelunca latronum, quantum ad multos malos qui in ea latebant. Tamen non licebat hominibus malis eſſe ibi aperte. Sed hodie eſt manifeſta habitatio raptorum. Bern. Plena eſt ambitioſis eccleſia: iam non eſt quod horreat in ſtudiis & molitionibus ambitioſis. Hodie clamatur non contra latrones, ſed contra innocentes : non contra lupos, ſed contra agnos.

Dominicæ vndecimæ poſt trinitatem,

SERMO PRIMVS.

Dixit Ieſus ad quoſdam qui in ſe confidebant &c. Lucæ 18.

Aſcenderunt in templum in monte ſitum. Simile Actu. 3. Petrus & Ioannes aſcendebant in templum: vnus Phariſeus quaſi diuiſus: Phariſei diuiſi erant à ceteris in quibuſdam traditionibus & obſeruantiis. Ipſi habebant in manu & in fronte membranas, in quibus erat ſcriptus decalogus, in ſignum quòd Dei præcepta habenda ſunt ante oculos cordis per iugem meditationem : & in manu per eorum impletionem. Item ſpinas ferebant in fimbrijs palliorum vt pungerentur cum incederent & memores mandatorum dei fierent. Et alter publicanus. Publicani dicebantur quia publicè peccabant, vel quia recipiebant publica vectigalia, vel quia merces ſuas vendendo omnibus publicabant. Publicanus erat apparentis maliciæ, ſicut phariſeus apparentis bonitatis. Raptores, iniuſti. Rapina attenditur in violenta occupatione rei alienę. Iniuſticia vero in iniqua detentione. Ieiuno bis in ſabbato, id eſt, in hebdomada. Dico vobis &c. Interlin. Poſita phariſei controuerſia & publicani, ponitur iudicis ſententia, vt caueatur ſuperbia. Deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam ab illo, id eſt, plus quam ille : vel ab illo, id eſt, ad comparationem ipſius. ſimile Hiere. 3. Iuſtificauit animam ſuam aduerſatrix Iſrael comparatione, ſcilicet Iuda. Ezechiel. 16. Iuſtificaſti ſorores tuas in omnibus abominationibus tuis. Dixit Ieſus ad quoſdam qui in ſe confide-

confidebant,&c. Hoc euangelium continet quandam parabolam à saluatore dictam. Et primo ostenditur ad quos sit dicta. Secundo ponitur ipsa parabola ibi, Duo homines ascendebant in templum, &c. Tertio ostenditur ad quid docendum sit inducta ibi, Quia omnis qui se exaltat humiliabitur. Circa primum notandum quòd hæc parabola dicta est ad quosdam de se confidentes quasi iustos: & non vere iustos, & aspernantes ceteros. Qui de se confidit, id est, de viribus suis, vel quantum ad mali declinationem, vel boni operationem, valde fatuus est: cum sine dei auxilio ad neutrum sit sufficiens. etiam non sumus sufficientes ad bene cogitandum. 2. Cor, 3. Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid &c. Ista præsumptio multis est cadendi occasio. Iere. 48. Eo quòd habuisti fiduciam in munitionibus tuis: & in thesauris tuis, tu quoque capieris. Fatuus etiam est qui confidit de operibus suis bonis: cùm non possit scire vtrum vere bona sint. Iob 9. Verebar omnia opera mea. &c. Ecclesiastes 9. Sint iusti atque sapiētes & quorum opera sunt in manu dei: & tamen nescit homo vtrum amore vel odio dignus sit. Fatuus est mercator qui confidit in negociatione sua, cum nesciat de eo discernere quod emit an sit aurum vel cuprum, argentum vel stagnum. Prouerb. 9. Qui confidit in diuitiis suis, corruet. Non solum fatuus est qui de se confidit, sed etiam maledictus. Ierem. 17. Maledictus qui cōfidit in homine. & paulo post, Benedictus qui confidit in domino. Confidens de se est sicut arbor plantata in terra arida quæ arescit. Confidens vero in Deo est sicut arbor benedicta plantata iuxta fontem diuinæ bonitatis, vbi radicem cordis per fiduciam posuit. vnde Hierem. 17. dicitur de confidente in domino, Erit tanquam lignum quod transplantatur super aquas. Ipsi erant tāquam iusti, & non vere iusti, cum non habent humilitatem: vbi enim deest humilitas, non est alicuius gratiæ veritas. Gregorius, Eam nanque quam non inuenit humilem, veritas fugit mentem. Aspernans cæteros fatuus est, cum corda eorum non possit videre vbi sedes est bonitatis: sicut cæcus naturaliter fatuus esset, si de coloribus vellet iudicare. Sicut spiritus vbi vult spirat: Ioan. 3. sic quando vult spirat, & subito eum qui malus erat bonum efficit. Præterea in eo qui nunc est in mortali forsitan est aliquid

aliquid quod erit ei occasio salutis: vt pietas informis. Ambros. Qui pietatem sequitur, & si lubricum carnis patiatur, vapulabit quidem, sed non peribit. In eo vero qui est in statu gratiæ est forsitan aliquid quod erit ei occasio casus & damnationis: vt indignatio aduersus peccatores. Prouerb. 29. Qui ad indignandum facilis est, erit ad peccata procliuior. Item, Qui nunc est vt sanctus, in Dei præscientia est diabolus, & ecõuerso: vt patet in Iuda & Magdalena. Iudas erat sanctus, quia apostolus & miracula faciens: tamen in Dei præsciẽtia erat diabolus. Ioan. 6. Vnus ex vobis diabolus est. Magdalena vero septem habebat dæmonia. Marc. vlt. & tamen in Dei prouidentia erat sancta. Item notandum quòd illi ad quos dicta est hæc parabola, peccabant in Deum, & in proximum. In Deum, se iustificando, In proximum, cæteros aspernando. Primum dissuadetur Ecclesia. 7. Non te iustifices apud Deum: quoniam cognitor cordis est ipse. Qui se iustificat, est similis illi qui vult esse testis in causa propria: vnde potest ei dici illud Ioan. 8. Tu de teipso testimonium perhibes: testimonium tuum non est verum. Solus Deus testis est verax qui non potest falli de bonitate conscientiæ. Dauid, Testis in cœlo fidelis j. Reg. 16. Deus autem intuetur cor. Homo bene potest falli etiam circa se. 1. Cor. 4. Nihil mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum. Prouerb. 20. Quis potest dicere, mundum est cor meum: purus sum à peccato? 1. Ioan. 1. Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus. Aspernanti cæteros dicitur Roman. 8. Tu quis es qui iudicas seruum alienum? suo domino stat aut cadit. Esaiæ 33. Væ qui spernis: nonne & tu sperneris? Duo homines ascendebant in templum, &c. Hi duo homines apponũtur nobis vt duo specula. Pharisæus ad hoc vt cum eo videamus quanta sit macula superbiæ. Publicanus vero ad hoc vt in eo videamus quanta sit humilitatis virtus. Videamus in superbo Pharisæo quod ipse non videbat in se. Superbus est sibi quasi speculum mendax. vnde recte significatur per Naaman. 4. Reg. 5. Qui interpretatur decorus sibi: tamen erat leprosus. Superbia lepra est quæ curatur in Iordane, i. in descensu humilitatis. Ascenderunt in templum. Licet vterque ascenderet quãtum ad situm loci: tamen Pharisæus ascendit per præsumptionem: & ideo

ruiturus. Prouerb. 17. Qui altam facit domum suam, quærit ruinam. Publicanus vero descendit per humilitaté, merito exaltandus. Vt orarent non vt se ostentarent, vt mulieres faciunt quæ ita veniunt ad ecclesiam, vt diabolus apparuit beato Martino, purpuratæ, scilicet, & id quod maxime Deo displicet ei afferunt cum eum rogare volunt scilicet superbiam. Superbia intulit Deo primam contumeliam quæ ei illata est. vnde non est mirum si Deus multum odio habeat eam. Pharisæus autem stans. Status corporis in eo elationem indicat mentis. Econtra in eo qui debito modo orat humiliatio corporis humilitatem indicat mentis. Esa. 29. Vultu in terra demisso adorabũt te. Ecclesiast. 35. Oratio humiliantis se nubes penetrabit. Hæc apud se orabat. Apud se orat quia eius oratio ad Deum non ascendit. Gregorius. Oratio hominis placentis sibi non ascendit ad Deum. Deus, gratias tibi ago, &c. Secundum interlin. Qui ascendit orare non rogat sed se laudat. Insuper & roganti insultat. Et notandum quòd huic Pharisæo magis congrueret sacrificium spiritus contribulati, quod est pœnitentium: quam sacrificium laudis vel gratiarum actionis, quod est perfectorum. In Psalmis, Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Item, Sacrificium laudis honorificauit me. Nõ sum sicut cæteri hominum. quid ergo es Pharisæe? reputas te gigantem, & alios locustas. Genes. 6. Gigantes erant super terram in diebus illis. Numeri 14. Ibi vidimus monstra quædam de genere giganteo, quibus comparati quasi locustæ videbantur. Glossa dicit quòd quatuor sunt species tumoris, scilicet, Cum vel aliquis bonum quod habet à se habere æstimat. Aut si datum à Deo credit pro meritis datum putat. Aut cum iactat se habere quod non habet. Aut cum despectis cæteris appetit singulariter videri habere quod non habet. Prima speciẹ superbiæ laborabat qui dicebat Daniel. 4. Nonne hæc est ciuitas magna Babilon, quam ego ædificaui? Laboranti hac specie dicitur 1. Corinth. 3. Quid habes quod non accepisti? Illi qui habent secundam speciem superbiẹ, extingunt naturam gratiæ. Roman. 11. Si gratia Dei, iam non ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia. Laboranti tertia specie dicitur Apocalypſ. 3. Tu dicis quòd diues sum & locupletatus & nullius egeo: & nescis quia

miser

miser es & miserabilis & pauper & nudus & cæcus, &c. Quarta specie laborabat hic Pharisæus qui reputabat se singulariter iustum. In quo multũ decipiebatur. Sic etiam decipiebatur Helias, 4. Reg. 19. dicens, Remansi ego solus, &c. cum tamen multi remansissent: sicut ei dictum fuit. Gregor. Certum est quòd humilitatis radio se illuminat: qui aliorum bona subtiliter pensat. Quia dum ea quæ ipse fecit, facta foris ab aliis conspicit: eum tumorem superbiæ qui intus de singularitate erumpere nititur premit. Item Gregor. Sicut incentiuum est elationis consideratio deterioris: sic & cautela humilitatis respectus melioris. Raptores, &c. Cum duæ sint partes iusticiæ, scilicet declinare à malo, & facere bonum. Primo ostendit se habere primam partem iusticiæ, dicens, Non sum sicut cæteri hominum rapto. &c. Secundo, secundam, ibi, Ieiuno bis in sabbato, &c. Et notandum quòd sicut inter accipitres, aliqui sibi rapiunt, & pullis suis, vt siluestres: aliqui rapiunt dominis suis, vt domestici: sic inter raptores quidam rapiunt sibi, quidam vero dominis suis, vt bailliui. Ipsi habent peccatum, & domini habent commodum. Abacuc 2. Væ ei qui multiplicat non sua. Iniusti. Iniustos vocat auare detinentes sua: sicut raptores rapientes aliena. Ecclesiastici 4. Declina aurem pauperi sine tristitia: & redde ei debitum tuum. Velut etiam hic publicanus. Interlin. Ecce ex vicino publicano maioris timoris occasio. Superbia & ex malis & ex bonis proximi facit damnum suum. Si habet iuxta se miserum: inde magis inflatur. si fœlicem: inuidet & affligitur. Econtra humilitas vbique lucratur. Si habet iuxta se miserum, compatitur. vnde de aliena humilitate sanatur, de aliena paupertate ditatur. Si fœlicem: inde magis humiliatur. Ieiuno bis in sabbato. Ieiunabat Pharisæus ieiunio diabolico, scilicet à cibis & non à malis. Esaias, Qui à cibis abstinent se, & mala agunt, dæmones imitantur quibus esca semper abest & culpa semper adest. Ipse cibo serpentis infernalis soluebat ieiunium suum puluere, scilicet vanæ gloriæ. Esai. penult. Serpenti puluis panis eius. Decimas do. &c. Melius dixisset reddo. Nihil enim dat Domino temporali qui censum quem in terra sua retinuit, ei reddit. Domini est terra & plenitudo eius, & ratione huius dominij, decimas

sibi voluit reddi. Ieiunando reddebat Pharisæus sibi quod sibi debebat: Dando decimas, reddebat Deo quod eius erat. Sed in tertio deficiebat: non enim reddebat proximo quod suum erat, cui erat iniuriosus eum temere iudicando. Et notandum quòd in ea quæ ipse à se excludit, spiritualiter incidit: incurrit enim tria. Primo incurrit spiritualem rapinam dum titulum honoris sibi vsurpat. Secundo incurrit iniusticiam, dum proximum temerarie iudicat. Roman. 13. Tu quis es qui, &c. Tertio incurrit spirituale adulterium, dum gloriam, quæ quasi sponsa Dei est, sibi vsurpat. Esai. 42. Gloriam meam alteri non dabo. Non sic fecit Ioseph qui noluit consentire vxori domini sui dicenti, dormi mecum. Genes. 39. Bernar. Indignum iudicauit inglorium facere qui se fecerat gloriosum. Ad fidelem seruum Christi pertinet dicere, illud Psalm. Non nobis domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Item. Qui iactat se de ieiunio: pascitur vento. Persius, Pascuntur digitis hominum & popularibus auris. Item, Qui se de decimatione iactat, spirituales decimas Deo, qui est alpha & ω: id est principium & finis subtrahit: non attribuendo ei principium & consummationem boni operis. Per foramen superbiæ euacuatio bonorum in Pharisæo facta est: & introductio malorum. Ecclesiast. 25. Ne des aquæ tuæ exitum vel modicum. Beda, Ecce Pharisæus ad exhibendam abstinentiam, ad impendendam misericordiam, ad referendas Deo gratias oculum habet: ad humilitatis custodiam oculum non habet. Et quid prodest si totas ciuitas custodiatur: & vnum foramen per quod hostes intrent relinquatur? Publicanus à longe stans. Innuitur hic quòd seipsum despiciebat, immundum se iudicans & indignum appropinquare sanctis: quasi leprosum spiritualem se reputabat. Simile Matth. 8. Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum, &c. Item Lucæ 5. Exi à me domine, quia homo peccator sum. Non audebat oculos ad cælum leuare: intelligens se reum. Rei enim est non leuare faciem. vnde 2. Regum 2. Noli me sequi ne compellar fodere te: & leuare non potero faciem meam ad Ioab fratrem tuum. Sed percutiebat pectus suum se & Deum vindicans de se, percutiendo pectus sub quo est cor: vnde procedunt cogitationes malæ, dicens, Deus propi

propicius,&c. Iniquitatem meam agnoſco, ſecundum illud 2. Regum vltim. Ego ſum qui peccaui,&c. Duo homines,&c. In hac parabola primo attende fatuitatem ſuperbiæ in Phariſæo:& diſcretionem humilitatis in publicano:& veritatem iudicij in Chriſto.Sicut vbi humilitas, ibi & ſapientia. Prouerbior. 11. Sic vbi ſuperbia ibi ſtultitia. Nec vnam ſolam fatuitatem:immo ſeptem poſſumus inuenire in Phariſæo. Prima eſt quòd orationem ſuam à gratiarum actione incipit, quod tale eſt : ac ſi aliquis Miſſam inciperet à Deo gratias. Miſſæ confeſſio præmittitur, & in gratiarum actione finitur. Sic iuſtus prior eſt accuſator ſui.Prouerbior.18,Inchoanda eſt oratio à conſideratione malorum. Et ex hoc triplex bonum prouenit. Primum eſt humilitas quæ valde efficax eſt in oratione. In Pſalmis, Reſpexit in orationem humilium, & non.&c. Eccleſiaſt. 35. Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit. Secundum eſt fletus qui violentus eſt in precibus, iuxta verbum Auguſt.ſuper illud, Auribus percipe lachrymas, &c. Mundat etiam mentem qua mundata facile oratio exauditur. Item Auguſtin.Munda tantum cubiculum mentis: intus eſt qui exaudiat.Tertium eſt intentio deſiderij quæ multum valet ad hoc vt oratio exaudiatur.Pſalm. Deſiderium pauperum exaudiuit dominus. Dicebat quidã quòd latrones docuerant eum orare : latro conſiderans mala culpæ à ſe perpetrata,& mala pœnæ ſibi parata:cum multo deſiderio petit pœnam ſibi remitti:& ſpacium vitæ ſibi concedi. Sic peccator conſiderans mala quæ fecit, & tormenta quæ Deus ei parauit:cum magno deſiderio veniam petere debet. Secunda fatuitas eſt quòd non credit ſolem iuſticiæ lucere niſi apud ſe, dum ſe ſolum iuſtum putat. Bernard. Volo vt nunquam arbitreris ſolem lucem communem diei lucere niſi in cella tua.Tertium eſt quòd gaudet de diſſimilitudine vel inæqualitate dicens , Gratias ago tibi,quia non ſum ſicut cæteri hominum:quod tale eſt, ac ſi aliquis gauderet de inæqualitate manuum vel oculorum ſuorum. Quartum eſt quòd publicanum ſingulariter deſpicit: cum nullus deſpiciendus ſit. Spernere mundum : ſpernere nullum: ſpernere ſe ſe: ſpernere ſe ſperni quattuor hæc bona ſunt. Phillippenſ. ſecundo, Superiores inuicem arbitrantes.Roman.duódecimo,Ho-

nore inuicem præuenientes. Bernard. Qui peccatu m suum perfecte examinando semetipsum intelligit: suo pec cato nullius peccatum par esse existimat: quod non sicut suum intelligit. Luc. 14. Cum inuitatus fueris ad nuptias recumbe in nouissimo loco. Non dicit in medio sed in nouissimo, vt inferiorem omnibus te reputes. Ille qui nunc est in mortali, forsitan habet aliquid in se quod erit ei occasio salutis. Et tu qui es in charitate, habes aliquid quod erit tibi occasio damnationis æternæ. Quintum est quòd infirmitates suas abscondit ei à quo sanationẽ suam quærere debuit: dicens se non esse raptorem, iniustum, adulterum. In libro consola. Bœtij, Si opem medicātis expectas: oportet vt vulnus detegas. Sexta fatuitas est quòd eleemo synam petiturus, diuitias suas ostentat, quod tale est, ac si aliquis mendicet manu plena nummis. Ieiuno inquit bis in sabbato, &c. Septimum est quòd gloriatur de falsa moneta, scilicet, de operibus quæ sunt de genere bonorum absque humilitate. Seneca, Apud sapientes sunt honesta, apud vulgus simulachra rerum honestarum. In publicano vero humili inuenire possumus quatuor discrete facta. Primum est reuerentia sacrorum, quæ apparebat ex hoc quòd à longe stabat. Non sic faciunt vsurarij qui ponunt se iuxta altare, cùm missa celebratur. Secundum est quòd oculos ad cælum non leuat. Nec mirum, cùm cælestem curiam multotiens grauiter offenderit: vt fulgur inde expectare possit. Cælum etiā amiserit: vt eius respectus causa doloris ei esse possit. Tertium est quòd percutiendo se de pessimo hoste suo vindictā sumit: pessimus hostis peccatoris est ipse peccator. Ipse se ad mortem vulnerat. Ipse se Diabolo ligatum tradit: & funem, quo suspendatur ad proprium collum ponit. Prouerb. 5. Iniquitates suæ capiũt impium, & funibus peccatorum suorum, &c. Quartum est quòd miseriam suam diuinæ misericordiæ apponit dicẽs, Deus propicius esto mihi peccatori. Attendere vero debemus dei benignam pietatem in humilem publicanum. Non audet publicanus appropinquare, & deus ei appropinquat. August. Altus quidẽ es domine, vicinaris tamem humili & non se erigenti. Non audet ad cælum respicere, & Deus respectu misericordiæ eum respicit. Psalmus, Cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Idem, re-

ſpectu miſericordiæ eum reſpicere non dimittes. Publicanus à ſe pœnas exigit, & Deus ei parcit. Culpã ſuã agnoſcit: & deus ei ignoſcit. Glo. Sicut humilis non audet appropinquare vt Deus appropinquaret. Non aſpicit vt aſpiciatur. Premit conſcientiam: ſed ſpem ſubleuat. Percutit pectus, pœnas à ſe exigit, vt Deus parcat. Confitetur vt ignoſcat. Ignorat Deus quod ille agnoſcit. Veritatem iudicij attende in Chriſto dicente, Deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam ab illo. Et eſt argumẽtum hic, quòd melior peccator humilis eſt quã iuſtus ſuperbus. vnde Aug. in libro de ciuitate dei. Audeo dicere ſuperbis eſſe vtile cadere in aliquod apertum manifeſtumque peccatũ. Vnde ſibi diſpliceant, qui iam ſibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus diſplicuit quando fleuit, quam placuit quando præſumpſit. Ad quid docendum inducta ſit parabola, oſtenditur cum dicitur, Quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur, &c. Simile verbum habemus Luc. 14. & Mat. 23. Creatus eſt homo ad humile miniſterium: quod ſi impleuerit in præſenti, in futuro exaltabitur. Si vero ab eo receſſerit, in futuro deiicietur. Prouer. 19. Superbum ſequitur humilitas: & humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria. Eccleſiaſtici 11. Sapientia humiliati exaltabit caput eius. Iohan. 22. Qui humiliatus fuerit, erit in gloria. Exaltans ſe phariſeus humiliatus eſt. Humilians ſe publicanus exaltatus eſt. Exaltans ſe lucifer deiectus eſt. Lucæ 10. Videbam ſathanam ſicut fulgur de cælo cadentem. Eſaiæ 14. Quomodo cecidiſti lucifer, &c. Ezechielis 28. Eleuatum eſt cor tuum in decore tuo: & in terram proieci te: ante faciem regum dedi te, vt cernerent te.

Dominicæ duodecimæ poſt trinitatem,

SERMO PRIMVS.

EXiens Ieſus de finibus Tyri, &c. Marc. 7.

Tyrus & Sydon ciuitates ſunt inter medios fines Decapoleos. Glo. Decapolis eſt regio decẽ vrbium,

trans Iordanem ad orientem.quòd autem dicitur: venit ad mare Galilex inter medios fines Decapoleos.Nō ipsos eum intrasse significat:neque enim mare transnauigasse dicitur:sed vsque ad mare venisse atque ad locum qui medios fines Decapoleos longe trans mare positos respiciebat.Et suspiciens,idest,sursum aspiciens quod est adaperire:idest adaperiaris. Quanto autem eis plus præcipiebat,tanto magis plus prædicabant.Glosa. Sciebat ille qui omnia nouit ante quam fiant,quia magis prædicarent:sed hoc præcipiendo pigris voluit ostendere quanto studio prædicare debeant,quibus iubet vt prædicent:quando isti qui prohibentur tacere non poterant.Adducūt ei surdum & mutum. Circa hoc miraculum à saluatore factum tria sunt attendenda pertinentia ad ædificationem nostram. Primum est quid per hunc surdum & mutum designetur. Secundum est modus quo curatur. Tertium est id quod curationem eius sequitur.Circa primum notandum quòd per hunc surdum & mutum peccator designatur.Cui diabolus cum cœperit eum,loca illa obstruit per quæ facilius ab eo posset expelli,& Deus introduci,scilicet,aures & os:& facit eum surdum & mutum. Surdum ne consilium de liberatione sua audiat: Mutum ne consilium vel auxilium petere valeat.Vere surdus est peccator qui clamorē vniuersitatis creaturarum non audit: clamorem inquam quo nos incitant ad dei amorem.vnde Aug.in libro confessionum,Domine,cælum & terra & mare & omnia quæ in eis sunt, vndique mihi dicunt vt amem te: nec cessant hoc dicere omnibus vt sint inexcusabiles. Item, Vere surdus est peccator qui clamorem saluatoris non audit. Clamorem inquam quo sanguis eius nos incitat vt eum amemus & vicem rependamus.Hebreorum 12. Accessistis ad mediatorem testamenti noui Iesum & sanguinis aspersionem melius loquentem quàm Abel. Item vere surdus est peccator qui non audit tubam illam quam mortui audient 1.Thessa.4.Ipse dominus in iussu & in voce archangeli,& in tuba dei descendet de cælo Iero.Siue comedam siue bibam,siue aliquid aliud faciam,semper videtur mihi insonare auribus meis illa terribilis tuba, Surgite mortui, & venite ad iudicium. Item vere surdus est peccator qui tonitrua diuinæ comminationis vel tonitruum sententiæ

extre

extremi iudicij non audit. In Psalmis, Deus maiestatis intonuit. Iob 26. Cum stillam sermonum eius vix audierimus tonitruum magnitudinis eius quis poterit intueri? Mutus etiam est peccator. Sicut animal dicitur mutum licet habeat vocem, quia non habet vocem formatam: sic mutus dicitur qui non habet verba debita. Augu. in libro confessionum, Væ tacentibus de te: quia loquaces muti sunt. Nemo dicit canem loqui & si tota die latret: vel ranam & si tota die coaxet. Et notandum quòd diabolus facit peccatorem surdum ad tria. Primo ad clamorem pauperis: & cum deum in paupere non audierit: merito à deo non exauditur. Prouerb. 21. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, clamabit & ipse, & non exaudietur. Secundo facit eum surdum fratri veniam petenti, vt cum fratri remittere noluerit, nullum à deo peccatum ei remittatur. Ecclesiastici 28. Relinque proximo nocenti te: & tūc deprecanti tibi peccata soluentur. Homo homini seruat iram, & à deo quærit medelam. In hominem sibi similem non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecabitur. Matth. 18. Nonne oportuit misereri conserui tui sicut & ego tui misertus sum? Aug. Ego vos ad dilectionem inimicorum admoneo: quia ad sananda peccatorum vulnera nullum medicamentum vtilius esse agnosco. Tertio facit eum surdum ad audiendū verbum dei: vt cum nō audierit deum præcipientem: deus non audiat eum orantem. Prouerb. 28. Qui declinat aures suas ne audiat legem: oratio eius erit execrabilis.

Diabolus hominem mutum facit ad quatuor, scilicet: ad dei laudem: ad orationem: ad peccatorum confessionem: & ad proximi instructionem. Circa modum curandi notandum est quòd surdus & mutus, primo ad saluatorem adducitur. Secundo saluator pro illius salute rogatur. Tertio turba eiicitur. Quarto saluator digitum in auriculam eius mittit. Quinto linguam saliua tangit. Sexto in cælum suspicit. Septimo gemit. Circa primum sciendum quòd peccatores multis modis ad deum adducuntur, videlicet aliquando virtute prædicationis. Actuum 2. His auditis compuncti sunt corde: Matth. 26. Gallus cantauit, qui figuram tenet prædicatoris, & recordatus est Petrus verbi quod dixerat Iesus: & egressus foras fleuit amare.

aliquando correptione infirmitatis: & præcipue cum timetur ne sit ad mortem. Psalmus, Multiplicatæ sunt infirmitates eorũ, postea accelerauerunt. Esa. 38. Cõuertit Ezechias faciem suam ad parietẽ, & fleuit fletu magno. Ecclesiastici 10. Curatio cessare faciet peccata maxima. Aliquando exemplo alterius vitam præteritam corrigentis. Prouer. 27 Ferrum ferro exacuitur, & homo exacuit faciem amici sui. Aliquando largitione eleemosynarum. Actuum 10. dicitur Cornelio, Exaudita est oratio tua & eleemosynæ tuæ commemoratæ sunt in conspectu dei. Circa secundum notandum quòd precibus sanctorum impetratur salus alicui. vnde Iob vlt. dicit dominus ad amicos Iob, Iob amicus meus orabit pro vobis. Faciem eius suscipiam ne vobis imputetur stulticia. Et Lucæ 13. Custos vineæ impetrauit de ficulnea ne abscideretur. Circa tertium notãdum quòd in hoc quòd sanandus de turba eiicitur his qui nolunt pœnitentiam agere datur exemplum vitandi prauas societates. Simile habetur Matth. 9. Eiecta enim turba intrauit Iesus domum vt sanaret filiam archisynagogi. Iob 29. dicitur de onagro qui designat contemptores mundi, Contemnit multitudinem ciuitatis, &c. Commendatur etiam in hoc desertio mundi per ingressum religionis. Iere. 48. Relinquite ciuitates, & habitate in petra. In Psalm. Ecce elongaui fugiens & mansi in solitudine. Circa quartum notandum quòd cum digito auris purgetur: purgatio intellectus à sensu mundi qui stultitia est apud deum: & collatio veræ discretionis intelligitur, quæ multum valet ad salutem. Seneca, Initium salutis, cognitio peccati. Auris digito purgata, est auris audiendi. Matth. 13. Qui habet aures audiendi audiat. Circa quintum notandum est quòd saliua medium est gustus: & si corrupta fuerit, decipitur gustus in iudicando de sapore cibi: vt patet in febricitantibus, quibus propter amarum humorem quo palatum infectum est, cibus qui dulcis est amarus videtur. Si vero bene sit disposita saliua, bene iudicat gustus. In saliua igitur intelligitur gratia quam dominus dat affectui qua ipse sanatur vt sapiant ei res prout sapere debent. Sine ipsa amarum videtur ei dulce: & econtrario. Augustinus, Palatum febricitantis habet cui mel cœli insipidum est. Esaiæ quinto. Væ qui dicitis bonum malum, &c.

Circa

Circa sextum sciẽdum est quòd in hoc quòd dominus sanaturus surdum & mutum in cælum suspexit: vnde discretio & gratia sit speranda ostendit. A deo enim speranda sunt non ab homine. Iacobi 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descẽdens à patre luminum. Circa septimum notandum quòd dominus in hoc quòd ingemuit, innuit quantum sit timendum & fugiendum peccatum: quod tam difficile curatur quantum est ex parte peccantis. Idẽ voluit dominus ostendere flendo super Lazarum resuscitãdum. Ioannis 11. Circa tertium notandum quòd sanationem actiuam ex parte sanati tria sunt secuta, scilicet, Aurium apertio: Vinculi linguæ solutio: Recta locutio. Ex parte vero sanantis, quòd præcepit ne miraculum alicui diceretur. Et quòd tanto amplius est publicatum, quanto publicatio à saluatore magis prohibita est. Circa primum sciendum est quòd cum auditus sit sensus perceptiuus disciplinæ: recte auditus interior accipitur intellectus. Duæ aures vero recte intelliguntur, Cõsideratio gehennæ, & consideratio gloriæ. Et nota quòd Consideratio gehennæ est quasi auris sinistra: Consideratio gloriæ quasi auris dextra. Obstruuntur autem aures istæ sicut aures aspidis, Terra, & cauda, idest. Concupiscẽtia terrenorũ: & præsumptione pænitentiæ finalis vel longanimitatis. Hæ aures aperiuntur cum desiderium terrenorum mutatur in desiderium cælestium, & præsumptio longæuitatis in spem æternitatis. Lingua autem interior potest intelligi affectus: loquela vero quæ expressiua est mutuæ voluntatis, accipi potest desiderium. Hanc loquelã deus exaudit. Desiderium enim pauperum exaudit dominus. Et solutum est vinculum linguæ eius. Sciẽdũ quòd multiplex est vinculum linguæ impediens hominem ne peccata sua confiteatur. Primum vinculum est pudor vt accidit in peccatis turpibus, vt sunt peccata contra naturam. vnde Sodoma interpretatur muta. Ephes. 5. Quæ in occulto fiunt ab ipsis turpe est dicere. Sicut quãdoque ille qui habet morbum in menbro pudibundo, perit eo quòd præ verecundia eius non detegit: sic accidit in peccatis turpibus. Ecclesiastici. 4. Est confusio adducens ignominiam &c. Hunc pudorem debet excutere pudor extremi iudicij. Naum 3. Reuelabo pudenda tua, &c. Itẽ quãdoque impedit

impedit confessionem peccati impunitas. Ecclesiastes 5. Ne dixeris, Peccaui: & quid accidit mihi triste? Altissimus enim est patiens redditor. Ecclesiastes 8. Quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore vllo filij hominum perpetrant mala. Item quãdoque impedit confessionem stulta spes, scilicet spes alias confitendi & pœnitendi. Ecclesiastes 5. Non tardes conuerti ad dominum, & ne differas &c. Iob 32. Nescio quandiu subsistam. Ecclesiastes 9. Nescit homo finem suum. Qui non est hodie, cras minus aptus erit. Item quandoque impedit confessionem desperatio de venia vel diffidentia cauendi à peccato. Genes. 4. Maior est iniquitas mea quam vt veniam mærear. Et loquebatur recte. Recte loquitur qui bona deo attribuit & mala sibi imputat. Oseæ. 13. Perditio tua ex te Israel, tantummodo ex me auxilium tuum. Non recte locutus est Adam, Gen. 3. dicens, Mulier quam dedisti mihi sociam &c. Retorquens culpam suam in datorẽ mulieris. Potest etiam rectitudo loquelæ referri ad quinque verba. De quibus 1. Corin. 14. Volo quinque verba loqui in ecclesia sensu meo: magis quam decem milia in lingua. Et nota quòd primum verbum pertinet ad teipsum. Secundum ad deum. Tria sequentia ad proximum. Primo verbo teipsum ante alios accusas & cõdemnas. Prouer. 28. Iustus in prin. actus est, scilicet. Secundo deum laudas: & hoc verbum bene sequitur verbum primum: quia prius à peccato es mundandus, quam diuinæ laudi intendas. Ecclesiastici 15. Non est speciosa laus in ore peccatoris. Primo verbo aliorum trium ordinate te habes in corripiẽdo proximum ne dicatur tibi: illud Roma. 2. In quo alium iudicas teipsum condemnas. Et post, Qui alium doces teipsum non doces. Et poeta loripedem rectus derideat: Æthiopẽ albus. 2. ad Thimo. 2. Sollicite cura teipsum probabilem exhibere Christo operarium inconfusibilem. Matthei. 7. Hypocrita, eiice primo trabem ab oculo tuo, & tunc videbis eiicere festucam &c. Secundo verbo in responsionibus te exhibes certum non proferendo ambigua in consiliis. Ecclesiastici. 22. Si bis interrogatus fueris: habeat caput responsum tuũ. Prouer. 24. Labia deosculabitur qui recta verba respondet. Tertio verbo in expositionibus & exhortationibus dilucidum te exhibes nõ obscurus. 1. Cor. 14. Si nesciero virtutem

tutem vocis ero ei cui loquar barbarus. Etiã post, Qui loquitur lingua, nõ hominibus loquitur, i. qui loquitur obscurè. Qui autẽ profert, i. interpretatur: loquitur ad ædificationem &c. Et præcepit eis ne cui dicerent. Hic monemur exemplo domini ad vitandum laudem hominum. Simile habetur Mat. 17. Nemini dixeritis visionem, donec filius hominis à mortuis resurgat. & Marci. 1. dictum est leproso mundato, Vide nemini dixeris. Quanto autem plus præcipiebat &c. Hic innuitur quòd laus humana est sicut vmbra quæ fugit sequentes, & sequitur fugientes. Ecclesiastici. 11. Si secutus fueris non apprehendes & non effugies si præcurreris. Seneca in libro de beneficiis, Gloria fugientes magis sequitur. & admirabantur &c. Tria sunt quæ admirantur mundani in electis, scilicet, Cõtemptum temparalium. vnde Ecclesiastici 31. Beatus qui post aurum nõ abiit, nec sperauit in pecunia & thesauris, &c. fecit mirabilia in vita sua. Humilitatem. Ecclesiastici 11. Et exaltauit caput à tribulatione: & mirati sunt in illo multi. Taciturnitatem, contra contumeliam. Matt. 27. Et non respõdit ei ad vllum verbum, ita vt miraretur præses vehementer. Bene omnia fecit &c. Gen. 1. vidit deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Hoc non videntur credere illi qui de operibus dei murmurant. Nec mulieres quæ formam si i à Deo datam, depingendo se mutant. Hieronymus de tali dicit, Qua fiducia erigit ad cœlos vultus, quos conditor non agnoscit?

Dominicæ decimætertiæ post trinitatem,

SERMO PRIMVS.

Beati oculi qui vident quæ vos videtis &c. Lucę 10.

In hoc euangelio primo nobis cõmendatur humilitas. Secũdo charitas. Tertio pietas. Humilitas, in hoc ꝙ discipuli quibus quasi paruulis dominus arcana sua reuelauerit, beatificantur. De qua reuelatione præmissum est in eodẽ capitulo. Charitas, in hoc ꝙ ostẽditur ꝙ per dilectionem dei & proximi ad vitã venitur, ibi, Hoc fac & viues. Pietas, in hoc ꝙ post parabolã de Samaritano qui

no qui erga spoliatum & vulneratum misericordia motus est, subditur, Vade, & tu fac similiter. Beati oculi: interiores & exteriores. Non solum nostri, sed omnium illorum qui vident quæ vos videtis: cognoscentes illa sacramenta, id est, sacra secreta quæ reuelantur paruulis. Matt. 11. & Lucæ 10. Multi prophetæ futura prædicentes, & reges, se & alios bene regentes, vel reges ad literam, voluerunt videre quæ, id est, qualia & qualiter vos videtis, scilicet me præsentem & miracula facientem, & audire quæ auditis, doctrinam scilicet ex ore meo: & non audierunt. Gl. Prophetæ & iusti à longe gloriam Dei cognouerunt: vel viderunt per speculum & in ænigmate: sed apostoli præsentes dominum habentes & ab eo quæ volebant interrogantes, non per angelos vel varias visionum species videbant. Et ecce quidam legisperitus. Ambrosius, Verba legis tenens, vim legis ignorans. Iste habebat litteræ peritiam: sed non spiritualem legis intelligentiam. Surrexit vt melius audiretur tentans illum. Cùm iste esset peritus in lege, præsumitur non ignorasse mandatum quo peruenitur ad salutem. Vnde non videtur interrogasse causa addiscendi quod nesciret: sed vt de scientia Christi experientiam sumeret. Quid faciendo vitam æternam possidebo? Chrysostomus, Non dixit quid credam. Prima iustitia est cognoscere deum. Nouissima facere opera. Ille respondens dixit. Diliges dominum deum tuum &c. Lucas tangit quatuor pertinentia ad modum diligendi deum. Deutero. 6. & Mat. 22. non ponuntur nisi tria. Et aliqui referunt quatuor, quæ ponit Lucas ad quatuor propter quæ deus est diligendus.

Est enim deus diligẽdus, quia creator dans esse: & conseruator conseruans in esse: & recreator dans bene esse: & glorificator dans optimũ esse. Verba tamen Deuteron. videntur pertinere ad illas tres vires quæ sunt, Rationabilis: Concupiscibilis: Irascibilis. Fortitudo enim quæ tertio loco ponitur ad irascibilem pertinet. Verba vero Mat. videntur pertinere ad illas tres vires, quæ sunt, Intellectus: Voluntas: & Memoria. Vnde mens, cuius est memorare, tertio loco ponitur. Lucæ 2. vtrumque videtur tangere, vt idem accipias per hoc quod dicit Lucas, Ex omnibus viribus tuis, & per hoc quòd dicitur in Deuterono. Ex tota

Vires quæ sunt.

fortitudine

fortitudine tua. Et notandum quòd secundum Grego. ista verba, Ex toto corde t. ponuntur ad inculcationẽ, vt sit sensus, Ex toto corde tuo, id est, ex toto te. Secuudum Augu. sic exponitur: Toto corde, id est, intellectu sine errore. Tota anima, id est, tota voluntate sine contradictione. Omni mente tua, id est, memoria sine obliuione. Secundũ Ber. sic exponitur, videlicet, Toto corde, id est sapienter. Tota anima, id est dulciter. Tota virtute, id est fortiter vel perseuerãter. Bern. Non abduci blandiciis, nec seduci falaciis, nec iniuriis frangi: toto corde, tota anima, tota virtute diligere est. Interlin. Disce amare dulciter, prudẽter, fortiter. Bern. Dulciter, ne illecti: prudẽter, ne decepti: fortiter, ne oppressi ab amore domini auertamur. Et proximum tuum sicut teipsum, id est ad quod teipsum, scilicet ad gratiam in præsenti, & gloriam in futuro: vel in quo teipsum, id est, in deo. Aug. in lib. de do. Christiana, Quisquis recte diligit proximum, hoc cum eo debet agere, vt etiã ipse toto corde, tota anima, tota mente diligat deum. Vel potest intelligi vt sit sensus, Hoc facias proximo, quod vis tibi fieri: quod autẽ non vis fieri, hoc ei non facias: vt duo præcepta iuris naturalis, quorum vnũ habes Mat. 7. aliud Tob. 4. sint expositiua huius mandati. Ysidorus, Duo sunt erga dilectionem proximi seruanda, scilicet, vt beneficij impensione foueatur, & nulla malicia lædatur. Recte respondisti: laudat responsionem non laudat factum. Hoc fac & viues. Secundum Glosam, In hoc ostendit quod per dilectionẽ solam venitur ad vitam æternam. Mat. 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Ille autem volens iustificare se ipsum, id est, iustum ostendere, dixit ad Iesum: & quis est meus proximus? Hoc quæsiuit, vt se iustum ostenderet. Si enim dominus responderet ei, Iudeus est proximus tuus: diceret se diligere omnem Iudęũ, & sic omnem proximum. Sed vere omnis homo proximus: sed Iudæus non reputat proximum nisi Iudæum. vnde illud Deutero. 23. Non fœnerabis proximo tuo, sed alieno, id est, gentili vel christiano. Poterat dominus breuiter respondere, Omnis homo proximus tuus est: sed maluit similitudinem proponere per quam ostenderet etiam inimicum esse proximum. Ille enim qui incidit in latrones, erat hierosolymita. Samaritani vero hierosolymitis erant inimici.

inimici. vnde, cum aliquæ gentes infestabant Iudæos, Samaritani adhærebant eis. Ostendendo ergo inimicum esse proximum, ostendit per cõsequens omnem hominem esse proximum. Suscipiens autem Iesus &c. Notandum quòd multis de causis aliquis in cœlum suspicit, scilicet. Aliquando ad ostensionẽ suæ infirmitatis. Opposita enim inuicem collata manifestiora fiunt: Iob. 35. Suspice in cœlum & intuere & contemplare æthera quòd altior te sit &c. Quandoque ad ostendendum quòd in aduersis in deo confidere debemus. vnde Daniel. 13. dicitur de Susanna, quòd flens suspexit ad cœlum: erat enim cor eius fiduciã habens in domino. Quandoque ad innuendum quòd bona à deo non à nobis habemus. Esaiæ 22. Non suspexisti is ad eum qui fecerat eam, &c. Hac de causa hic in cælum suspexit volens ostendere illud, Iohan. 8. Mea doctrina nõ est mea: sed eius qui misit me. Vel sic potest moraliter exponi hoc euangelium, videlicet, Homo quidam, scilicet, genus humanum descendebat: in Adam peccante. A Ierusalem, idest à cælestis beatitudinis pace & visione. In Ierico, idest in defectum huius vitæ mutabilis & erroneæ. Et incidit in latrones, idest in potestate dæmonum. Qui etiam despoliauerunt eum, vestem immortalitatis & innocentiæ auferendo. Et plagis peccatorum impositis, id est illatis, quibus humanæ naturæ integritas violatur: abierunt non ab insidiis cessando sed eas occultando. Semiuiuo relicto: quia & si immortalitas potest auferri, oculus tamẽ rationis homini remanet, quo deus potest cognosci. Accidit autem vt sacerdos, &c. Sacerdos & leuita pertransierunt: quia sacerdotium legis & eius ministerium peccata non curauerunt: sed solum ostenderunt. Vel sacerdos & leuita intelliguntur lex & prophetæ, quę hominem non sanauerunt sed peccata ostenderunt & repræhenderunt. Samaritanus dominus qui animas custodit iter faciens pro nobis enim homo factus est in mundo veniens secus eum, id est vulneratum: quòd in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Philippen. 2. Respexit eum oculo clementiæ. Misericordia motus est ex compassione. Et appropians miseratione. Alligans vulnera eius, quia redarguens peccata cohibuit. Infundens oleũ, spem veniæ pœnitentibus tribuendo: & vinum, terrorem incutiendo.

Et imponens illum in iumentum suum. Iumentum hic dicitur caro Christi, in qua peccata nostra portauit. 1. Petr. 2. Huic iumento sauciatum imposuit fidem incarnationis inspirando, duxit in stabulum, id est, in præsentem ecclesiam. Gloss. Non domum sed stabulum vocat: quo nomine miserias & fœtores huius vitæ sinat, ne homo in hoc exilio tanquam in patria gaudeat. Et curam eius egit: quia circa ægrotum sollicitus fuit. Et altera die, scilicet post resurrectionem quando splendor lucis æternæ magis effulsit, protulit duos denarios. Gloss. Duo testamenta quæ & nomen & imaginem æterni regis continent. Et dedit stabulario. Gloss. Apostolis sensum aperuit vt intelligerent scripturas. Curam illius habe, & quodcunque supererogaueris, &c. Supererogat qui prædicat, si ab eis quibus prædicat sumptus non accipiat. vt Paulus 1. Corinth. 9. Vel suberogat qui non solum præcepta, sed consilia implet. 1. Corinth. 7. De virginibus præceptum non habeo: consilium autem do. Cum rediero ad iudicium, reddam tibi. Matth. 25. In paucis fuisti fidelis, supra multa te constituam. Quis horum trium, &c. Qui fecit misericordiam, &c. Ambro. Cognitio non facit proximum: sed misericordia quia misericordia secundum naturam est. Nihil enim tam secundum naturam quam naturæ iuuare consortem. Vade & tu fac similiter, proximi necessitates subleuando: vt te proximum diligere sicut teipsum manifestes. Beati oculi qui vident quæ vos videtis, &c. Beati fuerunt illi qui Christum præsentem & miracula facientem oculis cordis & carnis simul viderunt. Et non solum beati fuerunt illi: sed etiam illi qui oculis veræ fidei eum vident. secundum illud Ioan. 20. Quia vidisti me Thoma, credidisti. Beati qui non viderunt, & crediderũt. & Luc. 1. Beata quæ credidisti. Magis beati sunt illi qui non solum habent fidem: sed etiam in scriptura sacra Dei voluntatem agnoscunt: vt sunt viri litterati. Baruch 4. Beati sumus Israel quia quæ bene placita sunt Deo manifesta sunt nobis. vnde in Psalmis dicitur de bono viro, In lege domini voluntas eius & in lege e.m. die ac. no. Prouerb. 3. Beatus homo qui inuenit sapientiam. Item magis beati sunt qui de prope Christum imitantur relictis omnibus eum sequentes: vt sunt viri religiosi. Ber. Beatus est, domine Iesu, qui te hominem inter

homines conuersantem diligenter obseruans pro viribus se præbet imitatorem tui. Beatissimi vero sunt qui Christum vident facie ad faciem. Ad quod potest referri illud 3. Reg. 10 Beati serui tui qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam, &c. Beati oculi qui vident, &c. Notandum quòd ecclesia militans in statu isto in quo nõ potest videre Christum oculis carnis: libenter debet eum aspicere oculis cordis, Tanquã speculum: & tanquam præmium: & tanquã suum meritum: & tanquam adiutorium: & tanquam suum remedium. De duobus primis dicit Ber. super Cant. Vtrunque es mihi domine Iesu, & speculũ patiendi, & præmium patienti: vtrunque fortiter prouocat ac vehementer accendit. Ipse est nobis speculũ videndi: ipse inquam, speciosus forma præ filiis hominum: speciosissimam enim formam viuendi tradidit nobis. Bernar. Quam formosum in forma mea te agnosco domine Iesu. Nõ solũ ob diuina quibus effulges miracula: sed etiam propter veritatem & mansuetudinem & iustitiã. Item de merito dicit Bernar. Meum meritum, miseratio domini. Non plane sum meriti inops: quandiu ille miserationum non fuerit. liquet illum errasse qui ait, Genes. 3. Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear. quia non erat de membris Christi, nec pertinebat ad eum de Christi merito vt suum præsumeret, suũ diceret quod esset illius. De adiutorio dicit Dauid, Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo. De remedio, Ioan. 3. Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, &c. Item sciendum quòd libenter & frequenter videnda sunt nobis oculis cordis, Credenda: Cauenda: Agenda: Timenda: Speranda. Nota quòd Credenda, sunt articuli fidei: Cauenda, peccata: Agenda, opera virtutum: Timenda, pœnæ futuræ: Speranda, gaudia æterna. Multi prophetæ & reges voluerunt videre, &c. Desiderium eorum in multis locis sacræ scripturæ exprimitur, scilicet Numer. 24. Orietur stella ex Iacob. & subditur, Heu quis victurus est quando illa faciet dominus? Esa. 63. Vtinam disrumperes cœlum, & descenderes. Cant. 8. Quis mihi det te fratrem meum &c. Aggæi. 2. Veniet desideratus cunctis gentibus.

Oculis cordis debet ecclesia Deũ aspicere.

Sermo secundus de eodem.

Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo,&c.

Id est ex te toto.Augu.Totum exigit te qui fecit te. Sed noli tristis esse quasi nihil vnde gaudeas remaneat: ex hoc enim diliges te quòd diligis deũ ex toto te. Item non dicas,Nunquid amabo proximum?proximus enim in deo diligendus est.Fons amoris debet nasci in alto;vt deus primo ametur, & inde amor ad alios deriuetur. Augu. in libro confessiõn. Beatus inquit qui amat te & amicos in te: & inimicos propter te: solus enim nullum charum amittit:cui omnes chari sunt in illo qui non amittitur.Ideo debes deum diligere ex toto te: quia fecit te totum: redemit te totum:glorificabit te totũ. Prouidet toti: & ad hoc monet te mundus totus.Augu. in libro confess.Domine, cœlum & terra & mare & omnia que in eis sunt dicunt mihi vndique vt amem te:nec cessant hoc dicere omnibus, vt sint inexcusabiles. Non amat deum ex se toto superbus vel amator vanæ gloriæ, qui puluerem vanæ gloriæ, quæ nihil est,deo præponit.Io.8.Si ego gloriam meam quæro: gloria mea nihil est.Nec voluptuosus, qui pro momentanea delectatione eum deserit. Grego. Momentaneum est quod delectat:æternum quod cruciat.Non auarus, qui pro nummo vel pro nihilo eum amittit:vt cum pro vendendis mercibus suis periurium incurrit, & quandoque eas non vendit.Prouer.x.Cor impiorum pro nihilo. Et notandum quòd deus vult diligi non solum affectu, sed etiam effectu.1.Ioan.5.Hæc est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus.Item,2.Ioan. Hæc est charitas Dei,vt ambulemus secundum mandata eius, Ioan. 14. Si quis diligit me, sermonem meum ser. Et specialiter vult seruari mandatum de dilectione proximi.Ioan.15. Hoc est præceptũ meum, vt diligatis inuicem, 1. Ioan. 4. hoc mandatum habemus vt qui diligit Deum,diligat & fratrem suum. Item notandum quòd toto corde siue intellectu Deum amat, qui intellectum suum in obsequium Christi captiuat & qui studium suum Christo dat:& ad Dei visionem ardenter anhelat.De primo legitur,2.Corinth.10.In captiuitatem re-

digentes omnem intellectum in obsequium Christi.

Et notandum quod quadruplex debet esse captiuatio in obsequium Christi. Prima vt in his quæ sunt fidei Deo obediamus. Hylarius, Soli Deo de se credendum est qui se solus nouit. Secunda est vt melius de proximo quam de nobis sentiamus. Seneca, Quod homines de aliis libenter de te apud te mala existima. Tertia vt sensum superioris nostri sensui nostro præferamus: quod maxime faciendũ est in religione. Ber. Lignũ sciẽtię boni & mali in paradiso est censura discretionis in conuersatione religionis penes patrem spiritualem, qui iudicat omnia & ipse à nemine iudicatur. Ipsius est discernere: aliorum est obedire. Quarta est vt circa nos intendentes ab aliis oculos auertamus. Ber. Temetipsum sollicite custodi, & vt temetipsum custodias, ab omnibus oculos auerte. Christo studium suum dat, qui ea quibus adiuuamur in deum, ab eis quibus impedimur sagaciter secernit, quod est prudentiæ, vt dicit August. Item, qui doctrinam nesciẽtem Christum fastidit. Bern. Si disputes aut conferas: non sapit mihi nisi sonuerit ibi Iesus. Item, qui in creaturis deũ intelligit. Aug. Væ illis qui diligunt nutus tuo pro te. Nutus tui sunt omne creaturarũ decus. Tota anima siue volũtate amat, qui perfectè obedit, quẽ nec timor mali trãsitorij, nec amor boni transitorij ab obedientia retrahit. Tota mente seu memoria deum diligit, qui ea quæ Deo displicent & ab amore eius impediunt; obliuioni tradit: vt sunt iniuriæ nobis illatæ, quæ dum cogitantur; sunt quasi ferrum in vulnere, quod vulneris sanationem impedit. Item, qui ea quę ad Dei pertinent honorem ad salutem animarum memoriæ infigit, & quem magnus amor Dei de alio quam de Deo cogitare non sinit. Sicut solet accidere fatuè amantibus qui non possunt obliuisci quod amant. Bern. super Cãt. O amor impetuose qui aliud præter te cogitare non sinis. Deus vult habere amorem cordis nostri integrum. Prouer. 24. Præbe fili mi cor tuum mihi.

Sermo tertius de eodem.

HOmo quidam descendebat ab Hierusalem in Iericо.

Homo

Homo iste figuram tenet peccatoris. Et sciendum quòd septem mala accidunt ei qui per mortale peccatum à Deo recedit: quæ hic nobis insinuantur. Primum est descensus vel potius deiectio. quod insinuatur ibi, Descẽdebat. Peccauit Adam, & à paradiso terrestri in hanc vallem miseriæ descendit: & qui dominus erat creaturarum, dominium in magna parte amisit: vt etiam minimis animalibus esset subiectus, vt pulicibus. Aug. Homo dicit tibi conuitium, & times, & iratus es: pulicibus resiste, vt dormias. Item, qui similis erat Deo: similis factus est iumento. In Psal. Homo cùm in honore esset non intellexit, cõparatus est, &c. Ber. Puto iumenta dicerent si loqui fas esset, Ecce Adam quasi vnus ex nobis. Descendunt etiam alij qui per mortale peccatum à Deo recedunt. Qui in statu gratiæ erant quasi ad portam paradisi: in statu mortalis culpæ sunt ad portam inferni. Inter portam & domũ non est nisi limen medium, & inter ipsos & infernum solum transuersum corporis videtur esse medium. Si enim sic decedant: quasi in puncto ad inferna perueniunt. Iob. 21. Ducunt in bonis dies suos: & in puncto ad inferna descendunt. Item, Cum omnia essent prius eorum: omnia enim tam prospera quam aduersa seruiebant eis, & ad bonum eorum erant secundum illud, Rom. 8. Scimus quoniam diligentibus Deum, omnia cooperãtur in bonum: peccando serui fiunt vitiorum. Augustin. Malus tot dominorum seruus est: quot viciorum. Bern. An non seruus cui dominatur iniquitas: & maxime nisi tu indignius iudices hominem tibi quam vicium dominari. Item, qui erat in statu in quo erat Deo similis, inferior fit animalibus brutis. cum sit dupplicis mortis debitor: temporalis, s. & æternæ. Bruta enim solum mortem temporalem debent: postea vero nihil mali sentient. Secundum est amissio pacis. quod insinuatur ibi, A Hierusalem, quæ interpretatur visio pacis. Ioan. 18. Hæc locutus sum vobis vt in me pacem habeatis. Quam cito recedit homo à Deo: habet bellum intestinum. Illa enim pars animę secundum quam est imago Dei agens vices Dei mouet homini bellum, remordendo eum. Ioan. 9. Quis restitit ei & pacem habuit. Tertium est mutabilitas: quæ insinuatur ibi, In Hierico. Interpretatur enim luna. Tren. 1. Peccatum peccauit Hierusalem: propterea instabilis

facta est.Esa.57.Impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest. Psalm. Non sic impij, non sic:sed tanquam puluis quem proiicit ventus à facie terræ. Quartum est quòd incidit in potestatem dæmonum.De quo ibi, Et incidit in latrones.Valde timendum est incidere in eorum manus:& mira insania est quòd aliquis audet obdormire in eorum potestate:cum sint nobis inimicissimi. Multum deberet aduertere qui vult à deo recedere, ad quem, si à deo recesserit,necesse habet ire.Iuxta verbum Petri, Io.6. Domine ad quem ibimus?Et non solum incidit in latrones,id est in potestatem latronum, qui mortaliter peccat: immo etiam transit in statum latronis,vt dignus sit infernali suspendio,vt iam funem quo suspendēdus est habeat in collo:qui prius erat filius dei & dignus cælesti regno. Funis quo aliquis suspenditur in inferno,est mortale peccatum.Quintum est dispoliatio.De quo ibi, Dispoliauerunt eū.Et notādum est,quòd qui peccat, spoliatur virtutibus quæ sunt animæ vestimēta & ornamēta.vnde Apoc. 16.Beatus qui custodit vestimēta sua, &c.Bonis operibus. Amittit enim omnia bona opera quæ fecit.Item,Bonis ecclesiæ quorum erat particeps dum erat in statu gratiæ.In Psalm.Particeps ego sum omnium timētium te, & custodientium mandata tua.Sextum est vulneratio:de qua ibi, Et plagis impositis.Et notādum quòd diabolus illi quem capit,oculos eruit:aures & nares præcidit:manus & pedes amputat:lumbos conuulnerat: latus confodit: viscera effundit. Quandoque oculum dextrum eruit: vt cum procurat quòd de æterna remuneratione non curet.1.Regum 11.Dixit Naas Amonites viris Iabes,In hoc feriam vobiscum pactum vt eruam vobis oculos dextros.Quandoque vterque oculus eruitur,cum nec deus diligitur: nec pœna timetur.Sansoni erutus fuit vterque oculus. Iudicum 16. Auris præciditur,cum obedientia deo vel prælato debita amittitur.Nares vero præscinduntur, cum discretio spiritualis subtrahitur.Ezechi.23. Præscident aures tuas & nares tuas. Manus amputātur cum exercitiū bonorum operum subtrahitur. Pedes amputantur cum stabilitas boni propositi & exitus à malo: vel progressus de bono in bonum præciditur.Pedibus enim stat aliquis aut progreditur.Iudicum 1.Comprehēderunt Adonibezech cæsis summitati

mitatibus manuum ac pedum ipsius. Lumbi conuulnerantur, cum aliquis ad peccatum carnis pronus efficitur. Iob 16. Conuulnerauit lumbos meos. Latus confoditur, cum amor terrenus admittitur. Numeri 33. Erunt tibi sicut claui in oculis: & quasi lanceæ in lateribus. Viscera effundũtur in cupidis & auaris, à quibus bona exteriora contẽptis interius æternis bonis, desiderantur. Ecclesiastici 10. dicitur de auaro, Proiecit in vita sua intima sua. Iob 16. Effudit in terram viscera mea. Septimum est mors nobilioris partis ipsius. Quod insinuatur ibi, Semiuiuo relicto. Signum huius mortis est priuatio sensus & motus. Damna enim maxima animæ non sentit, qui minima dãna corporis sentiret. Item, Quamuis in statu periculosissimo sit: tamen non potest se mouere inde, nisi dei virtute hoc fiat. Semiuiuus vel semimortuus potest dici peccator, vel quia vitam gratiæ perdidit, & vitam naturæ retinuit: vel propter mutabilitatem, secundum verbum Augu. in libro de Trinitate. Mutabilitas, inquit, non inconuenienter mortalitas dicitur. Vel propter subtractionẽ magnæ partis vitæ suæ. Continue enim aliqua pars vitæ suæ subtrahitur 2. Reg. 13. Omnes morimur. Non dicit moriemur. Homo quidam descendebat de Ierusalem in Ierico: & incidit in latrones. Latrones intelligũtur dæmones. Iob 19. Simul venerunt latrones eius, &c. Et notandum quòd diabolus in multis latroni assimilatur. Primo in hoc quòd dimittẽs vilia, præciosa rapit. Gen. 14. Da mihi animas: cætera tolle tibi. Secundo in hoc quòd lumen prædicationis & consilij odit: sciens illud Prouer. 24. Erit salus vbi multa consilia sunt. Ioh. Qui male agit, odit lucem. Tertio in hoc quòd cum non potest intrare vt furetur per vnum locum: alium ingressum quærit. vnde Diabolus tẽtans dominum in deserto, postquam per vicium gulæ eum deiicere non potuit, ad alia vicia se transtulit, tentans ipsum de ipsis: vt legitur Matth. 4. Quarto in hoc quòd cum debile ostium inuenit, impingit: cum forte, pertransit. Ostium forte est in illo qui habet firmum propositum vt diabolo resistat, & omne mortale peccatum caueat: & à tali recedit diabolus. Iaco. vlt. Resistite diabolo, & fugiet à vobis. Quinto in hoc quòd illum quem inuenit solum, inuadit. Solus est, qui à societate ecclesiæ est separatus. Cui multum est ti-

mendum. Ecclesiastes 4. Væ soli: quia si ceciderit, non habet sub leuantem se. Item, Notandum quòd multa sunt remedia contra latrones infernales. Primum est vt domum conscientiæ nostræ frequẽter scrutemur. Ber. Præter quotidianum orationis sacrificium, & lectionis studium, conscientiæ discussioni, compositioni, emundationi, pars sua dici neganda non est. Secundum est vt somnum pigriciæ caueamus. Lucæ 12. Si sciret paterfamilias qua ho. fur. ve. &c. Tertium est vt portam oris & fenestras sensuum diligenter custodiamus. Intrat enim mors per fenestras. Iere. 9. Et qui custodit os suum, custodit animam suam. Prouer. 13. Quartum est vt lumen sapientiæ habeamus. Odit enim latro infernalis hoc lumen. Iob 23. Cum subito apparuerit aurora, &c. Quintum est vt thesaurum nostrum in loco tuto reponamus, thesaurizando scilicet, in cælo. Matth. 6. Thesaurizate vobis thesauros in cælo: vbi nec erugo, &c. Et bona vestra commendando deo & sanctis, vt faciebat Dauid, dicens, In manus tuas commẽdo spiritum meum. Sextum est vt orando ad deum clamemus: clamor enim iste exterret latrones infernales. Matt. 26. Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem.

Sermo iiij. de eodem, ad prælatos ecclesiæ.

CVram illius habe, &c.

Quia parabola ista loquitur de cura: ideo de ipsa posset fieri sermo habentibus curam animarum. Et comprehenduntur quatuor genera personarum in hac parabola, scilicet Ille qui incidit in latrones: illi qui iuxta illũ transeuntes misericordia moti non sunt: Samaritanus qui super eum misericordia motus est: & ille cui in suo recessu curam cõmisit. Primus tenet figuram populi de quo cura habenda est. Sacerdos & leuita tenent figuram ministrorum synagogæ, qui in cura populi fuerunt negligentes. Samaritanus, qui interpretatur custos, significat Christum qui est custos ecclesiæ, Psalm. Nisi dominus custodierit ciuitatem, &c. Iste cui in recessu suo curam commisit, figuram tenet ministrorum ecclesiæ quos dominus curam à se inchoatam perficere voluit. Ministris vero ecclesiæ curam animarum habentibus, parabola ista ministrat

ſtrat materiam conſolationis,& materiam timoris.Materiam conſolationis miniſtrat,Primo in hoc quòd dominus curam habuit.De quo ibi,Curam illius egit. Secundo in hoc quòd curam commiſit,ibi,Curam illius habe.Tertio in hoc quòd ſupereroganti, præmium promiſit ibi, Quodcunque ſuperogaueris, &c. Materiam timoris tria miniſtrāt:Grauitas infirmitatis eius quem in cura habuit, De quo ibi,Abierunt ſemiuiuo relicto. Et quòd dominus iudicat anteceſſores negligentes fuiſſe in hac cura. Vbi dicit quòd ſacerdos & leuita pertranſierunt. Timendum enim eſt ne ſimile iudicet de multis modernis.Et diligentia Samaritani qui ita diligenter curam inchoauit.Dauid, Annunciate inter gentes ſtudia eius.Circa primum notandum quòd non ſolum Chriſtus curam habuit: ſed etiam egit.Propter hoc officium venit in mundum. In vita ſua huic officio intendit:& etiam in hoc mortuus eſt. Auguſtinus,Magna conſolatio membris ex capite. Non reputet igitur qui curam habet ſe ignominioſum habere officium.Magna enim eſt gloria ſequi dominum ſuum.Eccleſiaſtici 2‥Gaudeat tale officium ſe habere in mundo iſto: quale filius dei ibi habuit. Quanto glorioſius eſt deum imitari, quam diabolum: tanto glorioſius eſt curæ animarum intēdere,quàm litibus.Auguſtinus,Nihil ſimilius eſt actibus dæmonum quàm litigare.1.Corinth.6.Secularia iudicia ſi habueritis inter vos:contemptibiles qui ſunt in eccleſia illos cōſtituite ad iudicium. Curam habere eſt diuinū officiū.Sapiētiæ 12.Non eſt alius quam tu cui cura eſt de omnibus:ſed ſpecialiter de animabus. Eiuſdem 11. Parcis omnibus:quia tua ſunt domine qui amas animas. Circa ſecundum notandum quòd dominus curam commiſit.De officio aduocationis hoc non legimus.Ei qui ad curam debito modo accedit Deus curam committit. Accedit vero modo debito,quem non ingerit ſtulta & præſumptuoſa ſuperbia vel cupiditas cæca: ſed Chriſti amor & compaſſio proximi.Declinādus eſt locus ſuperior, Humiliter & prudenter.Humiliter Chriſti exemplo:qui licet eſſe ſufficientiſſimus,tamen fugit cum vellent eum facere regem.Iohan.6.Auguſt.Locus ſuperior ſine quo populus regi non poteſt:& ſi teneatur atque miniſtretur vt decet: indecenter tamen appetitur. Greg. Pollens virtutibus in-

uitus & coactus accedat ad regimen animarum. Prudenter: quia locus est periculosus. August. Quanto quis in loco superiori, tanto in periculo maiori versatur. Superbia illum ad curam incitat: qui ibi quærit excellentiã propter se. Superbia enim est amor propriæ excellentiæ. Superbia omnis stulta est, vt ait Bernard. licet non omnis stulticiã sit superbia. Præsumptio indubitanter est si vita desit vel scientia. Aug. Prius vide si nosti diligere teipsum, & committo tibi proximum sicut teipsum. Si vero non nouisti diligere te: timeo ne decipias proximum sicut te: quia qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Qui nũquam audiuit de arte medecinali, qua temeritate præsumit mederi? Si vero adsit vita & competens scientia, & sequatur dei vocatio, vt præsentetur ab illo ad quem pertinet, & incuretur ab illo qui locum dei tenet, nec interuenit pecunia, nec preces carnales vel violentia: amore dei curam dei suscipere debet. Hoc enim dominus à Petro petiit post trinam interrogationem factam de amore. August. Ocium sanctum querit charitas veritatis. Negociũ sanctum suscipit necessitas charitatis. Mouere etiam debet eum ad hoc compassio proximi exemplo Samaritani, qui videns vulneratum, misericordia motus est. Si hæc duo aliquem introducant: deus ei curam committit. Si vero præceptum ecclesiæ addatur: tunc trahit eum triplex funiculus, cui nõ debet nec potest resistere. Tunc non debet resignationem querere. Matth. 19. Quod deus coniunxit, homo non separet. Bernard. in epistolis loquens cuidam, Congratularis, inquit, tibi quòd exoneratus sis: sed vereor ne deus à te exoneratus sit, cuius proculdubio ordinationi resistis, dũ promotus ab illo, tu à te deiiceris. Circa tertiũ notandum quòd quantumcunque aliquis videatur excedere pro laborãdo vel expendendo pro salute animarum, licet etiam non proficiat: non est ei timendum: fidelis enim est deus qui promisit, Quodcũque supererogaueris, &c. Sicut qui ministrant ægris corpore multa præparant, de quibus infirmi non gustant, tamen ille pro quo faciunt Christus, scilicet, soluet eis ac si inde gustarent: Sic accidit in his qui laborant pro salute animarum. Retribuet enim eis saluator, licet ipsi non proficiant. Et sciendum est quòd cum vna anima omnibus creaturis corporalibus præ-

ualeat,

ualeat,plus esset laborandum pro vnica anima vt salua fieret,quàm laboretur pro omnibus quæ saluari possunt. Circa primum illorum trium quæ habentibus curam materiã timoris ministrant,notandum quòd quatuor dicuntur de illo qui incidit in latrones, quæ habentes curam animarũ circa maiorem partem subditorum suorum inueniunt. Quorum primum est dispoliatio.Peccanti enim mortaliter,nullum verum bonum remanet.Seneca, Nihil est homini bonum sine se bono. Oseæ 4. Proiecit Israel bonum. Secundum est plagarum illatio : & non vnius plagæ tantum.Esayæ 1. A planta pedis vsque ad verticem capitis nõ est in eo sanitas. Tertium est quòd ibi relictus est. Non potuit enim inde recedere.Licet peccator agnoscat se esse in luto immundiciæ, & licet gladium diuinæ iusticiæ videat euaginatum super se,& licet sciat se reputari fatuum & infelicem propter peccatum suum:tamen non potest se inde remouere.Exo.15.fiant immobiles quasi lapis.Quartum est quòd semiuiuus vel semimortuus relictus est:viuus corpore, mortuus corde: vix tangeret eum pulex ex parte carnis,quin sentiret:ex parte vero animæ nec damna nec vulnera sentit.Prou.23. Verberauerunt me, & non dolui:traxerunt me,& ego non sensi.Non solum semimortui sunt multi:sed etiam plusquam in decem partibus suis mortui:cùm iam plusquam decem partes vitæ suæ amiserint. Seneca in epistolis, Quem dabis mihi qui aliquod precium tempori imponat:qui intelligat se quotidie mori.In hoc omnes fallimur,quòd mortem nõ prospicimus. Magna pars enim iam præteriit:quicquid ætatis retro est, mors tenet. Circa secundum notandum, quòd multis habentibus curam animarum, timendum ne Christus iudicet eos similes ministris synagogę,scilicet sine misericordia:& circa salutem animarum negligentissimos.Ber. Cadit asina,& est qui subleuet:petit anima,& non est qui recogitet.

Circa diligentiam Samaritani decem attende: Primo aspectum.De quo ibi,Et videns eum. Exemplo illius considerare debet sacerdos populum sibi subditũ.Ioh.10. Cognosco oues meas.Prou.12.Nouit iustus animas iumentorum suorum:viscera autem impiorum crudelia.Si vero sacerdos diligenter consideret subditos suos, videbit alios

adeo

adeo per superbiam inflatos, vt visum amiserint. Augu. in libro confessionum. Nimis inflata facies claudebat oculos meos: alios videbit veneno serpentis infernalis, scilicet inuidia, corruptos. Prouerb. 14. Putredo ossiũ inuidia: alios ira & impatientia quasi fræneticos, vt se & familiam eius & etiam patrem cœlestem ore dilacerent: alios accidia languentes, etiam ad pascendum se impotentes: alios squinantia laborantes: alios euisceratos, Iudæ similes, qui suspensus crepuit medius: & diffusa sunt omnia viscera eius. Actuum. 1. Alios, vero in lumbis vulneratos: &, vt vno verbo comprehendam, maiorem partem eorum videbis decapitatam, id est à Christo capite per mortale separatã. August. Sunt ne in te viscera, christiane, compassionis, qui plangis corpus à quo recessit anima, & non plangis animam à qua recessit deus. Secundum est misericordia. de quo ibi, Misericordia motus est. Visionem sequitur misericordia seu compassio. Luc. 19. Si cognouisses & tu, supple, fleres: visus & lachrymę ad idem membrum pertinent, scilicet ad oculos. Oculus ecclesiæ tenerior & compassibilior deberet esse ceteris membris: sed oculus in calcaneũ versus est quantum ad duriciem. Nec mirum: cùm nõ minus calcaneo terram tangat per sollicitudinem & amorem. Tertium est appropiatio: ibi, Et appropians, &c. Econtra tunc aliqui elongant se cùm curam cœperunt: cùm tanta infirmitas, & tot infirmorum, indubitanter requirat medici præsentiam. Seneca, Tantum habes negocij, quãtum medicus in pestilentia. Quartum est olei effusio, quę est diuinæ misericordiæ ostensio: quæ spem erigit. Quintum est vini infusio, quæ est ostensio eorum quæ timorem incutiunt: vt sunt pœnæ infernales. Esaiæ 26. A timore tuo domine, concepimus & quasi parturiuimus, & pepetimus spiritum salutis. Prouerb. 1. Timor domini principium sapientiæ. Ecclesiastici. 1. Timor domini ex. pec. Sextum est vulnerum alligatio, ad fluxum sanguinis restringendum. Alligatio si sit nimis stricta, læsionem facit. Si nimis laxa, fluxum non restringit: sed medium tenuere beati. Repræhensibiles sunt qui nimijs pœnitentiis onerant homines, iuxta verbum domini, Matt. 23. Alligant enim onera grauia &c. cum tamen dictum sit Apostolis de Lazaro, Soluite eum, & sinite abire. Iohan. 11. Multi sic onerant eos, quòd

quòd quasi non possunt abire. Septimum est quòd imposuit eum super iumentum suum. Eius qui habet curam, est subditos portare, non ab eis portari. Exemplo Christi, qui peccata hominum portauit in corpore suo super lignum. 1.Petr.2.& 1.Regu.15. Nunc quæso porta peccatum meum. & Leuitici.10. Vt portetis iniquitatem multitudinis, & rogetis pro ea in conspectu dei. Ber. Quid iugum vestrum super illos aggrauatis: quorum onera potius portare debetis &c. Octauum quòd de loco vbi fuerat vulneratus eũ remouit. In quo insinuatur quòd expedit ad sanationem spiritualem mutare locum in quo infirmitatem spiritualem incurrit: vel clericis valde expedit ire ad scholas: vel intrare religionem bene ordinatam. Hierem. 41. Sterilis fuit Moab ab adolescentia sua: requieuit in fecibus suis: non est transfusus de vase in vas &c. Nonum est quòd recessurus, curam ipsius alteri commisit. Non sic faciũt multi, qui si vocantur ad aliud beneficium maius, volunt retinere minus quod prius habebant. Quod tenent non potest auelli ab eis, sicut nec ab homine qui submergitur. Ber. Quibus assimilabimus homines generationis huius: aut comparabimus illos quos videmus à terrenis & corporalibus auelli separarique non posse? Profecto similes sunt his qui submersi periclitantur in aquis, quos nimirũ videmus tenentes tenere: nec vlla ratione deserere quicquid manibus occurrerit. Decimum est quòd illi cui curam commisit dedit duos denarios: per quos duo testamenta significantur, secundum glossam, in quibus æterni regis nomen & imago cõtinetur. In quo insinuatur quòd habenti curam specialiter est necessaria noticia sacræ scripturæ. Oculo ecclesiæ multum est necessarium lumen sapientiæ. Oculus corporis sine lumine esset quasi inutilis. Sic est de oculo ecclesiæ. Medico spirituali necessaria est noticia spiritualis medicinæ. Nec sufficit ei quòd sciat cãtare vel legere. Quid ad infirmum de cantu medici? Accidit vt sacerdos quidam descenderet eadem via. Et notandum quòd episcopi & archidiaconi & alij qui sunt in sacris ordinibus constituti, sicut præcellunt honore, sic debent præcellere vitæ sanctitate. Sed hodie pro magna parte in eisdem vicijs inueniuntur in quibus subditi. Vnde hic habetur, quòd eadem via descẽdebant sacerdos & leuita,

ſus de monte,ſecutæ ſunt eum turbæ multæ:& ecce leproſus &c.Require dominica 2.poſt octa.epiphaniæ. Decem vero fuerunt,qui à lepra mundati ſunt:per quos decalogi tranſgreſſores ſignificantur. Si vis loqui de, præceptis decalogi,require de hoc in ſermone illo epiſtolarum Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones &c. Circa tertium notandum quòd modus curationis iſtorum leproſorum oſtendit nobis modum quo curanda eſt lepra peccati. Leproſi iſti crediderunt.Vnde dominus dixit redeunti ad ſe, Fides tua te ſaluum fecit.Item à longe ſteterunt:vocem leuauerunt: & ſaluatori dicenti,Ite,obedierunt.Et in his commendantur nobis quatuor quæ multum valent ad emundationem lepræ ſpiritualis. Primum eſt fides,ſine qua impoſſibile eſt placere deo.Hebre.11.Fides oſtendit peccatori diſtrictam dei iuſticiam, quæ in Pſalmis, furor dicitur, Domine ne in furore tuo arguas me.Cõſiderata ante hac iuſticia peccator confugit ad ſaluatoris miſericordiam. Sic & iſti leproſi dicentes Ieſu præceptor miſerere noſtri. Secundum eſt humilitas, quæ commendatur nobis in hoc quòd leproſi de longe ſtant.Quæ humilitas multũ valet ad emũdationem lepræ ſpiritualis:ſicut oſtendit Dauid, qui hoc expertus fuerat in ſe dicens, Cor contritum & humiliatũ deus non reſpicies.Item, Reſpexit in orationem humiliũ &c.Leproſi ad literam elongare ſe deberent à ſanis: quia lepra morbus eſt infectiuus.Tertium eſt magnitudo deſiderij quæ commendatur in eleuatione vocis. Vocem leuat qui deſiderium ſuum eleuat:vt deſideret ſpiritualia,ſicut prius deſiderabat terrena.Aug. O ſi poſſemus homines excitare & cum illis pariter excitari, vt tales eſſemus amatores vitæ permanentis, quales ſunt illi amatores vitę fugientis.Si homines tantum deſiderarent mundari à lepra ſpirituali,quantum deſiderant mundari à carnali:cito eſſent mundati.Sed qui facerent valde difficilia pro mundatione lepræ corporalis: minima etiam nolunt facere pro mundatione lepræ ſpiritualis.4.Reg.4.Si grandem rẽ dixiſſet tibi propheta, certe facere debueras: quanto magis quia dixit tibi Lauare,& mundaberis?Item, Qui nullo modo poteſt induci ad ea quæ eſſent occaſio lepræ ſibi corporalis, vt eſt cohabitatio leproſorum: non poteſt cohiberi à cohabitationibus & occaſionibus lepræ ſpiritualis,

tualis, libentius enim habitat cum leprosis spiritualiter, quam cum sanis. Ideo dominus non exaudit aliquos, quia modicum habent desideriũ eorum quę petunt. vnde Aug. Seruat tibi deus quod nõ vult cito dare: vt & tu discas magna magnè desiderare. Magnitudo desiderij clamor est cordis, quem deus exaudit. Psalmus, Desiderium pauperũ exaudit dominus. Hoc clamore clamauit Moyses, Exo. 14. quid clamas ad me? Psalmus, Clamauerunt iusti & d. ex. e. Quartum est obedientia. Dixit dominus leprosis vt irent ad sacerdotes: & dum irent, mundati sunt. Hæreticus nunquam mundatúr qui nunquam vult ire ad sacerdotem, dicens laicum sibi sufficere. In hoc quòd mundantur priusquam ad sacerdotes veniant, insinuatur quòd peccatori pænitenti de peccatis & proponenti confiteri, remittuntur peccata ante confessionem. vnde Dauid, Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam: & tu remisisti impietatem peccati mei. Quid ergò timet peccator qui cum bono proposito venit ad sacerdotem, vt ei cõfiteatur, cum iam peccata eius ab eo recesserint. Non est discretus sacerdos, si eum vt peccatorem despicit: cum iam mundatus sit. Circa quartum notandum quòd ille vnicus qui ad saluatorẽ rediit, Samaritanus erat, quod interpretatur custos: & tenet figuram illorum qui salutem animarum à saluatore receptam custodiunt. Et commendantur nobis in eo quatuor quæ multum valent ad salutis conseruationem. Quorum primum est vsus fidei. Ephe. 6. In omnibus sumentes scutum fidei, &c. Frequenter debet aspicere ad lumen fidei pœnitens, beneficium remissionis peccatorum suorum: quod valde magnum est. Cum pro vnico mortali homo debitor sit mortis æternæ: si pro remissione vnius mortalis seruiret Deo centum annis, nón esset hoc nimis. Si esset debitor mortis temporalis quæ est momentanea: libenter seruiret quandiu viueret, ei qui ab ea eum liberaret. Sed quidam lumen fidei proiiciunt post tergum suum: & ideo merito in foueam peccati & inferni corruunt: Prouerb. 4. Via impiorum tenebrosa: nesciunt vbi corruant. Secũdum est velocitas vel viuacitas. Prouer. 22. Vidisti hominem, velocem in opere suo? coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles. Ecclesiastici 31. In operibus tuis esto velox: & omnis infirmitas non occurret tibi.

Pigritia

Pigritia multis est occasio cadendi, vt illis qui tantum dimittunt stillicidium malæ cogitationis cadere super oculum cordis, præ pigritia vertendi oculos ad aliud: cogitandum quòd oculus corrumpitur: vel si ignis infernalis, scilicet ignis praui desiderij super pedem affectus ceciderit, permittunt pedem comburi præ pigritia excutiendi ignem illum. Tertium est gratitudo. Bernard. Ad locum vnde exeunt flumina gratiarū reuertantur vt iterū fluant. Qui gratus est Deo de beneficio collationis: dignus est vt addatur beneficium conseruationis. Econuerso, Non est dignus dandis: qui non agit grates de datis. August. Quod dederat Deus gratis tulit ingratis. Bernard. Ingratitudo est ventus vrens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ. Quartum est vitatio occasionum peccandi. Genes. 19. Ne stes in omni circa regione, Ecclesiast. 21. Quasi à facie colubri fuge peccata: & si accesseris ad illa, suscipient te. Ista quattuor insinuantur nobis in his quæ dicuntur samaritano. Primum, scilicet aspectus fidei, ibi, Vidit quia mundatus est. Secundum, scilicet fidei viuacitas vel velocitas, ibi, Vt vidit, &c. Tertiū, scilicet gratitudo, ibi, Reuersus est magnificās, &c. Quartum, ibi, Et hic erat alienigena. Habent indigenæ multas occasiones peccandi, quas non habent alienigenæ. Amici enim carnales sunt multis occasio peccandi: vel alia familiaritas. Valet etiam ad hoc quòd aliquis non recidiuet: quòd se alienigenam reputet, sicut Dauid, dicens, Incola ego sum apud te. & peregrinus. Deuteron. 10. Deus amat peregrinum, &c. Qui est filius Dei per gratiam, debet dicere cum Dauid, Quid enim mihi est in cœlo: & à te quid volui super terram? Contemnere debet hoc exilium plenum miseria quod ad eum pertinet ratione matris suæ Euæ: comparatione regni, quod ad eum pertinet ratione patris cœlestis. 1. Ioan. 5. Scimus quia omnis qui natus est ex Deo non peccat: sed generatio Dei conseruat eum. In hoc quòd vnicus gratus est datori salutis, cum nouem sint ingrati, insinuatur quòd peccatum ingratitudinis multum abundat. vnde Esaiæ 57. Vitam manus tuæ inuenisti, propterea non rogasti. Gregor. Qui fœlicitatem quæsitam in terris inuenit: auctorem qui eam tribuit non requirit.

Sermo secundus de eodem.

ITe, ostendite vos sacerdotibus.

Notandum quòd quattuor modis legimus lepram corporaliter mundatam fuisse, videlicet, Ablutione aquæ: vt Naaman, 4. Reg. 5. Lauare inquit septies in Iordane, &c. Ostensione sacerdoti: de quo hic habetur. Tactu manus domini, Matt. 8. Extendens manum suam tetigit eum. Manuũ occultatione. Exod. 4. Et possunt referri ista ad quattuor quæ valent ad mundationem lepræ spiritualis. Primum pertinet ad dolorem contritionis. In aquis enim lachrymarum septies debet se lauare: qui spiritualiter est leprosus, vt deploret septem criminalia peccata quæ cõmisit. Secundum pertinet ad erubescẽtiam confessionis. Tertium ad modestiam satisfactionis. Dominus enim spiritualiter leprosum tangit, cum infirmitatem ei tribuit: vel cum ministerio sacerdotis ei pœnam imponit. Sed quia hæc possunt fieri ad ostentationem, & tunc non vere curatur lepra: ideo manus occultatio est necessaria vt quãtum in se est, opera bona velit latere. Et hic erat Samaritanus. Samaritanus, vt prius dictum est, interprætatur custos: & figuram hic tenet illorum qui salutẽ à Deo acceptam custodiũnt. Poeta, Non minor est virtus quã quærere, parta tueri. Et notandum quòd tria leguntur de Samaritanis vel de Samaritano in euangelio, quæ valent ad hanc custodiam. Legitur enim Ioan. 4. quòd exierunt de ciuitate sua ad saluatorem, & rogauerunt eum vt apud eos maneret: & mansit apud eos duobus diebus. Lucæ 12. De Samaritano quòd super vulneratum & spoliatum misericordia motus est: & hic de Samaritano mundato quòd rediit ad saluatorem regratiandum: notandum est quòd in primo commendatur nobis bonorum familiaritas quæ multum valet ad sanitatis spiritualis conseruationem. Prouerb. 13. Qui cum sapientibus graditur sapiens erit, &c. In secũdo commendatur misericordia quæ multum valet ad idem. Ecclesiastici 29. Conclude eleemosinam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. In eodem dicitur de eleemosina. Gratiam eius quasi pupillam conseruabit. In tertio gratiarum actio, quæ multum valet ad idem. Psalmus, Fortitudinem meam ad te custodiam.

Sermo tertius de eodem ad Religiosos.

CVm ingrederetur Iesus quoddam castellum occurrerunt ei decem viri leprosi.

Per hoc castellum quod erat inter galileam & Hierusalem, figuratur religio quæ media est inter mundum & paradisum : vbi paupertas fossatum est, cuius profunditas multum facit ad huius castelli fortitudinem. Huius ergo castelli fossatum est paupertas : murus est patientia. Turris est humilitas ; quæ latet mundanis non recte intuentibus. Econuerso vero est, de superbia. Quod enim altum est apud homines, abominatio est apud deum. Luc. 16. Sed de multis religionibus verum est illud Abacuch 1. Super omnem munitionem ridebit & comportabit aggerem ; & capiet eam. Agger comportatur cum temporalia multiplicantur. Apocal. 12. Draco post mulierem fugientem in solitudine misit aquam tanquam flumen, i. abundantiá temporalium: vt faceret eam trahi à flumine. Et nota quòd in religione multiplex lepra inuenitur. Prima est lepra symoniæ. hæc est lepra Giezi. 4. Regum. 5. Secunda est, peccatum proprietatis hoc est lepra Naaman, de qua legitur in eodem, quòd erat diues, sed leprosus. Proprietarij & si sint diuites: tamen leprosi. Tertia est peccatum inobedientiæ. hæc est lepra Simonis qui iudicabat saluatorem de familiaritate peccatricis. Lu. 7. Et inobedientes consueuerunt iudicare prælatos suos. Quarta est peccatū superbiæ. Hæc est lepra Oziæ regis. 2. Paralipo. 26. Secundum Bern. Lepra superbiæ septempliciter occupauit religiones, videlicet Primo quantum ad amplitudinem possessionum & ædificiorum. Secundo quantum ad gloriam vestium & similium. Tertiò quantum ad voluptatem corporum. Item duę sunt species lepræ in ore, s. Iactantia in prosperis: Verbum impatientiæ in aduersis. Duæ sunt in corde, s. Propria voluntas: & proprium consilium. Et vtraque lepra nimis pessima, eo quòd perniciosior est quo magis occulta. Et quanto plus habundat : tanto sibi sanior esse quisque videtur. Hæc illorum est qui dei zelum habent, sed non secundum

scientiam, sequentes errorem suum & obstinati ab eo: ita vt nulli velint consiliis quiescere. Hi sunt vt dicit beatus Bernardus, Vnitatis diuisores: inimici pacis: charitatis expertes: vanitate tumentes: sibi placentes: magni in oculis suis: ignorantes Dei iusticiam, & suam volentes constituere. Quinta lepra est, lepra Mariæ sororis Moysi: lepra, in quam inuidiæ & murmurationis: illa enim murmurauit contra Moysen, vt legitur Numer. 12. Sexta est lepra inanis gloriæ. Hæc est lepra manus Moysi. Exod. 4. Quæ in sinu munda fuit: extracta apparuit leprosa. Sic dum bonũ opus manifestatur: aliquando lepra contrahitur. Ideo dicitur Matth. 5. Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. Septima lepra est carnalitatis. Hæc est lepra quæ curatur manus domini tactu. Matth. 8. Manu domini ille tangitur, cui à domino infirmitas vel alia pœna infligitur. Ad carnalitatem vero quatuor pertinent, scilicet Peccatum gulæ, ocium, luxuria, & carnalis amicitia seu familiaritas. Et hæ quatuor species lepræ possunt designari in quatuor leprosis, qui sedebant in porta Samariæ. 4. Reg. 7. His enim viciis frequenter infecti sunt illi, in quorum potestate ingressus religionis est.

Dominica xv. post trinitatem

SERMO PRIMVS.

NEmo potest duobus dominis seruire. Matth. 6.

In hoc euangelio intendit dominus inducere nos in contemptum bonorum temporalium, & amorem bonorum spiritualium. Primo ostendit amorem temporalium impedire amorem spiritualium, ibi, Nemo potest duobus dominis seruire. Secundo admonet solicitudinẽ de necessariis corpori quæ solet esse occasio amandi temporalia ibi, Ideo dico vobis ne solliciti sitis. Tertio ostendit, vnde speranda sunt necessaria corpori ibi, Respicite volatilia cœli. Quarto monet vt bona spiritualia quæramus faciens promissionem de temporalibus ad iiciendis,

ciendis,ibi,Quærite primum regnum Dei,&c.Nemo potest duobus dominis seruire. Domini quibus nemo potest seruire sunt, Deus & diabolus. Triplici vero ratione non potest aliquis seruire.Primo propter sublimitatẽ. Secũdo propter alterius vilitatem. Tertio propter voluntatũ contrarietatem. Interdum habent multi vnum seruientẽ propter eorum paupertatem quia nullus eorum sufficeret ei prouidere:Sed nobiles & diuites dedignantur habere aliquem socium in seruientibus suis. Sic Deus non vult habere diabolum socium in seruiente suo, 2.Corinth.6. Quæ conuentio Christi ad belial.Præterea,diabolus à Deo vilis dominus est, vt primum seruitium quod aliquis ei facit reddat eum indignum seruire Deo: Ecclesiastici 13. Quæ communicatio homini sancto ad canem? Sic indignum est vt qui diabolo seruiuit,ad Dei seruiciũ recipiatur: nisi prius per gratiam renouetur. Volũtates etiam Dei & diaboli multum sunt contrariæ. Deus enim lucem inhabitat & amat,& ad lumen sapiẽtiæ vult sibi seruiri. vnde 1. Tim. vltim. dicitur de eo quòd lucem habitat inaccessibilem. Prouer.14. Acceptus est regi minister intelligens. Sapiẽ.7. Neminem diligit Deus nisi qui cum sapientia inhabitat. Diabolus vero in tenebris vult sibi seruiri lucem habens odio, Ioan.3. Qui male agit odit lucem.Ipse cum assumit aliquos ad suum seruicium, dicit eis quod dixit Naas Iaboitis,1.Reg.11.In hoc feriam vobiscum pactum vt eruam vobis oculos dextros. Item,Deus vult sibi seruiri in puritate.Ipse enim pascitur inter lilia.Cantic.2. & in Psalmis, Ambulans in via immaculata,hic mihi mi.Et 1.Timoth.3. Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra. Diabolus vero vult sibi seruiri in spurcitia, vndẽ petit se mitti in porcos, Matth.8.Ipse habitat in locis humentibus.Iob 11. In aridis requiem non inuenit, Matth. 12. Deus vero in altissimis habitat vbi est magna mundicia. Ecclesiast. 24. Ego in altissimis habito. Item, Deus vult habere seruientes humiles. Psalmus,Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam.Diabolus vero vult superbos. Ipse enim est rex super omnes filios superbiæ.Iob 41.Greg. Euidentissimum signum reproborũ est superbia: humilitas electorũ. Cum ergo quã quisque habeat cognoscitur: sub quo rege militet inuenitur.Itẽ,Deus vult habere ministros honeste

indutos: quod figuratũ est in ministris Salomonis 3. Reg. 10. & 2. Paralipom. 9. & Prouer. vlti. dicitur de muliere forti quòd omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus. Diabolus vero vult habere ministros dehonestatos: ita quòd posteriora eorum hominibus appareant, sicut figuratum est 2. Regum 10. vbi rex filiorum Amon seruis Dauid vestes præcidit vsque ad nates. Vestes vsque ad nates præcisæ sunt, ita quòd apparent pudibunda: quando peccata aliquorum carnalia hominibus sunt nota. Item, Deus vult habere ministros concordes: ipse enim inhabitare facit vnius moris in domo. Iob 25. Qui facit concordiam in sublimibus. Diabolus vero vult habere seruientes discordes. Matth. 12. Qui non colligit mecum, dispergit. Item Diabolus vult seruos suos congregare ista transitoria. Exod. 5. Dispersus est populus per Ægyptum, ad congregandas paleas. Deus vero vult seruientes suos dispergera. Secundum illud, Dispersit, dedit pauperibus. Matth. 19. Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, &c. Præterea Deus & diabolus volunt habere seruientes suos omni tempore: & ideo indubitanter nemo potest illis seruire. Ierem. 16. Seruietis diis alienis, qui non dabunt vobis requiem die ac nocte Luc. 1. Seruiamus illi in sanctitate & iusticia coram ipso omnibus diebus nostris. Nemo potest duobus do. ser. Notandum quòd necesse habet homo deo seruire, licet aliqui fatui credant se sine domino esse posse. Iob 11. Vir vanus in superbiam erigitur: & quasi pullum onagri se liberum natum putat. Debet homo seruicium deo ratione creationis. Bernard. Etiam infidelem vrget naturalis iusticia se totum tradere illi à quo se totum habet. Redemptionis. 1. Cor. 6. Empti estis precio magno, &c. Cum igitur nō possit homo duobus dominis seruire: & necesse habeat alicui domino seruire: beatus est ille qui deum ad seruiendum eligit. Psalm. Beatus populus cuius est dominus deus eius. Dauid, Mihi autem adherere deo, bonum est. Et possunt sex causæ assignari quare beatus est qui deum pro domino elegit. Quarum prima est: quia qui non habet dominum deum, habet pessimum dominum, scilicet, diabolum. Quæ ratio insinuatur Ioh. 6. Vbi cum dominus diceret apostolis: Nũquid & vos vultis abire? Respondit Petrus, Domine, ad

quem

quem ibimus? Profectò si ab eo recessissent in seruitutem diaboli transissent. Hoc cogitare debet qui per mortale vult à Deo recedere. Secunda causa est quia dominus iste nobilissimus est vt nulli dedecus sit ei seruire. Seruire enim ei, regnare est. Si seruiens regis terreni par est comiti, vt vulgariter dicitur: seruiens regis æterni maior est rege terreno. Tertia ratio est quòd dominus iste benignus est, præceptor, præcipiens, scilicet, leuia, honesta, & seruienti vtilia. vnde Matth. 11. Iugũ meum suaue est: & onus meum leue. Et 1. Ioh. 5. Et mandata eius grauia non sunt. Psalm. Bonorum meorum non eges. Quarta ratio est: quia dominus iste fortissimus est protector. Psalm. Dominus protector vitæ meæ: à quo tre. &c. Quinta est quòd ipse est liberalissimus remunerator. Genes. 15. Noli timere Abraham, ego protector tuus fortis, & merces tua magna nimis, &c. Illi qui nec villulam vnam possunt lucrari cum aliis dominis, cum isto domino lucrari possunt regnum æternum. Benignitatem eius innuit Petrus, Ioh. 6. dicens, Et nos credimus & cognouimus, quia tu es Christus filius dei viui. Christus interpretatur vnctus: vnde in hoc intelligitur eius benignitas. In hoc vero quòd dicitur filius dei, est nobilitas. Sexta causa est: quia dominus iste est sapientissimus gubernator. Nihil autem tãtum expedit stulto vt seruire sapienti vt dicit Ber. Item notandum quòd nullus debet diabolum eligere pro domino, multiplici ratione. Primo quia inimicus noster est. Ber. in persona domini, Quid causæ est quòd inimico meo vestroque libet potius seruire quàm mihi? Non ille vos pascit: non creauit. Si parua hæc videntur gratis vos non ille sed ego redemi. Non auro vel argento: non sole vel luna: non aliquo angelorum: sed proprio sanguine. Si nec tam multiplici iure elicere est à nobis debitum famulatum: saltem obtemperate illi: quia plura pollicetur. Offert nunc dona gratiæ, futuris muneribus gloriæ cumulanda. Secundo quia implacabilis est eius amicitia. Greg. Stultum est seruire diabolo offenso, qui nullo placatur obsequio. Tertio quia grauis est exactor, scilicet, graui onere laborum & seruitiorum opprimens. Vnde significatus est per Pharaonem opprimentem filios Israel, laborantes in luto & latere & palea. Exo. 1. De hac oppressione habetur Sapié. 5.

Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis: & ambulauimus vias difficiles. Et sicut filiis Israel præpositi sunt qui eos affligerent dicẽtes, Complete opus vestrum quotidie: sic tyranni & prælati mali se habent ad subditos. Ierem. 1. Grex perditus populus meus pastores seduxerunt eos. & post, Grex dispersus Israel leones eiecerunt eos. Vel singula vicia possunt intelligi afflictores isti. Quarto quia diabolus est dominus litigiosus. Non vult seruum ociari à malo: vnde stimulat eum vt peccatũ addat peccato. Exod. 5. Vacatis ocio: & ideo dicitis, Eamus, &c. Conscientia vero naturaliter contradicit. vnde est ibi iurgium figuratum. Exod. 2. In hoc quòd vir Ægyptius iurgabatur contra Hebreum. Ideo dicitur Esa. 57. Cor impij quasi mare feruẽs, quod quiescere nõ potest. In eodẽ, Non est pax impiis, d. d. Diabolo vero expulso per gratiam cessat hoc iurgium. Prouerb. 25. Susurrone subtracto iurgia conquiescent. Hoc iurgium magnæ molestiæ est: & magna tranquillitas est carere ipso. Prouerb. 17. Melior est buccella panis sicca cum gaudio, quam plena domus victimis cum iurgio. Quinto quia nihil ab eo tenemus neque expensis eius viuimus. Domini enim est terra, & plenitudo eius. Diabolus non potest dare vnam festucam de suo seruientibus suis. Quomodo panem quotidianum audet petere à deo, qui inimico suo, scilicet diabolo seruit? Sexto quia seruientibus suis daturus est supplicium pro pręmio. Magna crudelitas est pro stipendio dare supplicium. Rom. 5. Stipendia peccati mors. Prouerb. 5. Ne des alienis honorem tuum & annos tuos crudeli. Mira fatuitas hominum. Dicit diabolus, Ego seruiẽtes meos interficiã: dicit Christus, Ego seruientes meos reges æternos faciam: & tamen plures seruientes habet diabolus quàm Christus. dicit Christus, Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum, &c. & fugiunt homines. & econuerso, Diabolus vocat eos ad patibulum, & infiniti eum sequuntur. Septimo & vltimo quia diabolus seductor est. Iohan. 8. Ipse est mendax & pater eius per mendacium primos parẽtes seduxit. Gen. 3. Eritis inquit sicut dij. Possunt etiam intelligi hij duo domini quibus nemo potest seruire, Deus, & mũdus. Et nota quòd mundus non est eligendus pro deo. Primo quia exactor est grauis mundanorum negocio-

rum.

rum. Et si amplecteris eum vno brachio, tenebit te duobus. August. Amas seculum, absorbebit te: amatores suos vorare nouit non portare. De onagro per quem designantur mundi contemptores, legitur Iob 39. Clamorem exactoris non audit. Secundo quia litigiosus est. Mundus causis & litibus hominem implicat: & felix ille qui dicit quod dixit Abraham ad Loth, Genes. 13. Ne quæso sit iurgium inter me & te, & pastores meos & pastores tuos: fratres enim sumus. Ecce vniuersa terra coram te. &c. Prouer. 20. Honor est homini qui separat se à contentionibus. Tertio quia mundus est crudelis dominus, spolians eos qui ei seruiunt, cum ab eo recedunt. Psalm. Diues cum interierit non sumet om. &c. Iob 1. Nudus egressus sum de vtero, &c. & 1. Tim. vltim. Nihil intulimus in hunc mundum, &c. Quarto quia mundus est infidelis: socius diaboli in mentiendo, figuratus per Laban qui interpretatur candidatio: quia per quādam pulchritudinem decipit. Laban multotiens decepit Iacob. Genes. 31. vnde Iacob recessit tandem ab eo. Sic qui sapiens est, à mundo recedit: attendens quòd mundus seruientibus suis male soluet quod promittit. Possunt etiam intelligi hij duo domini quibus nemo potest seruire: Corpus, & deus. Et sciēdum est quòd corpus nemo debet eligere pro domino vt ei seruiat, quatuor de causis. Primo quia grauis exactor est. Quid enim ventri sufficit? Iuuenal. O quanta est gula quæ sibi tantos ponit apros animal propter conuiuia natum? De hoc exactore dicitur Iob 3. Vocem exactoris non audit. Prouerb. 30. Tria sunt insatiabilia: & quartum nunquam dicit, Sufficit, scilicet, infernus, & os vuluæ, & terra quæ non satiatur aqua. Terra corporis non satiatur aqua delectationis. Secundo quia caro litigiosa est. Prouerb. 19. Tecta iugiter perstillācia & litigiosa mulier, &c. Et 27. Tertio quia crudelis licet blandiri videatur. Ecclesiastici 25. Non est caput nequius super caput colubri: & non est ira super iram mulieris. Non timet caro facere quod viro suo spirituali sit causa mortis. Quarto quia caro est infidelis sicut significatum est in Dalida Sansonis quæ eum tradidit hostibus suis. Iudic. 16. Nemo potest duobus dominis seruire, &c. Possumus intelligere verbū istud esse dictū

Corpori nō est seruiendum.

permittit:quia sua non sunt quæ possidere videtur. Idem, Si vere tua sunt expende ad lucra,pro terrenis celestia cōmutādo.Si non vales:fatere te pecuniæ tuæ non dominum sed seruum,custodem non possessorē.Secundo quòd auari diuitiis sunt inferiores.Habent enim eas seipsis chariores.Si pecunia amittitur,multum dolent. Ploratur lachrimis amissio pecuniæ veris. De sui vero perditione non dolent.Prou.23.Verberauerunt me,& non dolui &c. Tertio quòd diuitiis obediunt. Ecclesiast. 10. Pecuniæ obediunt omnia.Adeo sunt obediētes diuitiis, quòd vsque ad contemptum dei eis obediunt.Chrisosto. Qui vult mandata auariciæ facere,necesse est vt contemnat dei mandata. Quarto quòd in diuitiis congregandis vel conseruandis quasi totam vitam suam expendunt. Quasi quattuor nummos censuales ad modum seruorum dant diuitiis supra se,id est,Sollicitudinem,Amorē,Locutionem,& Operationem. Ad grauitatem etiā huius seruitutis facit quòd ipsi sunt venales secundum illud Ecclesiastici 10.Nihil est iniquius quam amare pecuniā: hic enim & animam suam venalem habet. Præterea non solum seruiunt diuitiis seruitute duliæ quæ exhibetur creaturis:sed etiam ex seruitute latriæ quæ sola exhibenda est creatori: vnde hic dicit Glo.Diuitiis seruire,deum negare est.Ephe.5.Auaricia est ydolorum seruitus.vbi dicit Glo.Auari deus est nummus. Auarus se habet ad diuitias tanquam essent summum bonum,summe eas diligendo spem suam in eis ponendo:de eis melius quàm de deo sentiendo.Credit enim se habiturum necessaria si diuiciis seruierit: & se fame moriturum si deo seruierit.Præterea vbi deus & diuitiæ requirunt cōtraria, potius diuitiis quàm deo obedit. Obedientiā inter seruos dei & seruos pecuniæ distinguit.Luc.6. Quid vocatis me domine domine, & non facitis quæ dico?Et notandùm quòd licet nemo possit seruire deo & diuitiis:tamen aliquis potest seruire deo in diuitiis.Et hoc multipliciter. Primo illas amore dei contemnendo. Aug. Qui veram fidem habet in deo non quærit in his miseriis fieri diues. Non enim plus est mundus quàm deus.Secundò in acquisitione earum loborando ne pro necessariis sibi furtū vel rapinam cōmittat & vt habeat vnde eleemosynas faciat. Ephe.4.Qui furabatur iam non furetur : magis autem laboret,

boret, operando manibus. Tertio eas seruando vt oportu nius distribuantur. Ecclesiast. 3. Tempus acquirendi & tempus perdendi. Quarto eas distribuendo. Ecclesiastici. 29. Perde pecuniam propter fratrem & amicum: & ne abscondas eam sub lapide in perditionem, id est, sub cordis duricia. Ideo dico vobis ne solliciti sitis animæ vestræ &c. Notandum quòd multiplex est sollicitudo. Quædam est prouidentiæ spiritualis quæ suadetur. Prouerb. 6. Vade, inquit, ad formicam, ô piger &c. Rom. 12. Qui præest, in sollicitudine, supple, præsit. Alia est sollicitudo temporalis necessitatis: de qua instruitur homo in Gene. 3. In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Alia est superfluitatis & curiositatis, quæ prouenit ex immoderato amore terrenorum & diffidentia æternorũ. Chrysost. Sollicitudo desperationis est filia. Hæc dissuadetur hic. & Phil. 4. Nihil solliciti sitis. Prouerb. 11. Expectatio sollicitorum peribit. Et nota quòd harum sollicitudinum prima est commendabilis: secunda tolerabilis: tertia vituperabilis. Illa enim verbum dei suffocat. vnde Matt. 13. Sollicitudo huius seculi & fallacia diuitiarũ suffocat verbũ. Itẽ, Mentẽ perturbat. Luc. 10. Martha, Martha, sollicita es: & turbaris erga plurima. Ecclesiastici. 31. Vigilia, & tortura & colera viro infrunito: scilicet intemperato circa diuitias. Item, Excæcat. vnde in fine Hiere. & in fine quarti libri Reg. habetur quòd Ezechias excecatus fuit in Reblatha, quæ interpretatur, Multa hæc. Nolite solliciti esse dicentes, &c. Notandum quòd multæ sunt causę quare fideles non debent esse solliciti de necessariis vitæ. Prima est vitæ incertitudo. Qui enim nõ est certus de futura vita: quid mirum si non est certus de necessariis vitæ futura? Si placuerit enim deo dare vitam: verisimile est quòd placeat ei dare necessaria vitæ. Nonne anima, id est, vita vestra plus est quàm esca? dicit dominus. quasi diceret, Qui dat maiora, dabit & minora. hæc causa innuitur, Lucæ 12. vbi post illud verbum, Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te. subditur, Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, &c. Secunda causa est quòd dominus creaturis inferioribus homine victum & vestitum habundanter ministrat: Verisimile enim est quòd creaturam nobiliorem amplius diligat quam minus nobilem: & potius ei prouidere velit. Ad quod

quod pertinet illud, Respicite volatilia cœli. Item illud, Cõsiderate lilia agri. Luc. 12. sic habetur, Considerate coruos &c. & deus pascit illos: per quos filij diaboli intelliguntur. Et verisimile est quòd si deus pascit filios diaboli: quòd pascat filios proprios. Psalmus, Qui dat iumentis escam illorum: & pullis coruorum inuocantibus eum. Iob. 38. Quis præparat coruo escam? Et notandum quòd pulli coruorum antequam nigrescant non pascuntur à parentibus suis: sed pascuntur rore cœli: sed cum nigrescere incipiunt à parentibus pascuntur carnibus cadauerum. Et verissimile est quòd deus hominibus necessaria prouideret nisi plumis peccatorum nigrescerent. Tertia causa est: quia hæc sollicitudo infidelibus assimilat, quod innuitur ibi, Hæc enim omnia gentes inquirunt. Immo vere videtur esse infidelitas. Cum enim deus promittat regnum seruientibus sibi, & quærentibus primum regnum & eius iustitiam promittat additionem temporalium: sicut infidelitas esset non credere primæ promissioni: sic infidelitas est non credere secundæ. Ambro. Indecorum est homini curare de cibo & veste: qui militat regno. Rabanus, Quis rex deuotis militibus debitam non procurat alimoniam? Quis dominus famulis suis non ministrat cibaria? Serui est sollicitum esse quomodo domino suo seruiat: Domini vero est cogitare vt seruus suus necessaria habeat. Si seruus de se cogitat & non de domino, non est mirum si dominus ei non prouideat. Quarta causa est: quòd pater cœlestis scit nos talibus indigere. Chrysostomus, Qui ad fontem vadit, non est sollicitus de bibendo: nec qui ad prandium copiosum. Quid times stulte? Dei prouidentia largior est fonte. Item, Chrysostomus, Qualis pater est qui non necessaria tribuit pueris? maxime cum non ignorat quòd egent: etiam Sarraceni & Iudæi à lege naturali edocti filiis suis prouident, & feræ fœtibus suis: Quomodo ergo pater misericordiarũ filiis suis non prouideret, qui seruos in deserto pauit cibo de cœlo misso? Heliam etiam pauit coruo deferẽte ei panem & carnes. 4. Reg. 17. Aug. Scit cœlestis medicus quid nobis daturus est ad consolationem: & quid subtracturus ad exercitationem. Non enim homo sine causa iumẽto suo cibaria detrahit. Quinta causa est, quià ad futurum tempus pertinet sollicitudo futuræ vi

à vili separatur in hoc quòd dominus non monet ad quærendum temporalia, sicut monet ad quærendum regnum & regni iusticiam: sed promittit ea esse adiicienda. Separatio vero ista præciosi à vili valde placet deo, secundum illud Hierem.15. Si separaueris præciosum à vili, quasi os meum eris. Et notandum quòd tria sunt genera bonorum, scilicet Bonum gloriæ: bonum gratiæ: & bonum temporale. Primum intelligitur per regnum dei. Secundum per iusticiam eius. Tertium ibi, Hæc omnia adiicientur vobis. Primum finis viæ. Secundum est via. Tertium viaticum. Iusticia regni dicitur iusticia perfecta talis qualis est necessaria in regno dei. Cuius potentiæ nemo potest resistere, cum sit potens. Dauid, Si ascendero in cœlũ, tu illic es &c. Sapientiam etiam eius nihil potest latere. Item eius bonitas cum sit summa, summè odit malum, & maximam vindictam sumet de eo. Quadruplici vero ratione possumus intelligere hoc dictum esse, Hęc omnia adiicientur vobis. Primo quia qui habet iusticiam regni, filius dei est: vnde debetur ei prouisio: quod tangit Gloss. dicens, Quia omnia sunt filiorum. Secundo quia bona temporalia bona infima sunt. vnde incuruatur homo quærendo ea, acquiescens illi suggestioni diabolicæ. Esaiæ 51. Incuruare, vt transeamus. quam incuruationem nõ vult dominus. Ideo non monet. Tertio quia quandoque sunt habenti noxia. vnde Prouerb.1. Vsquequo diligitis infantiam: & stulti ea quæ sibi sunt noxia cupient? & super illud 2. Corin.12. Virtus in infirmitatibus perficitur. dicit Gl. Aug. Cum ea quæ deus laudat & promittit, ab eo petitis, secure petite: illa enim deo propicio conceduntur. Cum autem petitis temporalia, cum modo petite & cum timore ei committite: vt si prosint det, si scit obesse non det. quid enim prosit vel obsit medicus nouerit nõ ægrotus. Quarto quia bona modica sunt. Quæ indubitanter ab eo sunt speranda à quo regnum speratur. Rabanus loquens illi qui sollicitus est de necessariis corpori, Noli homo exacerbare deum pro te taliter cogitãdo: dato regno suspiras panem. Indutus immortalitatis gloria, plangis corporis vestimentum. Ambro. Indecorum est homini curare de cibo vel de veste qui militat regno. Nouit rex quemadmodum familiam suam pascat, alat, vestiat: etiam malis prouidet deus: quanto magis

magis bonis prouidebit? Augu. Pascebat contemnentem se: & deseret sequentem se.

Dominica xvj. post trinitatem,

SERMO PRIMVS.

IBat Iesus in ciuitatem quæ vocatur Naim &c. Lucæ 7.

Litera plana est: nec indiget expositione. Circa seriem huius euangelij septem nobis seruāda sunt; pertinentia ad ædificationem nostram. Primo quid designet iste mortuus. Secundo quid mortui suscitatio. Tertio locus vbi suscitatur. Quarto multitudo coram qua suscitatur. Quinto occasio suscitationis. Sexto modus suscitandi. Septimo sequela suscitationis. Et nota quòd designat mortuus iste peccatorem. Et notandum quòd in Euangelio legimus dominum tres mortuos suscitasse, scilicet filiā archisynagogi suscitatam in domo: de qua habetur Mat. 9. & Marci 5. Et vnicum filium viduæ suscitatum ad portā ciuitatis. De quo habetur in Euāgelio hodierno. Et Lazarum suscitatum ad sepulchrum. Ioan. 11. In suscitatione vero horum trium mortuorum ostensum est quòd saluator potestatem habet super triplicem mortē, scilicet, mortem naturæ: mortem culpæ: & mortem gehennæ. Et super triplicem vitam, scilicet, vitam naturæ: vitam gratiæ: & vitam gloriæ. Item triplex mors culpæ designata est in morte horum trium, sicut ostenditur his versibus: Mens mala mors intus: malus actus mors foris vsus: Tumba, puella, puer, Lazarus ista notant. Et sciendum quòd spiritussanctus peccatum per mortem voluit significari. Ad ostendendum quantum peccatum sit fugiendum: & quantum de eo sit dolēdum cum commissum est. Peccatum fugiendum est vt mors. Ecclesiast. 21. Quasi à facie colubri fuge peccatum. De eo dolendum est etiam tanquam de morte. Sic dolere debet qui videt amicum suum in mortali peccato: ac si videret eum mortuum: immo plus. Ecclesiast. 22. Modicum plora super mortuum: quoniam requieuit. Et paulo post, Luctus mortui septem dies: fatui autem & im-

pij omnes dies vitæ eorum. August. Sunt ne in te viscera compassionis qui plangis corpus à quo recessit anima,& non plangis animam à qua recessit Deus. Mors corporis quasi non est reputanda respectu huius mortis. Marc. 5. Non est mortua puella sed dormit. Ioan. 11. Lazarus amicus noster dormit. Psalmus, Preciosa in conspectu domini mors sanctorum eius. Sed mors peccatorum pessima. August. Vera mors est quam homines non timent, separatio animæ à Deo. Sic dolendum est de peccato: vt de morte vnigeniti. Hierem. 6. Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum. Vnde istę mortuus fuit vnicus matris suæ. Magis amat mater quæ habet vnicum filium, illum, quam si multos haberet: & ideo dolet amplius de eius morte. vnde 2. Reg. 1. dicit Dauid plangens Ionathan, Sicut mater vnicum amat filium: ita te diligebam. Et notandum quòd sex sunt in quibus peccatum morti corporis assimilatur. Primum est quòd mors separat corpus ab anima à qua habebat valorem suum. vnde remanet corpus quasi truncus inutilis. Sic peccatum separat animam à Deo, à quo habebat valorem suum: vnde remanet anima quasi nullius valoris. Vnde bonum esset ei non esse: nisi esset spes de eius spirituali resurrectione. Esa. 59. Iniquitates nostræ diuiserunt inter nos & Deum nostrum. Oseæ 7. Væ eis quia recesserunt à me. Quanto Deus præualet animæ: tanto deterior est separatio à Deo: quam corporis ab anima. Secundo mors aufert sensum corpori: sic peccatum animæ. Prouer. 23. Verberauerunt me, & non dolui: traxerunt me, & non sensi. Damnum corporis bene sentit peccator: sed damnum animæ non. Ideo dicitur semiuiuus relictus: siue semimortuus. Luc. 10. scilicet, Ex parte animæ mortuus: ex parte corporis viuus. Tertio mors aufert motum corporis: sic peccatum animæ: vnde videmus aliquos peccatores qui cor suum posuerũt in terra vel in carne propria vel aliena. Etiam licet cognoscant quòd cœlum præualet terræ, & anima carni: tamen non possunt transferre cor suum ad meliora: vt videatur esse impleta in eis illa imprecatio, Exod. 15. Fiant immobiles quasi lapis, &c. Quarto mortem sequitur putrefactio & corruptio: & vermium generatio. Peccatum etiam similia his sequuntur. Vnde Psal, Corrupti sunt & abominabiles facti sunt, &c. Prouerb. 14.

Putredo ossium inuidia.1. Machab.2. Gloria impij stercus & vermis. Gloria hominis deberet esse testimonium conscientiæ:sed loco huius gloriæ est in peccatore immundicia & remorsio cõscientiæ.Prima enim est hæc vltio quòd se iudice nemo nocens absoluitur. Esa. vltim. Vermis eorum non morietur:& ignis eorũ non extinguetur. Quinto mortem sequitur fœtor corporis: sic & peccatum sequitur fœtor infamiæ vicinos interficiens.Ioel. 2.Ascendet fœtor eius & ascendet putredo eius: quia superbè egit. Ioan. 11. Domine iam fœtet:quatriduanus enim est,habens peccatum cordis:oris:operis:consuetudinis. Sed hunc fœtorem multi non agnoscunt:quia fœtidi sunt.Bernar. Vbi omnes fœtidi sunt: fœtor vnius minime sentitur. Sexto mortem corporis sequitur sepultura:sic peccatum sequitur sepultura animæ sub lapide obstinationis.Tren.3. Lapsa est in lacum anima mea:posuerunt lapidẽ super me.Et sicut mortuus iste peccatorem figurat: sic & peccatoris conuersionem. Item, sicut multum timendum est peccatum & multum dolendum est de ipso commisso: sic multũ desideranda est peccatoris conuersio. Est enim resurrectio filij Dei. Luc. 15. Epulari & gaudere oportet : quia frater tuus hic mortuus fuerat,& reuixit.In eodem,Gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente , quàm super mille iustis. Quantomagis gaudium debet esse hic hominibus.Locus in quo suscitatio facta est,fuit porta ciuitatis per quam mortuus efferebatur,& ad quam saluator appropinquauit. secundum Glo. Porta qua effertur aliquis: est de sensibus quo aliquis in peccatum corruit. Vt qui videt mulierem ad concupiscẽdum eam.Qui autem ociosis vel turpibus audiendis accommodat.Qui linguam commendat litigiis. Hiere. 9. Ascendit mors per fenestras. Appropinquat dominus portæ ciuitatis : quando gratia salutari cohibet ne tentatio per aliquem sensum ad effectum perueniat.Psal. Auerte oculos meos ne vi. vanitatem. Iob 31. Pepigi fedus cum oculis meis , vt ne cogitarem quidem de virgine;Oseæ ij.Sepiam vias tuas spinis.&c. Suscitatur mortuus iste coram multitudine, cum in suscitatione filiæ archisynagogi turbam eiiceret.Mat.9.& Mar.5, quia mortuus iste significat peccatorem , cuius peccatum notũ est. Quia pœnitentia sua debet ædificare populũ: sicut malo

exemplo

exemplo suo corrumpit eum. Filia vero archisynagogi figurat peccatorem occultũ, qui occulte debet satisfacere. Insinuatur etiam in hoc quòd est turba quæ eiicienda est: salutem impediens, scilicet turba tumultuans. Matth. 9. Cum vidisset turbam tumultuantem dicebat: Discedite. Et est turba non eiicienda, scilicet turba compatiens: de qua habetur in hoc euangelio. Alias duas causas tangit glossa quare coram multitudine suscitatus est. Multi inquit fuerunt cum domino, multi cũ vidua: vt viso miraculo multi Dei laudatores fiant & testes. Occasio huius videtur fuisse fletus matris. Cum enim vidisset dominus eam, misericordia motus super eam dixit, Noli flere. Suscitationis etiam Lazari fuit occasio fletus Mariç & Iudæorum. Ioan. 11. Quam cum vidisset plorantem, & Iudæos. &c. Occasio etiam fuit suscitationis filiæ archisynagogi, quod pater Deum rogauit. Sic valde necessarium est quòd alter roget pro eo qui est in mortali peccato. Ipse enim non est dignus vt à domino exaudiatur. Ioã. 9. Peccatores Deus non audit. Et notandum quòd valde desolata erat mater huius defuncti. Cum enim esset vidua: deerat ei solacium viri. Item cum esset ille vnicus, erat sine solatio filiorũ. Abyssus etiã miseriæ abyssum diuinæ misericordiæ inuocauit. Ad modum suscitandi pertinent ista quatuor, scilicet, quòd dominus ad mortuum accessit. Loculum tetigit. Portantes stare fecit. Illi qui erat suscitandus dixit, Adolescens tibi dico, surge. Notãdum etiam quòd ad mortuum spiritualiter saluator appropinquat, cum aliquam gratiam præuenietem ei dat: gratiam inquam gratis datam non gratum facientem, vt desiderium propriæ salutis, vel voluntatem miserẽdi pauperibus, vt sic Deus eius misereatur: vel internam inspirationem, vel exteriorem prædicationem. Loculum vero dominus tetigit, cum affectum, quo aliquis affectat malum, compescit. Portitores vero peccatoris secundum Glos. sunt immunda desideria, vel adulantium blãdimenta: quos portitores dominus facit stare, cum talia facit cessare. Vel possunt intelligi isti portitores, fiducia diu viuendi: consideratio alienæ culpæ: impunitas peccatoris: stulta spes pœnitendi in futuro, quã aliquis habet ex magna Dei misericordia. Cõtra primum dicit Iob 32. Nescio quamdiu subsistam. & Eccles. 9. Nescit homo finem suum

Esai.38. Cum adhuc ordirer,succidit me.De secundo, Ecclesiast.12. Peccator homo vitabit correctionem:& ad voluntatem suam inueniet comparationem. Contra tertium dicitur, Ecclesiast. 5. Ne dixeris, Peccaui, & quid accidit mihi triste,&c.Ecclesiast.8.Quia non profertur cito contra malos sententia: filij hominum absque timore perpetrant mala. Contra quartum dicitur Ecclesiast. 5. Ne dicas,Miseratio Dei magna est. In eodem, Ne tardes conuerti ad Deum, & ne differas de die in diem, &c. Item nota quòd quantum ad religionem portitores possunt intelligi ista quatuor,scilicet,Recordatio vitæ prioris: Numer. 11. Recordamur piscium quos comedebamus in Ægypto.Rigor regularium obseruationum:Actuum 15.Hoc est onus quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus. Exemplum aliorum pusillanimium: Numer. 13. Vbi dicit Caleph,Ascendamus,&c.Dictum est ei,Nequaquam ad hunc populum valemus ascendere: quia fortior nobis est. Deuteronom. 20. Quis est homo formidolosus & corde pauido: vadat & reuertatur in domum suam, ne pauere faciat corda fratrum suorum. Spes redeundi per pœnitentiã,quæ est in aliquibus stultis non attendentibus quòd coruus egressus de archa nunquã rediit ad archam. Loculus intelligi potest,vel peccatoris conscientia,vel ipsum corpus,quod est quasi feretrũ animæ mortuæ. Iste loculus tangitur:cũ infirmitas à Deo immittitur. Tunc stant qui portabant: quia membra à peccatis cessant. Peccator singulis membris quasi pedibus vtitur ad eundum in infernum:dum cum eis peccat: ac si crederet quòd non satis cito illuc perueniret.Prouer.6.Homo apostata, vir inutilis, graditur ore peruerso, annuit,&c. Attendendum est illud, Adolescens,tibi dico surge. Simile habetur Mar. 5. Puella tibi dico surge. Non legimus hoc, Senex tibi dico surge. Vix enim à peccatis surgunt qui in eis seruierunt.Hieron. Dum est paruulus hostis,interfice.Prouer.22.Prouerbium est,Adolescens iuxta viam suam,cum senuerit, non recedet ab ea. Et Esai. 65. Puer centum annorum morietur. Hierem. 13. Si mutare potest Æthyops , pellem suam, & pardus varietates suas,&c. Sequela suscitationis quantum ad suscitatum, fuit triplex , scilicet , quòd recedit, quòd loqui cepit: quòd dominus illum matri suæ dedit.

Et

Et nota quòd primum pertinet ad compunctionem. Secundum ad confessionem. Tertium ad reconciliationem. Sequitur absolutio & iniungitur satisfactio. In hoc autem quòd dicitur, Resedit & non stetit: innuitur quòd peccator cum pœnitet, licet erigatur per bonam voluntatem, tamen adhuc iacet debilis ad operandum & resistendum tentationi. Iacet per timorem, nondum certus de venia, timens sibi de casu futuro: stat tamen per spem. In hoc quòd dicitur, Cœpit loqui: innuitur quòd peccator dum est in statu peccati quasi non loquitur: cum irrationabilia proferat. In hoc quòd dicitur, Et dedit eum matri suæ: innuitur quòd resuscitatus de nouo à morte peccati matre indiget: aliter non diu viuet. Mater enim conueniens esset Dei sapientia. Ecclesiast. 3. Filij sapientiæ ecclesia iustorum. Sequela suscitationis quantum ad alios, fuit timor reuerentiæ & Dei magnificatio. Et hoc est commune miraculis Christi, scilicet Dei gloria, & laus. Vnde dicit euangelista, Accepit omnes timor & magnificabant Deum. &c. Propheta magnus surrexit in nobis, &c. Christus magnus propheta fuit: quia verax in verbis: efficax exemplis: potens miraculis. Non fuerunt prophetæ magni: illi in quibus spiritus mendax loquebatur. 3. Reg. 22. Egrediar & ero spiritus mendax in ore prophetarum. Item, Nec Cayphas & Balaam: licet vera dixerint: quia mali fuerunt. Vnde exempli efficacia eis defuit. Deus visitauit plebem suam. Notandum quòd quadruplex est visitatio. Prima est subuentionis in pauperes. Iacob. 1. Religio munda & immaculata apud Deum & patrem hæc est: Visitare pupillos, &c. Matth. 25. Infirmus fui, & non visitastis me. &c. Talis fuit visitatio saluatoris in primo aduentu. Secunda est mutuæ familiaritatis inter amicos & notos. Talis est visitatio spiritualis quàm facit saluator homini. vnde Iob 10. Visitatio tua custodiuit spiritum meum. Psalmus, Visita nos in salutari tuo ad videndum in, &c. Tertia est correctionis. Sic prælati visitant subditos. Vnde in Psalm. Si iusticias meas propha. & ma. & mea non cus. vi. in. vir. ini. eorum, &c. Quarta est damnationis. de qua Esaiæ 27. In die illa visitabit dominus in gladio suo duro & grandi. Ibidem dicitur de vinea, Nocte inquit & die seruo eam ne forte visitetur con

tra eam. Esa. 10. Quid facietis in die visitationis & calamitatis de longe venientis? Ex ira dei est quòd aliquis non visitatur hic ad correctionem vt post visitetur ad damnationem. Oseæ 4. Nõ visitabo super filias vestras cùm fuerint fornicatæ, &c.

Dominica xvij. post trinitatem,

SERMO PRIMVS.

CVm intraret Iesus in domum cuiusdam principis phariseorũ, &c. Luc. 14.

Dominus in hoc euangelio primo ostendit phariseos, qui eum obseruabant vt possent reprehendere, reprehensibiles esse de auaricia & sabbati violatione. Secundo ponitur parabola per quam monet eos ad humilitatem: insinuans eos esse reprehensibiles de tribus, scilicet, de superbia: de auaricia: & de sabbati violatione. Et reprehensibiles ostendit per hoc quòd faciebant in sabbato opus cupiditatis: qui reprehẽdebant in eo factum in sabbato opus charitatis. Cum intraret Iesus in domum cuiusdam pharisei, &c. Hoc euangelium duo nobis ostendit, scilicet, Phariseorum maliciam, saluatori insidiantem: & saluatoris prudentiam insidias eorum vitantem. Prouer. 1. Frustra iacitur rette ante oculos pennatorum. Nec solum eorum laqueos vitabat: sed etiam ipsos laqueis ipsorum inuoluebat. Studebant pharisei vt ipsum reprehẽdere possent: ipse vero eos reprehensibiles conuincebat: seque laudabilem exhibebat. Sex vero sunt in quibus pharisei possunt ostendi reprehẽsibiles ex hoc euãgelio. Primum est quòd ei quem pascebant nocere cupiebant: & ipsi insidiabãtur. Habebant exteriorem iusticiam, & interiorem maliciam. Pauperi saluatori refectionem dabant: quem tamen ex inuidia obseruabant. Matth. 23. Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ: quia mundatis quod de foris est calicis & parop

paropſidis, &c. In eodem Væ vobis qui ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis. Sic & hodie in membris ſuis proditur ab his qui cum eo manducant & bibunt: vt vere poſſit dicere illud Luc. 22. Verum tamen manus tradentis me, mecum eſt in menſa. Secundum eſt quòd cum ipſi peccatis pleni eſſent: peccatum quærebãt in eo qui peccatum non fecit 1. Petri 2. contra illud Prouerb. 24. Ne inſidieris & quæras impietatem in domo iuſti. Pſalm. Obſeruabit peccator iuſtum. Sapiens proprium eſt ſtulticiæ aliena vicia cernere, & ſua obliniſci. Matth. 7. Eiice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eiicere feſtucam de oculo fratris tui. Tertium eſt defectus compaſſionis. Non habebant ad paraliticum & ad alios compaſſionem: quorum calumniabantur curationem. Grego. vera iuſticia habet compaſſionem: falſa indignationem. Matth. 23. Væ vobis ſcribæ & phariſei, qui decimatis mẽtham & anetũ, & cymi nũ: & relinquitis quæ grauiora ſunt legis, ſcilicet, iudiciũ & miſericordiã, & fidem. Quartum eſt quòd tacuerunt, quando loqui debuerunt: interrogati, ſcilicet, an liceret ſabbato curare. Sic hypocritæ tacent cum tempus eſt loquendi, & loquuntur cum tempus eſt tacendi. Potius volunt confundere de peccato iam facto: quam præmunire eum & occurrere faciendo. Non intendunt corrigere: ſed corruptionem aliis oſtendere. Iero. Multi præuenti maioribus leuiora in fratre malũt vituperare & damnare, quã emendare. Quintum eſt quòd de minimis habent magnã curam, de maximis paruam vel nullam. Boues enim vel aſinos curant: de hominibus vero non curant. Ber. Optimi diſpenſatores rerum qui de maximis minimam, & de minimis maximam curam gerunt. Idem, Cadit aſinã & eſt qui ſubleuet: perit anima & non eſt qui recogitet. Sextum eſt amor vanæ gloriæ. Eligebant enim primos accubitus, Matth. 23. Amant primos recubitus in cænis, & primas cathe. in ſynagogis. Saluator in hoc euangelio laudabilis oſtenditur: quia potentia eius & ſapientia & bonitas ibi manifeſtatur, videlicet, Potentia in paralitici curatione. Sapientia in hoc quòd reſpondet cogitationibus phariſeorum. 1. Reg. 16. Homo videt quæ parent: deus autem intuetur cor. Item in hoc quòd exemplo euidenti conuincit eos, in curatione infirmorum ſabbatum non violari. Bo-

tra eam. Esa. 10. Quid facietis in die visitationis & calamitatis de longe venientis? Ex ira dei est quòd aliquis non visitatur hic ad correctionem vt post visitetur ad damnationem. Oseæ 4. Nō visitabo super filias vestras cùm fuerint fornicatæ, &c.

Dominicæ xvij. post trinitatem,

SERMO PRIMVS.

CVm intraret Iesus in domum cuiusdam principis pharisæorũ, &c. Luc. 14.

Dominus in hoc euangelio primo ostendit phariseos, qui eum obseruabant vt possent reprehendere, reprehensibiles esse de auaticia & sabbati violatione. Secundo ponitur parabola per quam monet eos ad humilitatem: insinuans eos esse reprehensibiles de tribus, scilicet, de superbia: de auaricia: & de sabbati violatione. Et reprehensibiles ostendit per hoc quòd faciebant in sabbato opus cupiditatis: qui reprehẽdebant in eo factum in sabbato opus charitatis. Cum intraret Iesus in domum cuiusdam pharisei, &c. Hoc euangelium duo nobis ostendit, scilicet, Phariseorum maliciam, saluatori insidiantem: & saluatoris prudentiam insidias eorum vitantem. Prouer. 1. Frustra iacitur rette ante oculos pennatorum. Nec solum eorum laqueos vitabat: sed etiam ipsos laqueis ipsorum inuoluebat, Studebant pharisei vt ipsum reprehẽdere possent: ipse vero eos reprehensibiles conuincebat: seque laudabilem exhibebat. Sex vero sunt in quibus pharisei possunt ostendi reprehẽsibiles ex hoc euãgelio. Primum est quòd ei quem pascebant nocere cupiebant: & ipsi insidiabãtur. Habebant exteriorem iusticiam, & interiorem maliciam. Pauperi saluatori refectionem dabant: quem tamen ex inuidia obseruabant. Matth. 23. Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ: quia mundatis quod de foris est calicis &

paropſidis, &c. In eodem Væ vobis qui ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis. Sic & hodie in membris ſuis proditur ab his qui cum eo manducant & bibunt: vt vere poſſit dicere illud Luc. 22. Verum tamen manus tradentis me, mecum eſt in menſa. Secundum eſt quòd cum ipſi peccatis pleni eſſent: peccatum quærebāt in eo qui peccatum non fecit 1. Petri 2. contra illud Prouerb. 24. Ne inſidieris & quæras impietatem in domo iuſti. Pſalm. Obſeruabit peccator iuſtum. Sapiens proprium eſt ſtulticiæ aliena vicia cernere, & ſua obliuiſci. Matth. 7. Eiice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eiicere feſtucam de oculo fratris tui. Tertium eſt defectus compaſſionis. Non habebant ad paraliticum & ad alios compaſſionem: quorum calumniabantur curationem. Grego. vera iuſticia habet compaſſionem: falſa indignationem. Matth. 23. Væ vobis ſcribæ & phariſei, qui decimatis mētham & anetū, & cymi nū: & relinquitis quæ grauiora ſunt legis, ſcilicet, iudiciū & miſericordiā, & fidem. Quartum eſt quòd tacuerunt, quando loqui debuerunt: interrogati, ſcilicet, an liceret ſabbato curare. Sic hypocritæ tacent cum tempus eſt loquendi, & loquuntur cum tempus eſt tacendi. Potius volunt confundere de peccato iam facto: quam præmunire eum & occurrere faciendo. Non intendunt corrigere: ſed corruptionem aliis oſtendere. Iero. Multi præuenti maioribus leuiora in fratre malūt vituperare & damnare, quā emendare. Quintum eſt quòd de minimis habent magnā curam, de maximis paruam vel nullam. Boues enim vel aſinos curant: de hominibus vero non curant. Ber. Optimi diſpenſatores rerum qui de maximis minimam, & de minimis maximam curam gerunt. Idem, Cadit aſinā & eſt qui ſubleuet: perit anima & non eſt qui recogitet. Sextum eſt amor vanæ gloriæ. Eligebant enim primos accubitus, Matth. 23. Amant primos recubitus in cænis, & primas cathe. in ſynagogis. Saluator in hoc euangelio laudabilis oſtenditur: quia potentia eius & ſapientia & bonitas ibi manifeſtatur, videlicet, Potentia in paralitici curatione. Sapientia in hoc quòd reſpondet cogitationibus phariſeorum. 1. Reg. 16. Homo videt quæ parent: deus autem intuetur cor. Item in hoc quòd exemplo euidenti conuincit eos, in curatione infirmorum ſabbatum non violari. Bo-

nitas in hoc quòd obseruatores suos instruit, parabola posita de humilitate. Ipsi obseruabant eum. Notandum quòd pharisei obseruauerunt saluatoris potentiam, cum dicebant, Hic in beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia. Sapientiam vero cum miserunt discipulos suos vt caperent eum in sermone. Matth. 22. Bonitatem vero cum adduxerunt ei mulierem in adulterio deprehensam. Iohan. 8. Et cum obseruabant an sabbato curaret. Iohan. 9. Hic homo non est à Deo qui sabbatum non custodit. Saluator vero tripliciter confundit obseruationem eorũ, scilicet. Per potentiam, hydropicum miraculosè curando. Per sapientiam, quæstionem eis proponendo: cui respondere non audent. Per bonitatem, beneficium instructionis suis insidiatoribus impendendo. Et notandum quòd occasio obseruationis pharisæorum erat: quòd ipse peccata eorum arguebat. vnde, Amos 5. Odio habuerunt corripien tem in porta. Esa. 30. Loquimini nobis placentia: videte nobis errrores. Ecclesiasti. 11. Bona in mala conuertens insidiatur: & in electis ponit maculam. At illi tacuerunt. Notandum quòd est taciturnitas prudentis. Ecclesiasti. 19. Est tacens & ipse est prudens. eiusdem 20. Qui inuenitur sapiẽs tacebit vsque ad tempus, &c. Item, Ignorãtis. Ecclesiastici 20. Est tacens non habens sensum loquelæ. eiusdem 5. Si est intellectus, responde proximo: sin autem sit manus tua super os tuum. Item, Insidiantis. de qua hic, Ipse autem apprehẽdens sanauit illum. Glo. Vitium quod iste in corpore, pharisæi gestabant in mente. & ideo corã ipsis curat corporaliter: vt hoc exemplo discant curari spiritualiter. Et notandum quòd iste hydropicus figuram tenet auari qui hydropico assimilatur in tribus, scilicet, In inflatione: in fœtido anhelitu: in siti insaciabili. Inflationẽ possumus referre ad superbiã, quæ comitatur diuitias. Vnde super illud 1. Tim. 6. Diuitibus huius seculi precipe non sublime sapere, &c. dicit Glosa, Augúst. Vermis diuitum superbia. vel istam inflationem possumus referre ad ventris ingluuiem, quæ interdum diuitias concomitatur. Illi enim cui sufficiebat vnum ferculum cum pauper erat, non sufficiunt tria quando est diues. Fetorem vero anhelitus possumus referre ad consilia corrupta quæ dant diuites familiaribus suis. Oseæ 9. Ephraim ducit ad interfectio

fectionem filios suos. De siti vero auari planum est: quòd est insaciabilis. Prouer. 30. Sanguisugæ filiæ duæ sunt dicentes, affer, affer. Sanguisuga diabolus est sanguinem peccati semper sugens & ciens. Duæ filiæ eius sunt auaricia & luxuria: quæ dicunt affer, affer. Ecclesiastes 5. Auarus non implebitur pecunia. Ipse vero apprehensum sanauit eum. Duo sunt vicia circa temporalium possessiones, scilicet Cupiditas, & auaricia: videlicet Cupiditas in accipiẽdo: Auaricia in retinendo. Notandum ergo quòd cupiditas designatur per hydropicum qui nõ saciatur. Poëta, Sic quibus intumuit venter suffusus ab vnda, Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ. Auaricia vero designatur per hominem habentem manũ aridam, de quo habetur Matt. 12. Modus vero sanandi has infirmitates, designat modos sanandi hæc vicia. Habenti manum aridam dixit dominus, Extende manum tuam: & extendit, & restituta est sanitati. Manum extendere est: manum quæ per auariciam erat contracta ad retinendum: laxare ad dandum. Eccle. siastici 4. Non sit manus tua ad accipiendum porrecta, & ad dandum collecta. Glo. super illud Matth. Extende, &c. Nil plus valet curatio quàm eleemosinarum largitio. Frustra pro peccatis rogaturus manus ad dominum expandit: qui has ad pauperes pro posse non extendit. Hydropicum vero sanauit dominus apprehensum. Et creditur apprehendisse manum eius. Manum apprehendere, est appetitum & vsum accipiendi cohibere. Cupidum diabolus apprehendit: dum ipse pecuniam contra deum acquirit. Aug. Præda quamvis rapere, in muscipula est: tenes alienum: & teneris à diabolo. Per manum qua aliquis rem alienam furatur, tenet eum diabolus, donec pænituerit. Vnde necesse est vt à domino apprehendatur & diabolo auferatur, ad hoc quòd sanetur cupiditas. Item notandum quòd duo insinuantur nobis in hoc quòd dominus sabbato curat. Primum est quòd ille qui ab actu peccandi cessat, spiritualiter sanatur. Esa. 1. Quiescite agere peruerse. Secundum quòd certis temporibus propter animarum salutem licet viro contemplatiuo se studio cõtemplationis subtrahere: quod significatum est Gen. 29. Cum Ruben de agro mãdragoras attulisset Lyæ suæ matri: Rachel pro illis mandragoris Iacob virum suum cõcessit Lyæ. Quod

factum est tẽpore messis triticeæ. Messis triticea est acti uę fecunditas. Tempus huius messis est tempus oportunum actiuæ. Ecclesiastes 3. Tempus amplexandi & tempus longè fieri ab amplexibus. Ruben Lyæ matri suæ mãdragoras affert: quando de exercitio boni operis procedit odor bonæ opinionis. Has mandragoras Rachel concupiscit, cum animum contemplatiui odor bonæ opinionis allicit. Tunc vir Rachelis Lyæ conceditur, cum propter fructum boni operis & odorem boni nominis contemplatiua ad actiuam conuertitur.

Sermo secundus de eodem.

CVm inuitatus fueris ad nuptias, &c. Nuptias hic intelligimus cõuiuium nuptiale, scilicet Christi & ecclesiæ. Et est duplex conuiuium, scilicet Prandium, & cœna. Prandium celebratur in fide: Cœna in manifesta dei visione. Prandium commune est non solum electis sed etiam multis reprobis. Cœna vero solũ est electorum. vnde, Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt. Apoc. 19. Inter inuitatos vero ad prandium multi confusionem patiuntur ex causis diuersis, scilicet Alij propter defectum puritatis conscientiæ. Alij propter defectũ pietatis. Alij propter defectum charitatis. Alij propter defectum humilitatis. Ad duo prima possumus referre quod legitur Matth. 25. de fatuis virginibus, quòd acceptis lampadibus non sumpserunt oleum secum. Per oleum quod nitet & suaue est: intelligitur puritas conscientiæ quæ habet quãdam suauitatem: vel quia oleum supernatat aliis liquoribus. Per oleum designatur pietas, quæ eminet respectu virtutum. Illis qui sectantur humanam laudem, nõ habentibus puritatem consciẽtiæ, clausa erit ianua spõsi: & eis pulsantibus dicetur, Amen dico vobis, nescio vos. Similiter confusio fiet his qui misericordes non fuerunt: non enim misericordiam consequentur. Et ad hanc confusionem potest referri spiritualiter illud Matth. 25. Discedite à me maledicti, &c. Esuriui, &c. Ad tertium pertinet illud Matth. 22. Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? & subditur, Ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores. Vestis nuptialis est cha

est charitas. Ad quartum pertinet quod hic dicitur, Et tūc incipiet cum rubore nouissimum locum tenere. Non discumbas in primo loco. Notandum quòd in primo loco aliquis multipliciter discumbit. Primo aliis in corde suo se preferendo. sic discumbebat in primo loco phariseus dicens, Non sum sicut cæteri hominum. Luc. 18. Secundo primatum ambiendo sicut lucifer. Esa. 14. Similis ero altissimo. Tertio primatum vsurpando: vt chore cum ducentis & quinquaginta de maioribus leuitis. Num. 16. & Dathā & Abyron, ibidem. Quarto adepto primatu ocium sectando. Esa. 14. Sedebo in monte testamenti &c. Ber. O impudens & imprudens. Milia milium ministrabant ei & decies centena milia assistebant ei: tu vero aliis ministrantibus vel assistentibus sedere præsumis? Primus discubitus multum habet rusticitatis: cum, scilicet aliquis vult sedere altius aliis in proprio hospitio: & ibi inhonorat homines: vbi amplius debuit eos honorare, scilicet in domo propria conscientiæ. Non sic faciebat Abraham. Gen. 18. Loquar, inquit, ad dominum meum, cum sim &c. Gre. Aperte inquit cernimus in quo loco se posuerat qui se puluerem etiam cum domino loqueretur ęstimabat. Qua ergo pena feriendi sunt qui ad summa non proficiunt & de minimis se extollunt? Ambitio vero primatus multum habet fatuitatis: quia secundum Augu. Quanto aliquis in loco superiori: tanto in periculo maiori versatur. Ambitiosus videtur amare periculum suum: vnde multum timendum est ne ipse pereat. Ecclesiastici. 3. Qui amat periculum in illo peribit. Saluator regnum fugit: ad crucem vero voluntarius iuit. Hebr. 12. Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem. In quo dominus voluit ostēdere quòd aliquibus magis expediret quòd essent suspensi quam in dignitate positi. Vsurpatio & primatus multū habet culpæ: quòd ostendit magnitudo pœnæ. Num. 16. In Chore & complicibus suis qui igne diuino succēsi sunt: & in Dathan & Abyron quos deuorauit terra cum tabernaculis suis & vniuersa terra eorum: descenderuntque viui in infernum. Item sectari ocium in illo qui est in statu prælationis multum est reprehensibile: cum scriptum sit, Non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel. Nec mirum, cum non dormitet neque dormiat qui impugnat Israel. Prælati est ministrare

strare non discumbere:sicut filius hominis non venit ministrari sed ministrare.Matte.20. Eius est discurrere non quiescere Prouer.5.Si spoponderis pro amico tuo, &c.discurre,festina,&c.Sen.Tantum habes negocij, quantum medicus in pestilentia.Item Notandum quòd triplex malum solet sequi promotionem indigni, scilicet Acceleratio mortis ipsius.Dei enim ordinatione mors eius acceleratur:vt loco euacuato dignus substituatur. Ad quod pertinet illud,Da huic locum.Secundum est magnitudo confusionis.Deiectio enim sequens sublimationem,plena est confusione.Ad quod pertinet illud, Et tunc incipies cum rubore &c.Oseæ 4. Gloriam eorum in ig.co. Tertium est magnitudo tormētorum.Primi enim in dignitatibus : fiēt nouissimi in tormētis.Apoc.18. Quantū glorificauit se & in de.f.t.d.&c.Sap.16.Exiguo cōceditur misericordia: potētes autē potēter tormēta patiētur.Ad hoc pertinet illud, Nouissimum lo.tenere.Recumbe in nouissio loco. Quare non dicit in medio:cum scriptum sit,Mediū tenuere beati? Ad hoc,quòd hostium peradisi humile est, scilicet Christus,Iob 10.Ego sum hostium:Ingressurus vero per humile hostium non est periculum quātumcunque se inclinet. Sed si plus debito caput eleuaueris, scilicet quantum est transuersum digiti vnius: allides caput tuum & ab ingressu impedieris.Quantumcunque te humiliaueris, non est periculum.Si vero per superbiam te amplius debito eleuaueris:poterit impediri ingressus tuus in regnum. Matt.18. Nisi conuersi fueritis & effi.si.par.non intra.in reg.ce.Ecclesiasti.7.Humilia valde spiritum t.Quantumcunque humiliaueris te Christo humilior nō eris.Ipse enim fuit nouissimus virorum,&c.Esa.54.

Item notandum quòd tribus de causis recumbendū est in nouissimo loco.Primo propter securitatem.Augu. Humilitas in imo est: & ideo non habet quo cadat. Secundo propter pacem Perflant enim altissima venti. & Esa. 22. Erit quasi vir qui absconditur à vento: & celat se à tempestate.Tertio propter exaltationē sequentem. De qua subditur,Qui se humiliat exaltabitur.De quo require.Dominica.10.in parabola de phariseo & publicano Amice ascē de superius.Notādum quòd multis gradibus ascendit aliquis superius. videlicet Primo mundum contemnendo, Philip.3.

Phil.3. Quę retro sunt obliuiscens in.an.me.ex. In eodem, Omnia arbitratus sum q.ster.&c. Secũdo carnem spiritui subiiciendo. Naum vlt. Intra in lutum, & calca. 1. Corin. 9. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo. Tertio animum ad sui considerationem colligendo. Ierem.31. Statue tibi specula. Discipuli receperunt spiritum sanctum in superiori parte cenaculi. Actuum 3. Quarto statum perfectionis assumendo. Mat. 6. Estote perfecti sicut & pa.v.ce. Quinto superna contemplando. Esa.58. Sustollam te super altitudinem terræ: & cibabo te hæreditate Iacob patris tui. Sexto eterna apprehendendo. Tunc audietur verbum istud, Amice, ascende superius.

Dominicæ xviij. post trinitatem,

SERMO PRIMVS.

AVdientes pharisei quòd Iesus silentium imposuisset saduceis: cõuenerunt in vnum, &c. Magister quod est mandatum mag. in lege. Mat.22.

In Euangelio hodierno saluator commendat nobis dei & proximi dilectionem. Et instruit fidem. Dilectionẽ dei & proximi commendat hoc quòd dicit in his duobus mãdatis, Diliges, &c. totam legem & prophetas, &c. Asserens mandatum de dilectione dei esse maximum & primum mandatum: mandatum vero de dilectione proximi esse simile illi. Fidẽ vero instruit in hoc quòd auctoritate ipsius Dauid ostendit Christum dominum esse ipsius: qui tamen secundum carnem filius eius est. Vnde relinquitur quòd secundum aliam naturam sit dominus eius, scilicet secundum diuinam. & sic patet quòd est deus homo. Circa primum notandum quòd sicut legitur Ecclesiasti.35. Salutare sacrificium est attendere mandatis, Salutare, id est, causa salutis. Cum aliis sacrificiis potest homo damnari, etiam cum sacrificio altaris: cum hoc non. vnde 1. Reg. 15. Nunquid vult dominus holo.& vi.& non mag.vt o.v.d. Maxime vero attendendum est mandatis de dilectione dei & proximi

proximi quadruplici ratione. Prima est: quia in illis est quasi abbreuiatio legis. Hieroni. Hæc sententia abbreuiarium totius iustitiæ dominico ore profertur. Aug. Si non vacat omnes paginas perscrutari, omnia inuolucra sermonum euoluere, omnia secreta scripturarum penetrare: tenete charitatem, vbi pendent omnia. Idem in lib. de disciplina Christiana, Vt nemo excusationem habeat in die iudicij, voluit deus sicut scriptum est consummare & abbreuiare verbum super terram. Hoc ipsum verbum consummatum & abbreuiatum nõ obscurum esse voluit, imo breue, ne non vacaret legere. Ideo apertum ne quis dicat, Nõ mihi licuit intelligere. Thesaurus est magnus diuinarum scripturarum. Hic thesaurus absconditus est in agro. Si piger eras ad perscrutandum thesaurum: non sis piger vnã margaritam sub lingua ferre: & quo vis securus ambula. Hæc est margarita ista, Diliges dominum, &c. Secundo propter facilitatem quæ in duobus attenditur. Primo in hoc quòd nullus potest se excusare ab eorum impletione. Nec paupertate nec corporis infirmitate: nec alio impedimento, sicut à datione eleemosinæ vel ieiunio. Deut. 30. Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie non. s. t. &c. De his duobus mãdatis spiritualiter potest intelligi illud 1. Io. 5. Et mandata eius g. n. s. Secundo in hoc quòd quicquid fertur super iugum amoris, leue efficitur. Mat. 11. Iugum meum suaue est: & o. m. le. Aug. Ob sæua & immania prorsus facilia & prope nulla facit amor. Vnde Aug. comparat charitatem bigæ dicens, Quod iumentum per se non veheret, vehit in biga dupplicatum. Videbãtur Iacob dies pauci præ a. me. Gen. 29. Ber. O iugum sancti amoris, quam gloriose laqueas, quam suauiter præmis, quam dulciter pungis. Tertio propter gratitudinem dilectionis. Dilectio quæ charitas est, gratissima est deo. Ipsa est gratia gratiarum. Sine ipsa aliæ gratiæ non sunt gratæ deo: sine ipsa nullum opus gratum est deo. Quicquid vero ex ea procedit gratum est deo. Prouin. 8. Ego diligentes me d. Specialiter vero diligit ipsam dilectionem qua ipse diligitur. Et super illud, Exultate iusti in do. dicit Glo. Placet deo cui placet deus. Specialiter vero placet ei id quo ipse placet, scilicet amor. Quarto propter dilectionis vtilitatẽ. Dilectio super omnia, vtilis est homini. Augusti. Attende

quan

quanta est charitas:quæ si desit,frustra habentur cetera.Si autem assit, habentur omnia, scilicet vel in se vel in aliis. Item, Aug.Vbi charitas est,quid est quod possit obesse:vbi autem non est,quid est quod possit prodesse?1.Cor.13.Si distribuero in.ci.p.o.f.m.c.a.n.h.&c. Secundum Glo. sic exponitur hoc præceptum, Diliges d.&c. Ex toto corde, id est ex toto intellectu,vt nullum in confessione diuinitatis relinquas locum erroris. Ex tota anima tua,id est,ex tota voluntate,vt nihil ei cõtrariũ velis. Et in tota mente tua, id est,memoria, nihil reminiscens quo minus de deo sentias.Alter etiam potest exponi sic. Tria sunt, quæ nos retrahunt ab amore dei,scilicet Diabolus per suggestiones: Mundus per tribulationes: Caro per delectationes. Contra hęc tria debemus diligere deum tripliciter,scilicet Sapienter,ne suggestionibus Diaboli seducamur. Dulcitur, ne delectationibus carnis opprimamur. Fortiter, ne pressuris mundi opprimamur. Hoc est maximum & primum mandatum. Notandum quòd inter affectiones animæ dignior est dilectio.Ber.super Cant. Solus est amor ex omnibus animæ motibus & sensibus, in quo potest creatura & si non ex æquo, suo respondet actori:vel de simili mutuam repẽdere vicem. Et si minus diligit creaturam quoniam minor est:tamen si ex toto se diligit, nihil deest vbi totum est. Tullius, Omnibus rebus humanis anteponẽda est amicitia,Idem.In hoc præstat amicitia propinquitate: quoniam ex propinquitate beneuolentia tolli potest,ex amicitia non potest:sublata enim beneuolentia, nomen amicitię tollitur,propinquitatis manet.Ad Colo. Super omnia hæc chari.cõ.ha. Aug.Respice ad munera ecclesiæ: & vniuersis excellentius charitatis munus cognosces. Dilectio est vnitio amantis & amati:& quantum est vniri deo & secundum se totum.Patet 1.Corin.6. Qui adhæret deo, vnus spiritus est cum eo.Bene ergo dicitur maximum esse mandatum illud,Diliges do.&c.Est etiam primum. Fons enim amoris debet nasci in alto:vt deus primo ametur deinde amor ad alios deriuetur. Deus amandus est propter se & alia propter deum.Augu.Domine minus te amat,qui aliquid præter te amat, quod non propter te amat. Amor pondus est trahens animam ad proprium locum, scilicet deum.Aug.Amor meus pondus meum. Amor secundũ

Dyoni

Dyonisi. est vncus sursum agens ad id quod ipsum solum propter seipsum solum est pulchrum & optimum. Secundum simile est huic quia simile præcipit, scilicet dilectionem in similem materiã, scilicet in hominem ad dei similitudinem creatum. Sed modus differens est. Qui determinatur, cum dicitur, sicut teipsum. Quod tripliciter potest intelligi. Primo sic. Id diligas in proximo, quod debes diligere in teipso, scilicet naturam, dei ymaginem & similitudinem. Augu. Sic diligẽdi sunt homines, vt eorum vicia non diligantur. Secundo sic, id est, eo ordine quo teipsum scilicet, infra deum & super omnia temporalia: Quod non facit auarus, qui temporalia proximo pręponit. Prouerb. 12. Qui negligit dam. p. a. iust. est. Tertio sic, id est ad id ad quod teipsum, scilicet ad gloriam æternam, non ad honores temporales: sicut amant prælati consanguineos suos. Et notandum quòd ignis fraterni amoris his indiciis se manifestat, scilicet malorum compassione: bonorum congratulatione: debitorum dimissione. Et rerum subuentione. De primo 2. Cor. 11. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scanda. &c. De secundo, eiusdem 13. vbi dicitur de charitate, Congaudet autem veritati. & Luc. 15. Congratulamini mihi &c. De tertio. Mat. 6. Dimitte nobis dę. no. si & n. d. d. no. &c. De quarto 1. Io. 3. Qui habuerit substanciam huius mundi: & vi. f. s. ne. h. &c. In his duobus mandatis: to. lex p. Mandata primæ tabulæ pertinent ad dei dilectionem. Si vis loqui de 10. mandatis, require in illo sermone epistolarum, Abrahæ dictæ sunt pro. &c. Domica 13. Aliam materiam sermonis dę hoc verbo, Diliges dominum deum tuum. require supra, Dominica 13. Si vis loqui de his quæ incitant ad amorem dei & proximi: vel de modo amandi deum & proximum: vel de signis amoris: require de his in tractatu de charitate.

Dominicæ xix. post trinitatem,

SERMO PRIMVS.

ASCendens Iesus in nauiculam. &c. Matth. 9. transfretauit de terra Genes

rasenorum, & venit in ciuitatem suam, scilicet Capharnaum. vt habetur Marc. 2.

Quare autem Capharnaum dicatur ciuitas Christi. ostendit Augu. in libro de concordia euangelistarum his verbis: Quis dubitet Capharnaum esse ciuitatem domini, quam non nascendo, sed miraculis illustrando suam fecit. Ascendens Iesus in nauiculam, &c. Mistice nauicula est crux Christi, in qua transiuit amaritudinem dolorum: quæ fuit magna ad modum maris. Tren. 1. O vos omnes qui transitis per vi. atten. &c. Hac venit in ciuitatem suam, scilicet Capharnaum: villam pulchritudinis vel consolationis. videlicet Pulchritudinis quãtum ad intellectum. Consolationis quantum ad effectum. Philippens. 2. Factus obediens vsque ad mortem, &c. propter quòd & Deus exal. il. &c. Nauicula etiam est pœnitentia. Et bene dicitur nauicula diminutiue: cum breuis sit respectu cruciatus æterni. Sapient. 14. Exiguo ligno credunt homines a. scilicet, Hac nauicula transeundum est nobis mare præsentis seculi: vt in ciuitatem cœlestem perueniamus. Et ecce offerebant ei paraliticum. Circa hoc miraculum duo nobis sunt attendenda pertinentia ad ædificationem nostram, scilicet Quare hoc miraculum sit factum. Et quid eo sit designatum. Circa primum notandum quòd huius miraculi & aliorum quæ facta sunt à saluatore, duæ fuerunt causæ, scilicet Vtilitas nostra: & Dei gloria. Vtilitas huius miraculi ostenditur ibi, Vt autem sciatis, &c. Voluit dominus hoc miraculo potestatem suam ostendere, vt sic fidem in nobis astrueret. Alia causa ostenditur ibi, Videntes autem turbæ timuerunt & glorificauerunt Deum. Propter easdem causas miracula scribuntur: & fidelibus recitantur. Ioan. penultim. Hæc autem scripta sunt vt credatis. Tob. 12. Opera Dei reuelare & confiteri honorificum est. Cùm fideles audiunt miracula Christi recitari, debent in fide confirmari & incitari ad Deum glorificandum. Circa significationem huius miraculi duo nobis sunt attendenda, scilicet Quid per hunc paraliticum designetur: & quomodo ipse curetur, vt sic modus curationis spiritualis paralisis indicetur. Circa primum notandum quòd paraliticus iste significat specialiter homines voluptuosos deli-

ciis aſſuetos. Paraliſis enim habet fieri ex immoderato cibo & potu.

Paraliſim vero ſpiritualem quatuor mala comitantur, ſicut & corporalem. Primum eſt tremor. Homines ei aſſueti deliciis crederent ſe eſſe mortuos ſi vna die abſtinerent à deliciis conſuetis. Geneſ. 25. An morior, ait Eſau. Quid mihi proderunt primogenita? & Luc. 10. dicit filius prodigus, Ego autem hic fame pereo. Tales trepidauerũt vbi non erat timor. Secundum eſt inſenſibilitas. ſicut enim in paraliſi corporali conſtringuntur nerui ex frigiditate vel opilantur ex humiditate : vel ceſi ſunt : & ſic impeditur tranſitus ſpirituum ad inſtrumenta ſenſuum. & ſic fit vel priuatio ſenſus vel diminutio: ita etiam eſt in paraliſi ſpirituali. Humiditate enim deliciarum impeditur ne ſpiritusſanctus intret ad cor hominis : & ideo inſenſibilitas eſt ibi. Nõ ſentit enim homo vulnera ſpiritualia vel damna: qui tamen damna temporalia bene ſentiret. Multum doleret ſi amitteret obolum. Ad morſum etiam vnius pulicis multum iraſceretur. Vulnus autem peccati mortalis non ſentit. Prouerb. 23. Verberauerunt me & n.d. trax. m. & e. n. ſ. Et ſciendum eſt quòd triplex eſt inſenſibilitas. Prima eſt inſenſibilitas propriorum defectuum. Hanc facit ſuperbia, vt econtrario humilitas eſt ſenſus propriorum defectuum. Pſalm. Si non humiliter ſentiebam. Secunda eſt inſenſibilitas alienæ miſeriæ quam facit auaricia vel immiſericordia. Econtrario pietas ſentit alienas miſerias. 1. Corinth. 12. Si quidem patitur vnum membrum com. o. m. & c. 2. Corinth. 11. Quis infir. & ego, &c. Tertia inſenſibilitas eſt diuinæ ſuauitatis. Hanc facit immundicia ſecundum carnem quæ facit hominem quaſi porcum vt ei ſapiant ſtercora & non aromata. Tren. 4. Qui nutriebantur in croceis: am. ſ. ſter. Coloſſ. 3. Quæ ſurſum ſunt ſa. &c. Econtrario mundicia præparat ad ſentiendum Dei ſuauitatem. Matth. 5. Beati mundo corde, &c. Prouerb. 22. Qui diligit cordis mundiciam propter g. l. ſ. ha. a. re. Regem inquam cœleſtem adeo vt ad eius oſculum recipiatur, labia interiora ſunt affectus & intellectus quibus anima domini oſculatur. Tertium malum eſt immobilitas. Sicut enim neruo conſtricto vel opilato vel leſo priuatur paraliticus à motu vel in toto vel in parte: ita & hic. Vnde qui habet

habet paralisim piger est ad omne bonum. Prouerb. 21. Desideria occidunt pigrum: noluerunt quicquam manus eius operari. Quartum malum est mollicies quędam quasi non dissoluitur homo interior in aquis deliciarum. Et attenditur hæc mollicies in hoc quòd talis cedit omni duro. Nihil enim graue sustinere potest. Hierem. 30. Vsquequo dissolueris deliciis filia vaga. Ezech. 7. Omnes manus dissoluentur. Pouerb. 18. Qui mollis est & dis. in o. f. f. est f. o. d. Et sicut paralisis corpus vel membrum inutile reddit: sic qui habet paralisim spirituale quasi inutilis est. Iob 15. Quanto magis homo abominabilis & inutilis, &c. Circa modum sanandi notandum quòd saluator noster sex fecit sanans paraliticum istum. Primo offerentium eum fidem respexit. Hierem. 5. Domine oculi tui prospiciunt fidem. Prospiciunt inquam respectu misericordiæ. Secundum est quòd paraliticum filium vocauit. Gloss. Humilis Deus filium vocat quem sacerdotes dedignarentur tangere: vel modo dimissis peccatis filius. Et in hoc exemplum dat his qui sunt in prælatione non despiciendi inferiores. Sen. Serui sunt, immo homines. Serui sunt immo humiles amici. Idem, Colant te potius serui quam timeant. Non sit homini parum quod Deo satis est qui colitur & amatur. Ecclesiastic. 33. Si est tibi seruus fidelis, sit tibi quasi a. t. quasi fratrem sic tracta eum. Seneca, Sic cum inferiore viuas quemadmodum superiorem velis tecum viuere. Item, In hoc quòd filium vocat paraliticum dat exemplum vt non despiciatur in aduersitate qui propinquus habebatur in prosperitate. Qui amatur sanus amãdus est infirmus. Qui amatur bonus amandus est malus quasi spiritualiter infirmus. Vnde compassio debetur ei. Boetius in libro consola. Apud sapiẽtes nullus prorsus locus odio relinquitur. Nam bonos quis stultissimus oderit? Malos vero odisse ratione caret. Nam sicut corporis languor: ita viciositas quasi quidam morbus est animorum. Tertium est quòd ad confidentiam monuit, dicens, Confide. &c. Quæ multum valet ad impetrandum illud quo homo indiget. Psal. Quoniam sperauit in me, li. e. Hierem. 18. Benedictus vir qui confidit in domino. Talis est sicut arbor benedicta plantata iuxta fontem diuinæ bonitatis: vbi habet radicem cordis. vnde ibidem legitur, Erit tanquam lignum

quod tranſplãtatur ſuper aquas. Quartum eſt quòd prius animam quam corpus ſanauit: & conuenienter cum infirmitas animæ eſſet cauſa infirmitatis corporis. Ceſſante autem cauſa, ceſſat effectus. Ideo medicus infirmum prius debet monere vt prius cogitet de ſalute animæ: ne infirmitas animæ impediat eius operationem circa ægrum. Alioquin videtur omittere aliquid eorum quæ pertinent ad curationem ægri. Cum iumentum percutitur, videtur agnoſcere quòd percutitur, vel quia extra viam eſt, & ponit ſe in via: vel quia lente incedebat, & meliorat paſſum ſuum. Similia his debet agnoſcere qui à Deo percutitur: ſi non eſt inſipientior iumẽto. Vnde, Si eſt in mortali: debet pœnitere. Si extra mortale: debet plura bona facere. Et notandum quòd ſecundum Gloſſ. Bed. Infirmitates quinque modis contingunt. Primo vt merita iuſtis per patientiam augeantur: vt Iob. 2. Item ad cuſtodiam virtutum: vt in Paulo 2. Corinth. 12. Tertio ad corrigenda peccata: vt Mariæ lepra. Nu. 12. & hic paralitico iſti. Quarto ad gloriam Dei vt ceco nato. Ioan. 9. & Lazaro eiuſdem. 11. Quinto ad initium pœnæ vt Herodi. Act. 12. Quatenus hic videatur quid in inferno ſequatur. Quintum eſt quòd duplici ratione ſe non blaſphemare oſtendit. Primo per hoc quòd cogitationes eorum videt. Secundo per hoc quòd dicto facit vt paraliticus ſurgat & ambulet. Opus enim & modus operandi manum ſiue virtutem oſtendit. Bernard. loquens de Chriſto, Eadem inquit manu qua fecerat, quæ defecerunt reficiebat. De omnibus dixit & facta ſunt. Dicto etiam infirmos curabat & mortuos ſuſcitabat. Apoſtoli in nomine eius hoc faciebant. Act. 3. In nomine Ieſu Chriſti Nazareni, ſurge & ambula. Chriſtus vero non in nomine alterius: ſed ſolo imperio mortuos ſuſcitabat. Luc. 7. Adoleſcens tibi dico ſurge. Marc. 5. Puella tibi dico, ſurge. Sextum eſt quòd dicit ei, Surge, tolle lectum tuum. Non ſic per medicos ſanitas redditur, vt tam cito fortitudo habeatur. Ecce offerebant ei paraliticum. Luc. 5. ſic habetur, Ecce viri portantes in lecto hominem qui erat paraliticus, quærebant eum inferre & ponere ante eum: & non inuenientes qua parte ponerent præ turba, aſcenderunt ſuper tectum, & per tegulas ſubmiſerunt eum. Hi quatuor viri intelligi poſſunt doctores eccleſiæ, qui pec-

catorem

catorem portant, subleuant & ante Iesum ponunt. Hoc est triplex officium prælati. Portare debet prælatus subditum. vnde currus dicitur 4. Reg. 2. Pater mi, currus Israel, & auriga eius.

Portat prælatus subditum multipliciter. Primo orando. Vnde dixit Saul Samueli, Porta quæso ini. m. Secundo compatiendo 2. Corinth. 11. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Tertio curam & sollicitudinem habendo. Numer. 11. Cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me? Quarto cibo spirituali sustentando. Esa. 66. Ad vbera portabimini, &c. Debet etiam prælatus subditum suum leuare spem veniæ ei dando, ostendendo Dei misericordiam paratam esse ad recipiendum, vt patet, Luc. 15. de susceptione filij prodigi reuertentis. Debet etiam eum ponere ante Iesum, eũ reconciliando. Sed multi proniores sunt ad tradendum eos sathanæ per excommunicationem. Ioan. 16. Absque synagogis facient vos. Eiusdem 9. Iam conspirauerunt Iudæi vt si quis confiteretur ipsum esse Christum, extra synagogam fieret. Tectum potest intelligi, obseruatio consiliorum. Matth. 24. Qui in tecto est, nõ descẽ. &c. Per tectum ante Iesum ponitur qui turba impediente ad eum deferri aliter non poterat: quoniam multi religionem intrando consilia obseruant: qui manentes in sęculo pręcepta seruare non poterant. Qui non poterat cauere ne raperet aliena, abiicit propria. Turba vero impediens triplex est: videlicet, Turba cogitationum strepens interius & conculcans terram cordis, ne aliquid bonum ibi germinet. Item, Inquietans exterius, scilicet multitudo negociorum. Luc. 10. Martha Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima. Et cognatorum. Iob 21. Propinquorum turba in conspectu eorum. Turba impedit paraliticum ne ante Iesum ponatur vt hic habetur: & languidum ne Iesum agnoscat. Ioannis 5. Cecos etiam increpat vt taceant. Matth. 20. Zachæo vero obstat ne Iesum videat. Lucæ 19. Retardat parentes adire Iesum. Matth. 3. Differri facit suscitationem puellæ. Matth. 9. Prorogat illuminationem cæci. Matth. 8. Vel quatuor portitores possunt intelligi quatuor quæ peccatorem ad Iesum adducere solent. Primum est consideratio propriæ fragilitatis. Iob 17. Putredini dixi, Pater meus es, &c. Se-

cundum est onus propriæ iniquitatis. Psalm. Iniquitates meæ. si o.&c. Tren. 1. Conuolutæ sunt & impositæ collo meo. Tertium est consideratio beneficiorum dei. Esaiæ 64. Laude mea infrenabo te, ne intereas. Quartum est consideratio suppliciorum inferni. Esa. 31. Quis poterit ex vobis habitare cum igne deuorante, & cum ar. s. Vel isti quatuor adducentes paraliticum possunt intelligi ista quatuor scilicet, Auditus prædicationis. Matth. 26. Petrus amare fleuit ad vocem galli. Item actuum 2. His auditis compũcti sunt corde, &c. Orationis assiduitas. Actuum 12. Petrus liberatus est à carcere: pro quo fiebat oratio sine intermissione. Eleemosynarũ largitio. Dan. 4. Peccata tua eleemosinis redime. Tribulationũ multiplicatio. Psal. Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt. Num. 20. Eleuans Moyses manum, percussit virga bis silicem, & egressæ sunt aquæ largissime. Duricies quæ non frangitur prima tribulatione, frangitur secunda. Surge, tolle lectum tuum, &c. Lectus est peccatum, in quo homo quiescit cum in eo delectatur. Ab hoc lecto surgit cũ peccatum deserit. Lectum portat cum peccatum est ei oneri & dolori: quod prius fuit ei quieti & delectationi. Ab hoc lecto sine dilatione esset surgendum. Luc. 5. Et confestim surgens, &c. Primo quia in eo non quiescitur verè: sicut nec in spinis. Micheæ 2. Surgite & abite: quia non habetis hic requiem. Secundo propter lecti huius immundiciam. Longe enim maior est immundicia peccati: quacunque immundicia corporali. vnde Magna est corruptio spiritus humani qui potius vult morari in immundicia peccati: quã surgere inde. Et qui debuit habere lectulum floridum: Cant. 1. vult habere sordidum. Tertio propter imminens periculum. Iusticia enim dei tenet gladium euaginatum super iacentem in lecto isto: comminans ei mortem nisi surgat. Iob 19. Fugite à facie gladij: quoniã vltor iniquitatis gladius est. Quarto propter verecũdiam. Spectaculum enim est peccator iacens in hac immundicia & angelis, & dæmonibus, & hominibus 1. Cor. 4. Spectaculum facti sumus mundo, & angelis, & hominibus. Item, Notandum quòd peccator tres habet lectos in quibus vult quiescere. Primus est superbiæ. Abdias 1. Si exaltatus fueris vt aquila, & inter sydera posueris nidum tuum: inde

Lecto peccati cõfestim esset surgendum.

extra

extraham te. d. d. Iſte lectus videtur eſſe honoris: ſed cito honor eius in contumeliam commutabitur, quia in ſterquilinum. Iob 20. Si aſcenderit in cælum ſuperbia eius & caput eius nubes tetigerit: quaſi ſterquilinium in fine perdetur. Secundus lectus eſt voluptatis: in quo videtur eſſe quies & delectatio: ſed plus eſt ibi amaritudinis. Vnde Prouer. 8. Intexui funibus le.m. ſubditur, Aſperſi cubile mirrha & aloe, & cynnamomo. Duo nominantur amara, ſcilicet, Mirrha & aloe. Vnicum grati ſaporis, ſcilicet, cynnamomum. Tertius lectus eſt auariciæ qui habet pro cultura ſpinas diuitiarũ. Qui lectus eſt doloris non quietis: licet aliqui ex diuturnis punctionibus inſenſibiles facti cruciatum non auertant. Iob. 30. Eſſe ſub ſentibus delicias reputabant. Vade in domum tuam, ideſt, in eccleſiam, per ſacramentorum perceptionem, quia qui fuerint extra, peribunt. Gen. 7. Omnes qui extra archam inuenti ſunt, diluuio perierunt. Exod. 9. Quicquid fuerit in agris grandine percuſſum periit. Et Ioſ. 6. Quicquid extra domum inuentum eſt, gladio interiit, vel In domum, ideſt in cælum per iugem meditationem. Prouer. 1. Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum. Beda, Facile vitat laqueos in terris, qui ſemper habet oculos in cælis. vel In domum tuã, id eſt in propriam conſcientiam non alienam, curioſe diſcutiendo eam. Sap. 8. Intrans in domum meam conquieſcam: & non curſitabo per aliorum conſcientias. Eccleſiaſtici 29. Vita nequam hoſpitandi de domo in domũ. Et 21. eiuſdem. Quidam ſunt velut hiſtriones quibus peius eſt in domo propria, quaſi alienis: vel in domum tuã, ſcilicet, corporis vtilitatem & fragilitatem eius conſiderando. Hoc enim multum valet ad humilitatem. vnde Naum 3. Intra in lutum & calca. Ber. O anima, domum habes: ſed cito caſura eſt domus tua: & niſi tibi prouideris, ventis & pluuiæ exponeris.

Dominicæ xx poſt trinitatem, Ser. primus.

Simile factum eſt regnũ cælorum homini regi qui fecit nuptias filio ſuo, &c. Matth. 22.

Circa hãc parabolam à domino propoſitam, ſex nobis

considerãda sunt, videlicet Quæ sunt hæ nuptiæ. Quis sponsus. Quæ sponsa. Quod prandiũ nuptiarum. Qui sint inuitati qui ad nuptias non venerũt. Quis fit ille qui propter defectũ vestis nuptialis, à nuptiis expellitur. Nuptias istas intelligimus coniunctionem Christi & ecclesiæ per sacramentum incarnationis factam. Hæ nuptiæ celebratæ sunt in vtero virginali. vnde Greg. Nuptialis thalamus est virginalis vterus. Psal. Ipse tanquam sponsus procedens, &c. Iste thalamus fuit eburneus. Psal. A domibus eburneis ex quibus dele. te. fi. reg. in ho. tuo. Sponsus harũ nuptiarũ est filius regis. De quo in Psal. Deus iudicium tuum regi da, & iusticiam tuam filio regis. Sponsa vero est, ecclesia, quæ hic regnũ cælorum dicitur. Ipsa enim cælum dicitur propter dei inhabitationem. Matth. vlt. Vobiscum sum vsque ad consommationem seculi Io. 15. Ad eum veniemus & mansionẽ apud eũ faciemus. Luminositatẽ. Sunt enim in ea viri sancti habentes cælestis sapientiæ claritatem: & honestatis splẽdorem. Phil. 2. inter quos lucetis quasi stellæ in firmamento: verbum vitæ continentes. Matth. 5. Vos estis lux mundi. Vitæ sublimitatem. Sicut enim cæli exaltãtur à terra: sic exaltata est à terrenis per contemptum eorum. Regnũ vero dicitur quia in ea Deus dominatur. Prãdium harum nuptiarum est refectio spiritualis quã habet ecclesia in præsenti. Cæna erit refectio quæ erit in futuro. In prãdio refectio iniciatur: in cæna cõsummatur. De qua consummatione legitur Apoc. 19. Venerunt nuptiæ agni & vxor præparauit se in byssino splendente candido. Byssini enim sunt iustificationes sanctorũ. Et dixit mihi, Scribe. Beati qui ad cænam nuptiarum agni vocati sunt. Et notandũ quod in nuptiis mundi matutinale conuiuium maius est vespertino. In nuptiis vero Christi econuerso est. Ad conuiuium matutinale harum nuptiarũ ista pertinent. De fide incarnationis gaudere. Scripturis sacris refici. Sacramenta percipere. In spe cænæ consolationem habere. Et possumus hic distinguere quadruplex cõuiuium, videlicet Conuiuium Mundi, Fidei, Cæli, Inferni. Primũ significatum est per conuiuium quod fecit Balthasar rex Babylonis, Dan. 5. In hoc conuiuio apponuntur deaurata sed venenata. Ier. 51. Calix aureus Babylonis. De secundo conuiuio habetur hic quod significatum est Exo. 25. per mensam

ſam ſuper quã ponebãtur duodecim panes propoſitionis. De tertio conuiuio habetur Eſa. Faciet dominus in monte hoc om.po.cõ.pin.&c.Pſal.Torrẽte voluptatis t.po.e.&c. In quarto conuiuio erit panis lapideus,& vinum felleum. vnde Prouerb.20.Suauis eſt ho.pa.m.ſed os eius implebitur calculo.Deut.33.Fel draconum vinum eorum, &c.

Ad nuptias iſtas inuitati ſunt,Primo Iudæi tanquã noti & de parentela ſponſi.Deinde illis nolẽtibus venire, gentiles velut extranei. Et notandum quòd quatuor ex cauſis aliqui inuitati ad has nuptias:non veniunt ad eas. Prima eſt error vel defectus fidei.Ad quod pertinet illud,Nolebant venire,ideſt credere. Hoc impedimentum eſt in eis qui non credunt ea quæ non vident.Non attẽdentes quòd etiam de parentibus carnalibus non poteſt haberi cognitio niſi per fidem. Quomodo tales poſſunt credere quòd aliquis eos genuerit,cum hoc non viderint?Hæc incredulitas multum diſplicet deo.Eccleſiaſti.15. In gẽte incredibili exardeſcet ira. Apoc.21.Timidis autem & incredulis, &c.Pars illorum erit in ſtagna ardente igne & ſulphure. Secũda cauſa eſt defectus amoris veri boni.Ad quòd pertinet illud,Illi autem neglexerũt.Interlin.ſuæ ſalutis præconium.Et notandum quòd negligentia iſta apparet eſſe reprehẽſibilis.Primo per hoc quòd tauri & altilia dicũtur eſſe occiſa.valde enim miſer eſt qui nihil vult facere pro propria ſalute:pro qua Deus tot & tanta fecit. Inſinuatur etiam in hoc quòd ſi non venerint ad nuptias : requirentur ab eis multæ expenſæ pro eis factæ.Requiret enim dominus mortẽ ſuam & ſanctorum ab his,qui ad nuptias no lunt venire. Pro preparatione enim conuiuij nuptialis, ipſe & ſancti occiſi ſunt:Secundo per hoc quòd dicuntur omnia eſſe parata. Iam enim non reſtat niſi ablutio manuum,ſcilicet purificatio operum. Væ illi qui propter pigritiã abluendi manus ſuas amittit talẽ refectionem. Specialiter reprehenduntur qui vndecima hora ocioſi inueniuntur.Vndecima hora eſt tẽpus gratiæ.Tertia cauſa eſt immoderatus amor boni tranſitorij:ad quod pertinet illud,Et abierũt alius in villã ſuã,&c.Hoc impedimentũ eſt in eis qui in ſeruitio mundi adeo occupati ſunt, quòd nec ſibi,nec deo vacare poſſũt:ſed excuſationes prætẽdũt. De quib' dicitur,Luc.14.Nemo virorũ illorũ qui vocati ſunt,

gustabunt cænam meam.Isti deum contemnunt ideo:merito ab eo contemnentur.Esa.38.Væ qui spernis:nonne & tu sperneris?Vnde dicit dominus quòd qui inuitati fuerãt non erant digni.Quarta causa est appetitus alieni mali. Ad quod pertinet illud,Reliqui tenuerunt seruos eius,&c. Hoc impedimentum est in eis qui salutis adiutores reputant hostes qui non possunt audire verbum de liberatione sua:qui periculum suum amare videntur.Vnde non est mirum si ipsi pereant.Ecclesiasti.3. Qui amat periculum, in illo peribit.Hi sunt homines maleuoli pro bonis mala reddentes:ad correctionem non peruenientes. Prouerb. 17.Qui reddit mala pro bonis,non recedet malum de domo illius.Per illum qui à nuptiis expellitur pro defectu vestis nuptialis designantur illi qui habent fidem:sed non charitatem.Charitas enim vestis nuptialis est,quæ operit multitudinem peccatorum.Iac.4. Operit enim turpitudinem nostram 1.Pet.4.Charitas operit multitudinem peccatorum.vel,Vestis nuptialis est fides cordis : vel iusticia operis.Eph. 4. Induite nouum hominem, qui secundum deum creatus est,in iusticia & sanctitate veritatis.Sanctitas ad fidem refertur,per quam mundatur cor.Act.15. Fide purificans corda eorum.Iusticia ad bonam operationem vel,Vestis nuptialis est grata & sancta conuersatio. Hæc vestis est in virginibus candida:in martyribus purpurea: in pœnitentibus violacea.

Sed nota quòd quidam habent vestimenta lutosa,vt luxuriosi:alij sanguinea,vt raptores & vsurarij:alij puluerulẽta,vt cupidi:alij fumo obscura,vt superbi.Omnibus istis imminet dãnatio tanquam qui induti sunt non debita veste.Sophon.1.Visitabo super omnes viros qui induti sunt veste peregrina. In ecclesia militanti mixti sunt reprobi cum electis,sicut in area sunt grana cum paleis. Et in archa Noe fuerunt animalia immitia cum mitibus. Genes. 6.Gregor.Bonus non fuit, quem malorum prauitas non probauit.Mali miscentur bonis:quia nequaquam perducitur ferrum animæ nostræ ad subtilitatem acuminis: si hoc non eraserit lima alienæ prauitatis. Sed visitabit Deus discumbentes: & expellet vestem nuptialem non habentes. Sophon. 1. Visitabo super illos qui induti sunt veste peregrina. &c. Tunc dicet cetui reproborum,

qui

qui per vnum intelligitur propter colligantiam in malo quam habent, sicut vulpes Sausonis, Iud. 15. Quomodo huc intrasti, &c. Quasi admiratur dominus inueniens aliquem in ecclesia sine veste charitatis.

Huius admirationis possunt esse quinque causæ. Prima est quòd dominus tantum expendit vt sponsa sua ecclesia hanc vestẽ haberet. Cum aliæ vestes fiant vel de pilis animalium, vel de corticibus herbarũ, vel de visceribus vermium, vt vestes sericæ: huic vesti voluit dominus materiã ministrare quasi de visceribus suis, cum lateris sui apertione amorem suum nobis ostendit. Ber. Clauus penetrãs clauus reserans factus est mihi vt videam voluntatem domini. Quid ni videant per foramẽ? Clamat clauus: clamat vulnus. Item Ber. Patet archanum cordis per foramen corporis. Secunda est quia ecclesia scit hanc vestem summe placere sponso suo. Vnde vestem inconsutilem, quæ erat figura huius vestis, noluit diuidi Ioan. 19. licet permiserit corpus suum perforari. Augu. Tunicam hominis Iam iudicati in cruce pendentis carnifices pylati non sunt ausi conscidere: & tu niteris charitatem dei: immo charitatem quæ deus est separare? Tertia est quòd istam vestem ostẽsura est ecclesia in illa magna curia: & nescit qua hora debeat vocari. Mat. 25. Media nocte clamor factus est. Ideo semper deberet esse parata. Eiusdem 24. Et vos estote parati: quia qua hora non putatis filius hominis veniet. Sed sunt qui tunc primo volunt ordiri hanc vestem: quãdo deberet succidi. Esa. 38. Dum ad huc ordirer succidit me. Qui discretus est, quærit lanam & lignum. Lana & lignũ sunt beneficia nobis à Christo exhibita. Quarta est quòd ecclesia scit quòd si hæc vestis ei defuerit: turpitudo eius toti mundo manifesta erit. Prou. 10. Vniuersa delicta operit charitas. Apoc. 16. Beatus qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, &c. Quinta est quòd ecclesia scit quòd non licet alicui intrare regnum cælorum sine hac veste. Non licebat intrare aulam Assueri indutum sacco. Hester. 4. Saccus est timór seruilis quo nemo intrat in regnum cęlorum. Et notandum quòd charitas dici potest vestis nuptialis: quia nuptiæ Christi & ecclesiæ specialiter charitatem requirunt. Sicut matrimonia fieri solent ad amicitias acquirendas: vel augendas: sic matrimonium filij dei in incar

incarnatione contractum factum est ad dilectionem dei in homine augendam. Filius enim dei factus est in incarnatione amabilis nimis. Ber. Loquens de filio dei incarnato, Non hoc loco inquit prædicatur magnus dominus & laudabilis nimis: sed paruus deus & amabilis nimis. Paruulus vtique quia natus est nobis. Qui prius erat pater, factus est frater: & qui prius erat dominus, factus est socius. Ipse iam est nobis omne amabile. Tripliciter est aliquid amabile, scilicet Vel ratione attinentiæ: Vel beneficij exhibitione: Vel quia delectabile. Ipse caro nostra & frater noster est. Ipse seipsum dedit nobis. Ber. Multũ meruit de nobis qui immeritis dedit seipsum nobis. Delectationes etiam sunt in dextera eius vsque in finem. Ad amabilitatem etiam facit quòd humanam naturam suæ associare voluit in eadem persona in perpetuum non separandam. Quomodo enim maius signum amoris nobis ostendere potuit?

Sermo secundus de eodem.

AMice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? &c.

Loquitur Christus habenti fidem, non charitatem. Et primo ostenditur gratia à Christo ei exhibita. Secũdo arguitur impudẽtia ingrata. Tertio pœna subditur. Primum ibi, Amice. Secundum ibi, Quomodo huc intrasti &c. Impudentia reprehenditur ibi, Quomodo huc in. Ingratitudo ibi, Non habẽs vestem nuptialem. Ingratus enim fuit qui reamando vicem non reddidit. Pœna ibi subditur, At ille obmutuit. Amice inquam pro quo tanta feci, tanta dixi, tanta sustinui.

Amice, pro quo Feci creaturas: Dixi scripturas: Sustinui pœnas: Feci mirabilia: Dixi vtilia: Sustinui crudelia. Ad primum pertinet illud Psalm. Mirabilia opera tua domine, &c. Ad secundũ illud Ecclesiastici. 1. Omnis sapientia à domino deo est. Esayę 48. Ego dominus deus tuus, docens te vtilia. Ad tertium illud Philip. 2. Mortem autem crucis. Sapientiæ 2. Morte turpissima condemnemus eum.

Item, Quomodo huc intrasti? scilicet, Quomodo nomẽ

Christiani

Chriſtiani vſurpaſti,cuius rem non habuiſti? Quomodo locum in eccleſia occupaſti,quo indignus fuiſti?Quomodo habitum tibi non competentem detuliſti? Ad primum poteſt referri illud Exod.20. Non aſſumes nomen dei tui in vanum.Ad ſecundũ illud,Eſaiæ 22.Quid tu hic,aut quaſi quis hoc loquitur ad præpoſitum templi. Ad tertium illud Mat.8.Attendite à falſis prophetis,qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium,&c.Pœna vero quę ſubditur,duplex eſt,ſcilicet Verecundiæ,& alterius moleſtiæ.Prima ibi: At ille obmutuit.Greg. Tunc obmuteſcemus qui nunc operis mali excuſationes prætendimus. Nõ dabitur nobis locus audientiæ:vbi nos arguent propriæ conſcientiæ. Idẽ, Omne argumentum ceſſat excuſationis: quippe quia ille foris increpat, qui teſtis conſcientiæ intus animam accuſat.Iere.29.Ego ſum teſtis & iudex, dicit dominus. De altera pœna habetur ibi,Ligatis pedibus &c.Sap.11.Per quæ peccat quis,per hæc & torquebitur.Eccleſiaſt.9. Quodcũque poteſt manus tua facere, inſtanter operare: quia nec opus &c.Prouer.5.Iniquitates ſuæ capiunt impiũm &c.De hoc ſeruit peccator Diabolo dum peccat,quòd ſe ligat & ligatum Diabolo reddit.vnde non eſt mirum ſi in inferno ligatus ſit.Greg.Pedes qui viſitare ægrũ negligunt, & manus quæ nihil indigentibus tribuunt,à bono opere iam ex voluntate ligatæ ſunt. Quæ ergo nunc ſponte ligantur in vitio:tunc in ſupplicio ligabũtur inuitæ.Ibi erit fletus,&c. In fletu calor in ſtridore frigus vocatur.Iob 24. Ad calorẽ nimium tranſient ab aquis niuium. Multi autem ſunt vocati,&c.Origenes ſuper Num.14. Timendum eſt Chriſtianis ne eo numero intrent in regnum cœlorum, quo filij Iſrael intrauerũt terram promiſſionis.1.Corinthi.9. Vnus accipit brauium.Amice &c.Et notandum quòd hæc interrogatio, Amice quomodo huc intraſti.&c.Specialiter poteſt intelligi facta illi qui intrat eccleſiam per ſuſceptionem curæ.De illo valde mirum poteſt eſſe ſi ſine charitate intrat. Ber.Tu frater cui firma nondum propria ſalus eſt: aut charitas adhuc nulla eſt aut tenera:quanam dementia aliena curare vulnera ambis:aut acquieſcis?Aug.Prius vide ſi iam noſti diligere teipſum:& committo tibi proximum ſicut teipſum. Si autem nondum noſti diligere te:timeo ne decipias proximum ſicut te.Si amas iniquitatem: non

non te diligis. Quia qui diligit iniquitatem odit animam suam. Ideo Petrus ter de dilectione requiritur. Ioã. vlti. Vt curam gregis domini nemo suscipere præsumat, nisi gregem prius plusquam sua, plusquam suos, plusquã se, quãtum ad vitam temporalem, diligat. Ioan. 10. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Pastor suscipiendo curam, animam suam ponit pro ouibus suis in pignore: & si necessitas fuerit tenetur morti se exponere pro eis. vnde mira est insania cœcæ cupiditatis quæ non timet curam tam periculosam suscipere & morti se obligare, vt terrena possit acquirere. Item notandum quòd tres quæstiones faciet dominus in iudicio prælato. Prima erit, Amice quomodo huc intrasti? Vtrum, scilicet in prælationem adduxerit eum nummus vel deus. Vtrum ad honorem venerit vel ad onus. Sed multi obmutescent qui non curant hic prouidere sibi de hac quæstione. Improuisi enim de tam perplexa quæstione respondere non poterũt. Secũda erit, Quomodo vixisti, vtrum sicut pastor, aut sicut pecus? Esa. 22. Quis tu hic aut quasi quis? Eze. 24. Væ pastoribus Israel qui pascebant semetipsos, &c. per totum. Tertia erit quomodo rexisti? Vtrum, scilicet te habueris vt pastor aut idolum. Zachar. 11. O pastor & idolum derelinquens gregem, quomodo gregem seruasti? Ierem. 33. Adhuc transibũt greges ad manum minantis. Ezech. 34. Vos greges mei dicit dominus. Exemplũ boni pastoris habes Gen. 31. in Iacob qui dicit ad Laban: Viginti annis fui tecum: oues tuæ & capræ tuæ steriles non fuerunt. &c. Has tres quæstiones simul habes Iudicũ 18. Vbi exploratores de tribu Dan dicebant leuitæ sacerdoti Micheę, Quis te huc adduxit? Quid hic agis? ob quam causam venire voluisti? Et satis competit responsio eius prælatis nostri tẽporis. Dixit enim, Hæc & hæc præstitit mihi Micheas: & mercede me conduxit vt sim ei sacerdos. Pauci enim sunt hodie qui deo gratis seruiant in ecclesia sua. Malachiæ 1. Quis est in vobis qui claudat hostia mea, & intendat altare meum gratuito? Nõ est voluntas mihi in vobis, dicit dominus &c. Non habens vestem nuptialem. Posset intelligi vestis nuptialis duplex vestis: de qua Prouerbi. vltimo, Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus. Et in eodem, Byssus & purpura indumentum eius. Byssus inquam puritatis: & purpura charitatis.

tis.De byſſo habetur Apocalix.19.Vxor agni pre.ſ.b. &c.Si cut nuptiæ iſtæ requirunt purpuram charitatis: ita & byſſum puritatis.Puriſſime enim ſeruanda eſt humana natura.Ex quo diuinæ naturæ fuit aſſociata in Chriſto & ſanguine Chriſti lota. Sponſus eccleſiæ eſt candidus & rubicundus. Cant.5.Et talem decet eſſe ſponſam eius. Poteſt etiam intelligi veſtis nuptialis:veſtis conſtans interius ex vniuerſitate virtutum: exterius vero ex decore honeſtæ conuerſationis.Pars interior multum habet ſuauitatis:exterior multum ſplendoris.De hac veſte dicitur in Pſalmis, Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato.&c. Regina dicitur eccleſia ab vnctione charitatis quã recipit. Synagoga fuit ancilla quæ ſpiritum timoris accipit.Rom. 8.Non enim accipimus ſpiritum ſeruitutis iterum in timore.In hoc verbo,aſtitit,notatur rectitudo & firmitas. Synagoga fuit generatio quæ non direxit cor ſuum. Ad ſtatum ſynagogæ pertinet illud, Miſer factus ſum & curuatus ſum vſque in finem,tota die contriſtatus &c. Sed eccleſia recta eſt ſpe & amore cæleſtium. Ipſa etiam firmiter deo adhæret.vnde Rom.8. Certus ſum quòd neque mors,neque vita &c.poterit nos ſepa.&c. Eccleſia aſtat à dextris, ea quæ in dextera dei ſunt quærens.Pro.3. Longitudo dierum in d.e.Hanc veſtem deauratam facit charitas:variam facit bonorum operum diuerſitas. Decor vero exterioris conuerſationis conſiſtit in qnattuor.Primum eſt membrorum continẽtia.Eſaiæ 33.Qui excutit manus ſuas ab omni munere. Qui obturat aures ſuas ne audiat ſanguinem: & claudit oculos ſuos ne videat malum:ipſe in excelſis habitabit &c.Secundum eſt obedientia mandatorum.Eccleſiaſtici 35.Salutare ſacrificium eſt attendere m.Tertiũ eſt patientia aduerſorum. Luc.21. In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.Quartum eſt fraterna ſocietas.Prouer. 16.Frater qui iuuatur à fratre quaſi ciuitas firma:veſtis iſta dignum facit ingreſſu regni cæleſtis: ſicut veſtimentum mixtum ſanguine erit in combuſtionem & cibus ignis. Eſaiæ.9.

Dominica xxj. post trinitatem,

SERMO PRIMVS.

ERat quidam regulus, cuius filius infirmabatur· Capharnaum, &c. Ioan. 4.

In hoc Euangelio, quod continet sanationem filij reguli, ostenditur Primo instantia præcum patris quæ dedit occasionem sanationis filij. Secundo ipsa sanatio. Tertio manifestatio miraculi. Quarto vtilitas miraculi. Primum ibi, Rogauit eum, &c. Secundum ibi, Vade: filius tuus viuit. Tertium ibi, Interrogabat autem horam. Quartum ibi, Et credidit ipse & domus eius tota.

Erat quidam regu'us, &c. In hoc euangelio fit mentio de quatuor personis, scilicet: De filio reguli infirmante: De regulo pro filio suo rogante: De seruis eius ei occurrentibus & salutem filij nunciantibus: De saluatore dante salutem omnibus. Circa filium reguli quatuor nobis ostendit euangelista quæ ad morum instructionem pertinent, scilicet: Genus infirmitatis ibi, Filius reguli. Locum vbi infirmabatur ibi, Capharnaum. Speciem infirmitatis ibi, Febris. Et horam curationis ibi, Hora septima reliquit eum febris. Duo prima pertinent ad causam vel occasionẽ infirmitatis spiritualis. Nobilitas enim generis & loci amœnitas multis sunt occasio peccandi. Filij magnorum infirmantur etiam infirmitate corporali: quia secundum Hieronym. Cibos regios morbi sequentur regij. Sed de spiritualibus infirmitatibus certum est hoc quòd frequenter sequuntur ex nobilitate generis. Frequẽter sequitur inde superbia vitæ. vnde 1. Timoth. 6. Diuitibus huius seculi præcipe, &c. dicit Gloss. August. Vermis diuitum est superbia. Et quia superbia ad sui sustentationem multis indiget; loquitur etiam hic de concupiscentia oculorum quantum ad illam speciem quæ est rapina. vnde Ezech. 19. dicitur de leena, Eduxit vnum de leunculis suis, & leo factus est: & didicit capere prædam, hominesque comedere. Item filij nobilium delicate nutriuntur. Vnde fiunt gulosi, & con

& consequenter luxuriosi:quod pertinet ad concupiscentiam carnis. Signáter ergo filius reguli dicitur infirmari. Infirmatur autem in Capharnaum, quòd interpretatur villa pinguedinis vel consolationis: quia prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum:& ea quæ dat eis dominus ad consolationem & gratiarum actionem: ipsi vertũt ad sui corruptionem. Ideo dicitur, Luc.6.Væ vobis qui habetis hic consolationem vestram.Prouerb.1.Prosperitas stultorum perdet eos.Ideo dicit August.in lib.de doctrina Christiana, quòd nihil infœlicius fœlicitate peccãtium.Ipsæ consolationes malorum quasi in vulnera vertuntur. Greg. in Moral.Quod solatia ad viuendi vsum quærimus,quasi tot medicamentis nostræ ęgritudinis obuiamus. & subdit, *Hoc ipsum medicamen in vulnus vertitur*:quia exquisito remedio paulo diutius inhęrẽtes ex eo grauius deficimus, quòd proinde ad refectionẽ paramus.Circa tertium nota quòd febricitans potest intelligi peccator generaliter. Sicut enim febricitans nunc habet calorem,nunc habet frigoris tremorem:sic peccator habet inordinatum amorem boni transitorij,& inordinatum timorem mali transitorij. Vnde super illud,Psalm.Incensa igni & suffossa.dicit Glo. Augus. Omnia peccata duæ res faciunt in homine,scilicet cupiditas & timor: & secundum hæc duo duplicẽ pœnam habebit peccator in inferno, secundum illud Iob 24. Ad nimium calorem transient ab aquis nimium.Et febris spiritualiter potest intelligi peccatum luxuriæ. August. Melius est æstuare febribus quam ardere libidinibus. Ardor luxuriosorum manifestus est. Sed non sunt à tremore immunes:quia secundum Poetam, Res est soliciti plena timoris amor. vel febris potest intelligi peccatum cupiditatis quod magnum ardorem & magnum timorem habet annexos.Psal.Trepidauerunt timore, vbi non erat timor. Iob 15. Sonitus terroris, semper in auribus illius: & cum pax sit,&c.Ecclesiast.24. Anima calida quasi ignis ardens non,&c. Apocal.16. Æstuauerunt homines æstu magno. Et notandum quòd vsurarius laborat febre continua:cum alij cupidi laborent febre interpolata. Non cessat enim à peccato suo:etiam ob reuerentiam alicuius festiuitatis:Et sicut ex febre aliquando sequitur mentis alienatio: sic in febricitantibus spiritualiter est insania stultarum opinio-

num cum iactantia de præsenti vanitate. Circa quartum notādum quòd terminatio febris spiritualis septem horis protenditur. Prima hora habet frigus timoris, cum ad ortum veri solis apparent homini mala culpæ quæ Dei iusticia ei parauit: & inde tremor cordis. Secūda hora est cum ad augmentum lucis gratiæ considerat aliquis beneficia quæ à Deo recepit & mala quæ econtrario intulit: & quòd tot & tantas abominationes coram oculis Dei commisit & coram angelo qui eum custodit, qui inde multum erubescit. Tertia hora feruida est feruore iræ: cum febricitans appropinquat sudori, cum, scilicet incipit sibi & peccatis irasci. Quarta hora est doloris: in qua feruorem iræ sequitur sudor lachrymarum. vehementia enim caloris humor noxius in lachrymas quasi in spiritualē sudorē resoluitur. Quinta hora est spes veniæ: cum infirmus humore noxio consumpto vel expulso alleuiatus incipit conualescere. Sexta hora est gratiæ vel gloriæ: cum infirmus magis alleuiatus in maiorem spem erigitur. Septima hora est hora sancti propositi, in qua eum relinquit febris: sicut & ipsæ febrem: cum humore noxio pœnitus cōsumpto natura per gratiam pœnitus alleuiata quasi euolat ad factorē suū, & voluntate & proposito ei adhæret. Circa regulum etiā tria sunt nobis attēdēda, scilicet quòd dicitur regulus nō rex. Et quòd fides eius licet diminuta, salutem filij impetrauit. Et quòd dignus repræhensione fuit: quia corporalē domini descensum petiit, ibi, Descende priusquam moriatur filius meus. Regulus est rex terrenus à regni modicitate in cōparatione ad regnū cœleste: licet etiā toti terræ dominaretur: terra enim velut punctum est respectu cœli. Sen. Pūctū est illud in quo nauigatis, bellatis, in quo regnatis. Ab vltimis littoribus Hispaniæ vsque ad Indos paucissimorū dierū spaciū iacet, si nauē ferat vētus. Ac cœlestis illa regio per triginta annos velocissimo syderi viā præstat. Facit etiā ad hoc quòd rex terrenus regulus sit, quòd ipse nō dominatur omnibus quæ sunt in regno suo: etiā pulicibus & muscis. Aug. Homo dicit tibi conuiciū, & iratus es, & tumes: pulicibus resiste vt dormias. Etiā sibi toti nō dominatur. Caro enim cōcupiscit aduersus spiritū, &c. Gal. 5. Et quod deterius est, vt frequēter ipsa iniquitas regi terreno dominatur. Ber. in lib. de cōsideratione, An nō seruus

cui

cui dominatur iniquitas? & maxime: nisi tu forte indignius iudices hominē tibi quā vitiū dominari. Aug. in lib: de ci. Dei, Malus tot dominorū seruus est, quot vitiorum. Tullius, Omnis sapiēs liber: omnis stultus seruus. Putetur ne imperator hoc nomine dignus? Quomodo aut cui libero imperabit qui nō potest suis cupiditatibus imperare? Fides reguli licet diminuta salutē filij impetrauit: in quo patet fidei virtus. Hier. 5. Domine oculi tui prospiciūt fidē: prospiciunt inquā respectu misericordiæ. Alexāder etiam fide informi impetrauit quòd montes contingerent se ad inclusionē Iudæorū. Regulus etiam reprahēsione dignus fuit petēdo corporalē domini descensum. In quo multi ei similes sunt non confidentes de Christo cū eū orant: quia corporalē eius præsentiā non vidēt: cū tamē fides deuota eū tāgit. secūdum illud, Luc. 8. Quis me tetigit? & subditur, Tetigit me aliquis. nā & ego cognoui virtutē de me exisse.

Circa seruos etiā tria nobis attēdēda sunt, scilicet: Quòd fuerūt domino suo beneuoli salutē filij ei nūciando. Item Christo fuerūt beneuoli laborē eius nolēdo: vt scilicet laboraret descēdendo ad sanationē filij. Et tandem fuerunt participes salutis. Credidit enim regulus & domus eius tota. Seruo maleuolo tortura & compedes. Eccl. 23. Seruus vero beneuolus deuote exequēs bona quæ dominus præcipit fieri, illorū bonorū particeps etiā, & valde charus est Deo & angelis eius. Eccl. 33. Si est tibi seruus fidelis, sit tibi, &c. Augu. Maledictus dispensator auarus, cui largus est dominus. Hoc etiam notādum quòd infirmitas filij reguli occasio fuit salutis regulo & toti familiæ. Sic tribulatio aliquamultos saluat: vt defectus prolis quandoque est occasio vt dominus domus & vxor & familia deuoti sint deo & eius amicis & eorū familiaritate occasionaliter saluētur. Itē, Circa Christū tria sunt nobis attēdēda, s. Quòd ad filiū reguli venire noluit, etiā rogatus. Ad seruū vero centurionis se vēturum dixit etiam nō rogatus. Mat. 8. In quo condēnauit acceptionē personarū quæ diuites propter diuitias honorat: bonis pauperibus cōtemptis. Act. 10. Non est personarū acceptor Deus. Greg. in Moral. Personā hominis accipere est hominem non quia homo, sed propter aliquid quod circa eū est, honorare. Sen. Quēadmodū stultus est qui æquū tentaturus nō ipsum aspicit, sed stratū &

frenos: sic stultissimus est qui aut ex veste aut ex conditione, quæ modo vestis circũdata est nobis hominem existimat. Displicuit etiã domino quòd regulus eũ præsentem vbique nõ credidit. Nec mirũ si hic displiceat saluatori: cũ hoc multũ impediat salutẽ. Multas enim immũdicias homines tacerẽt, si Dei præsentiã per verã fidem agnoscerẽt. Boet. in lib. consol. Magna nobis, si dissimulare nolumus, indita est probitatis necessitas, cum ante oculos agamus iudicis cũcta cernẽtis. Itẽ dominus nõ exaudiuit regulum ad filiũ eius corporaliter descẽdẽdo, vt ipse volebat: exaudiuit tamẽ eum faciẽdo quod magis ei expediebat. In hoc enim ꝙ absẽs curauit: fidẽ eius quę diminuta erat perfecit. Gloss. Aug. super 2. Cor. 12. Nõ est magnũ à Deo exaudiri ad volũtatem: sed ad vtilitatẽ. Ibidẽ gloss. Not, quòd exauditur diabolus petens Iob tentandum: & nõ exauditus est apostolus petẽs stimulũ amouẽdum. Exaudiuit eũ quẽ disposuerat dãnare: & non exaudiuit eũ quẽ disposuerat saluare. Nã & æger petit multa à medico, quæ medicus non dat. Non exaudit ad volũtatem: vt exaudiat ad sanitatem.

Dominicæ xxij. post trinitat. Ser. primus.

Simile est regnum cœlorum homini regi qui voluit rationem ponere cum seruis suis. Matth. 18.

Mystice rex iste Christus est. Seruus debens decẽ milia talenta: populus Iudaicus est trãsgressionis decalogi reus. Huius serui vxorẽ & filios dominus venundari iussit: quia prælatos & subditos simul cum tota substantia eorum pro magnitudine delictorum cæteris nationibus tradidit: vt quod noluerunt voto: soluerent tormẽto. Huius serui misertus est Deus, qui non solum captiuitatem iudaicam absoluit, sed etiam peccatorum omnium veniam in aduentu Christi se dare promisit. Conseruus est gentilis populus debens ei centum denarios, id est, recognitionem salutis ab eo datæ vel dandæ: quia de Syõ exibit lex: & ver. d. d. ie. Esai. 2. Huius conserui voluit misereri populus Iudaicus: quia gẽtes dignas misericordia non reputauit. Seruus iste à domino suo tortoribus traditus est: quia datus est in manus sarracenorum vel tartarorum ministrorum. Simile est

re. cc.

re.ce.&c.Responderat dominus illi interrogationi Petri, Quotiẽs peccabit in me frater meus,& dimittam ei vsque septies? dicẽs, Non dico tibi vsque sep.sed v.ad sep.s. s. &c. Et ne aliquis vilipenderet responsionem non condonando peccanti in se:subdidit dominus hanc parabolam, in qua ostendit quam periculosum sit non condonare fratri peccanti in se.Cõtinet autem hæc parabola, Quòd nobis possit timorẽ incutere:& quod possit consolationem dare.

In eadem parabola nobis ostenditur Propter quid de Dei misericordia possumus sperare veniam: & à Dei iusticia timere pœnam. Primum nobis apparet si attendamus quomodo seruus nequam debitorum suorum obtinuit dimissionem. Secundũ si attendamus quomodo debitorum suorum meruit repetitionem. Circa primum notãdum est quòd seruus iste ad ratiocinationem venit, vbi insufficientiam suam agnouit,& sententiam iusticiæ sibi grauem audiuit.Ideo ad curiam misericordiæ appellans à Dei misericordia plusquã peteret impetrauit.Va.& tu fac similiter. Exige à teipso rationem,vel in conscientia tua:vel in lectione:vel in prædicatione.Eccl.18.Ante iudicium interroga teipsum.Abac.2. Contemplabor vt videã quid dicatur mihi?& quid respondeam ad arguentem me.Iob 30.Quid faciam cum surrexerit ad iudicandũ Deus,&c.Districtam etiam & frequentẽ cõputationem debes facere cũ vicario Dei,s. Districtam vt nec minima prætermittãtur. Mat.10. Omnes capilli capitis vestri numerati sunt. Frequentem vero,ne quid excedat à memoria.Ber. Computatio dilata multa facit obliuisci.Idem Bern.Redi ad cor tuum & diligenter discute teipsum. Cõsidera Vnde venis: Quo tẽdis: Quomodo viuis:Quid agis:Quid amittis: Quãtum quotidie proficis. Iterãda vero est cõfessio quotiẽs peccatum iteratur.Ioã.11.Eamus iterũ in Iudæã.Iudæa interpretatur cõfessio.Psal.Cõfitebimur tibi Deus cõ. In computatione vero apparebit tibi tua insufficiẽtia.Iob 9. Si voluerit quis cõtẽdere nõ poterit respõdere vnũ pro mille.Ber.O si cognouisses quã multa & quã multis debeas:videres quòd nihil est quod facis.Primo debes Christo totã vitã tuã: quia ipse pro tua posuit suã. Secũdo exigunt præterita peccata mea futurã vitã meã: vt faciã fructus dignos pœnitẽtiæ & recogitẽ omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.

Quid si tertium debitorem ostendam qui eam vendicet sibi. Puto quòd desideres gloriam quàm nec oculus vidit,&c. Nonne ad hoc emendum totum te & quæcunque poteris,dare oportebit? & cum omnia compleueris, non sunt c.p.h.t.a.&c. Quarto debitori debes quòd es: à quo totum habes. Qui te fecit,& bene fecit & cuncta ministrat. Cui horum proponis reddere quod debes? Debes etiam considerare sententiam iusticiæ tibi intolerabilẽ vt timor ipsius inducat te in humilitatem pœnitentiæ. Vnde Chrysost.loquens de domino iubente seruum venundari, dicit,Tenere vult vt per minas in supplicationem ducat. Esa.26.A timore tuo,do.com.&c.Ecclesiasti.1. Timor domini ex p. Considerata verò sententia iusticiæ appellare debet ad curiam misericordiæ quæ superior est: quia misericordia superexaltat iudicium.Iaco.2. Et misericordia eius super omnia opera eius: & à misericordia humiliter petenda est venia.Ecclesiasti.35.Oratio humiliantis se nubes penetrat.Psalm.Respexit orationem humilium:& nõ spreuit precem eorum.Misericordia plus dat, quàm petatur:vnde Chrysost.Famulus petit dilationem,& accipit dimissionem.Simile habetur de latrone Luc.22. Aug.loquẽs de ipso,Considerabat inquit facinora sua, & pro magno habebat si vel in fine ei parceretur. Dominus autem continuo inquit,Amen dico tibi,hódie mecum eris in paradiso.Misericordia obtulit quod miseria distulit. Circa secũdum notandum quòd in seruo nequam fuit duplex culpa: quam secuta est duplex ira. Fuit enim ingratus domino: & immisericors conseruo. Cum enim beneficium magnum à domino recepisset:gratia domini seruo ipsius benefactor esse debuit.Misericordiam etiam quam libenter receperat,conseruo impartiri debuit.Ingratitudo siccauit ei fontem pietatis.Ber.Ingratitudo est ventus vrens, siccans sibi fontem pietatis,rorem misericordiæ,fluenta gratiæ.Ipse non miserendo conseruo, pontem misericordiæ sibi destruxit.Glo.super illud Psalm.Deus vltionum, &c. Noli subuertere pontem misericordiæ,quia trãsisti.Chrysost.loquens de verbo illo,Serue nequam, &c.Audiamus immisericordes:quoniam non aliis sumus crudeles, sed nobis ipsis.vis rememorari malorum: tibiipsi rememorare & non alij.Immisericordiæ quam habuit ad cõseruum.

Respondet ira aliorum conseruorum de qua ibi, Videntes conserui eius quæ fiebant contristati sunt valde. Angeli enim & sancti multum offenduntur cum aliquis fratri suo non vult condonare. Ingratitudini respondet ira domini. De qua ibi, Et iratus dominus eius, &c.

Habuit vero ira eius triplicem effectum. Dixit enim ei conuicium. Improperauit beneficium. Et misit eum in supplicium. Ad primum pertinet illud, Serue nequam. Chrysost. Quando decem milia talenta debebat, non appellauit eum nequam, nec conuiciatus est quando autem ingratus factus est: tunc dixit, Serue nequam nonne omne debitum, &c. Ad secundum pertinet illud, Omne debitum d.t. Poëta, Est aliqua ingrato multũ exprobrare voluptas. Chrysost. Duo quærit à nobis Deus scilicet Et nostra peccata cognoscere: & aliis dimittere. Qui enim sua intelligit, facilius conseruo dimittit. De supplicio habetur ibi, Tradidit eum tortori. do. red. v. d. Notandum quòd deus habet carcerem vbi malefactores torquẽtur. Habet & stabulum: Habet & palatium. Notandum est ergo quòd carcer eius est infernus: palatium paradisus. Stabulum mundus. In quo homo positus est postquam comparatus est iumentis insipientibus. Ber. Puto iumenta dicerent si loqui fas esset, Ecce Adam quasi vnus ex nobis. Ad hoc significandum dominus nascens in hoc mundo voluit nasci in stabulo. Luc. 2. Et nota quòd in carcere dei sunt soli mali: in palatio, soli boni: in stabulo boni & mali. Illũ qui huic stabulo præest vocat dominus stabularium. Luc. 10. Væ illis qui diligunt fœtorem huius stabuli: & non curant peruenire ad pulchritudinem palatij. Si tot pulchra & delectabilia conspiciuntur in stabulo: quid æstimandum est de palatio? Sic & pater meus cælestis, &c. Hæc parabola introducta est contra tenẽtes odium. De quo si vis loqui, require in tractatu de ira.

Sermo secundus de eodem.

SImile est regnum cælorum homini regi qui voluit rationem ponere, &c.

Notandum quòd Deus à nobis rationem exiget. Et de bonis nobis commissis, & de bonis omissis, & de malis à

nobis commissis, & de malis nobis dimissis. Ad primum pertinet parabola de villico iniquitatis. Luc. 16. Cui dominus dixit, Redde rationem villicationis tuæ. Ista computatio multum timenda est. Multa enim bona nobis commissa sunt, & bona naturæ, & bona fortunæ, & bona gratiæ. Et magni valoris sunt. Si non haberemus reddere rationem nisi de tempore: multum timēdum est nobis. Ber. Nihil præciosius tempore: sed heu hodie nihil vilius reputatur. Vna hora temporis potest homo à debito gehennæ absolui: & regnum cælorum lucrari. Bernard. Omne tempus tibi impensum requiretur qualiter fuerit à te expensum. Idem, Sicut capillus non perit à capite: sic ne momentum peribit de tempore. Ecclesiasti. 4. Fili conserua tempus. Præterea, Quis est qui sciat æstimare valorem vnius oculi? Ad secundum pertinet parabola de talentis. Matth. 25. Vbi dominus dicit seruo pigro, Serue male & piger, &c. Hæc computatio multum timenda est: cum dominus dicat, Inutilē seruum eiicite in tenebras exteriores. Matt. 25. Dauid, Delicta quis intelligit? Computatio etiam de malis commissis multùm timenda est, cum dominus puniturus sit etiam de cogitationibus, & de verbis ociosis. Matth. 12. De omni verbo ocioso. &c. Sap. 6. Cogitationes vestras scrutabuntur. Iob 31. Nonne ipse considerat vias meas. Glos. Sic Deus vniscuiusque vias considerat: sic gressus dinumerat vt nec minutissimæ quidem cogitationes eius iudicio: ac verba tenuissima quæ apud nos vsu viluerunt, indiscussa remaneant. Ipse etiam exiget rationem à nobis de malis alienis. Gen. 4. Vbi est Abel frater tuus? Eze. 3. & 33. Sanguinem eius de manu tua requiram. Ad quartum pertinet parabola ista de seruo nequam. Hæc computatio multū timenda est. Multū enim obligat peccati dimissio illū cui dimittitur: cū pro quolibet mortali debitor esset mortis æternæ. Vnde multum ingratus est qui tanti beneficij ingratus est: sicut patet per hoc quòd multum ingratus reputaretur qui liberatus à morte temporali, benefactoris sui immemor esset. De his quæ timenda sunt in hoc iudicio si vis loqui, require in tractatu de timore. Si non vis timere illud iudicium: iudica in præsenti teipsum. 1. Corinth. 11. Si vosmetipsos iudi. Micheæ 6. Indicabo tibi o homo quid sit bonum, & quid dominus

requi

requirat à te. Vtique facere iudicium: diligere misericordiam:&c. Et nota quòd iudicium facere debes, quantum ad te: misericordiam diligere, quantum ad proximum. Et sollicite ambulare, & propter angelum qui te custodit, & propter deum, quia coram oculis dei operaris. Oblatus est vnus qui debebat decem milia tallentorum,&c.

Debitor est aliquis deo multipliciter. Ex facto alieno malo: vt propter peccatum primorum parētum nascimur omnes filij iræ. De hoc debito, Ecclesiastici 40. Graue iugum super filios Adam,&c. Item propter bona à deo accepta & corporalia & spiritualia, naturalia vel gratuita. 1. Corinth. 4. Quid habes quod non accepisti? & 1. Corinth. 12. Diuisiones gratiarum sunt: idem autem spiritus. Item est aliquis debitor deo ex facto proprio bono: vt cum castitatem vouet: vel licite iurat. Prouerb. 20. Ruina est homini deuotare sanctos: & post vota retractare. Vel ex suo facto malo? vt cum quis contra deum peccat: tenetur enim ad satisfactionem. Prouerb. 5. Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur. Item debitor est homo deo ex iure naturali vel diuino: vt obseruationis mandatorum, quæ ratio dictat esse seruanda. Rom. 2. Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt: vt est subuenire pauperi. Ecclesiasti. 3. Declina pauperi s. t. a. t. &. Esayæ 58. Cum videris nudum, operi eum, &c. Item est homo debitor ex humana constitutione. Rom. 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Primum debitum non crescit. Secundum tantomagis crescit: quanto meliora naturalia à Deo recepimus. Vnde qui de bonis domini gloriatur, similis est ei qui de debitis suis gaudet: vel insano qui de vinculis suis ridet. Quales sunt multi qui de scientia vel eloquentia sua gloriantur. Sunt etiam aliqui qui de dignitatibus suis gloriantur: quibus sunt onerati quasi compedibus. Prouerbior. 22. Noli esse cum his qui defigunt manus suas, & qui vades se offerunt pro debitis,&c. Tertium debitum crescit quanto plura promittimus & vouemus. Quod est periculosum, Ecclesiasti. 20. Est qui præ confusione promittit amico:

& lucratus est eum inimicum gratis. Tunc vocauit eum, &c.Vocat dominus.Quandoque per inspiratione in corde de malicia arguentem.Psalm.Arguam te & sta.com.fa. t.Quandoque per scripturæ admonitionem. Vnde sermo dei aduersarius dicitur.Matth.5. Esto consentiens aduersario tuo cito,dum es cum eo in via:ne forte , &c.Quandoque per infirmitatem.Iere.6.Per omne flagellum & dolorem erudiens Ierusalem. Tandem per mortem quasi peremptorie: quia incorrigibilem non sustinet amplius viuere ne deterior fiat.Vnde Ecclesiastici 29.Qui odit correctionem minuetur vita.

Dominica xxiij. post trinitatem, SERMO PRIMVS.

ABeuntes pharisæi consilium inierunt vt caperent Iesum in sermone.Matth.22.

Circa seriem huius euangelij octo nobis ostendenda sunt.Primum est illud,Pharisæi consilium inierunt. Mali consilium ineunt:sed non inueniunt. Chrysost. Colonus diaboli & si dei consilium quærat:nõ inuenit. Vide furem euntem ad furtum,orantem vt prosperetur : & fornicator signum crucis sibi facit vt non comprehendatur & tanto citius capitur:quia nescit iusticia dei patrocinium dare criminibus.Tale est consilium quales cõsiliatores.Secundum est quòd verbum dei in verbo capere volunt,sed inutiliter:quia frustra iacitur rete ante oculos pennatorum. Prouer.1.Serpens factus ex virga Aaron serpentes factos ex virgis magorum deuorauit.Exo.7. Sic Christi sapientia astutiæ mundi & dæmonum præualet. In serpẽte enim sapientia vel astutia intelligitur. Sapientes mundi & dæmones viros iustos in verbis conãtur capere:ideo in verbis viri iusti multum debẽt cauere.Et qui non habent discretionẽ loquendi saltẽ debent habere discretionẽ tacendi.Sen.Taciturnitas homini stulto pro sapientia est. Philosophus cuidã rustico tacẽti in cõuiuio,Hoc solũ(inquit) ex doctis hominibus habes.Prouer. 17.Stultus si tacuerit, sapiens reputabitur.Iob 13. Vtinam taceretis vt putaremini

mini sapientes. Gregori. loquens de illo verbo, Ecclesiastes 3. Tempus est tacendi, & tempus est loquendi: Prius, inquit, tacendi præmittit, & postmodum subdit loquendi: quia non loquendo tacere, sed tacendo debemus loqui discere. Tertium est quòd dominus non respondit eis secundum verba oris, sed secundum intentionem cordis. Cùm sermo ad hoc fit vt cor hominis alteri indicetur. Verba tamen multorum potius cor operiunt quam aperiant. Psal. Circundederunt me sicut apes, mel habentes in ore, aculeum retro. Tales pharisæi. Quartum est quòd dominus non tam cito respondet quæstioni eorum, sed eos interrogat: vt ex verbis eorum congruam responsionem eliciat. In hoc nos monens ad prudentiam contra malorum astutiam. Mat. 10. Estote prudentes sicut serpentes. Prouer. 11. Simulator ore decipit amicum suum: iusti autem liberabuntur scientia. Quintum est quòd laudatoribus irã ostẽdit. Et merito: cum valde periculosa sit laudatio. Prouer. 29. Homo qui blandis fictisque sermonibus loquitur: rete expandit proximo suo. Psalmis, Sicut nouacula acuta fe. do. Nouacula acuta dicitur furari barbã. Sic adulatio virtutem. Augu. super Psalmis, Duo sunt genera persecutorũ, scilicet vituperantium, & adulantium. Seneca, Plus persequitur lingua adulatoris: quam manus interfectoris. Sen. Habet suum venenum blada adulatio. Sextũ est quòd nec timore nec fauore à veritate iudicij deuiat Multis placuisset, si dixisset censum non esse dandum Cæsari: tamen non cõsensit. Gal. 1. Si hominibus placerem, seruus dei non essem. Exod. 23. Non sequeris turbam ad faciendum malum. Prouerb. 29. Qui timet hominem cito corruet. Nõ est aliquid faciendum in præiudicium alterius: & propter fauorem pauperum. Exod. 23. Pauperis non misereberis in iudicio: etiam propter fauorem cultus diuini noluit aliquid facere in præiudicium Cæsaris. Septimum est quòd iussit attendi cuius esset ymago: præcipiẽs reddi Cæsari quod Cæsaris erat: & deo quod dei erat. Glo. Sicut Cæsar exigit impressionem suæ ymaginis: sic & deus animam lumine vultus sui signatam. Chryso. Tu mundana abiice exemplo Christi: & non eris obnoxius mundano principi. Ipse ordo verborum te instruit, scilicet Reddite quæ &c. Prius enim renunciandum est mundo: vt expeditius deo adhæreatur.

reatur. Romano. 13. Reddite omnibus debita. Debemus superiori obedientiam: Inferiori disciplinam: pari æquitatem: omnibus fidem & veritatem. De hac materia require in sermone illo Epistolarum, Debitores sumus non carni. Dominica 7. Non respicis personas hominū. Non est acceptio personarum apud deum. Simile habetur Act. 5. & Gal. 2. Dominus facto ostendit se non esse acceptorē personarum, quando ad filium reguli ire noluit. Ioan. 4. Ad seruum vero centurionis se venturum dixit. Matte. 8. & Luc. 7. Sen. Quemadmodum stultus est qui equum tentaturus non ipsum aspicit sed stratum & frenos: sic stultissimus est qui ex veste aut conditione hominem existimat. Cuius est ymago hæc? &c. Sicut voluit dominus vt tentatores attenderent cuius esset ymago denarij: sic vult ipse vt nos attendamus cuius est ymago quæ est in nobis. Et potest hæc quæstio, scilicet, Cuius est hæc ymago & superscriptio: tripliciter intelligi, videlicet, Primo de interiori ymagine naturali. Secundo de interiori acquisita. Tertio de exteriori. Prima indubitanter est dei. Ecclesiastici 17. Deus de terra creauit hominem, & secundum imaginem suam fecit illum. In hac imagine pertransit homo.

De hac ymagine vult dominus vt attendamus cuius sit: quinque de causis: quarum, prima est vt intelligentes expressam similitudinem nostram ad patrem cælestem, eum tenerius amemus. Licet naturalis amor sit inter filium & patrem: tamen tenerior solet esse cum filius est valde similis patri. Augu. Amandus est genitor: sed præponendus est creator. Secunda est vt agnito tanto dei beneficio, pro eo gratias agamus. Sunt quidam non intelligentes magnitudinem huius beneficij, quod deus rationali creaturæ specialiter fecit. Inuanū videntur accepisse animas suas. Isti effecti sunt similes bestiis: secundum illud, Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis, &c. Boe. Humanæ naturæ ista conditio est, vt tunc tantum ceteris rebus excellat, cum se cognoscit. Eadem tamen infra bestias redigatur si se nosce desierit. Bern. Fit vt sese non cognoscendo ægregie rationis munere creatura irracionabilium gregibus incipiat aggregari. Deberent attendere quantum beneficium esset si eis restitueretur vsus rationis in quibus impeditus est. Ad hanc imaginem pertinet

capacitas

capacitas æternæ beatitudinis: quæ solius rationalis creaturæ est quæ toti mundo prævalet. Imago ista domine est lumen vultus tui. Tertia est vt imagini dei in nobis debitam reuerentiam exhibeamus. Ecclesiasti. 10. In mansuetudine serua animam tuam & da ei honorem secundum meritum suum, id est secundum dignitatem suam. Indignum est vt creatura rationalis in hoc deum inhonoret, in quo deus eam præ ceteris creaturis honorauit. Si nephas esset imaginem beatæ virginis in lutum proiicere, aut imaginem crucifixi: quantum nephas esset imaginem trinitatis immundicia peccati inquinare? Aug. super illud Psalm. In ci. t. ima. e. ad. ni. re. Rediget deus y. e. ad. n. cele. ci. quia ipsi in sua ter. ci. ima. eius ad nihil redegerunt. Quarta, vt propter pulchritudinem interiorem, quæ diuinæ similis est, exteriorem quæ à pulchritudine animalium vincitur, & adiuuari indiget contemnamus. Guido cartusiensis, Vestes te ornant. Pulchritudo esset si tu eas ornares. Valde contemptibilis est pulchritudo illa, quæ necesse habet pellibus murium & stercoribus vermium adiuuari. Omnis gloria e. fi. re. a. Quinta vt ei cui sumus similes natura, studeamus similes effici gratia: & gloria in qua perfectio nostra cōsistit. Cuius rei naturalis amor nobis quæsitus est non perfecte quiescit cor nostrum absque hoc. Augu. Domine fecisti nos ad te: inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. & secundum illud, Signatum est super nos lumen vultus tui, &c. dicit Augusti. loquens de lumine quo imago creata insignitur, Hoc lumē est totum & verum hominis bonum. de imagine acquisita quæstio potest fieri vt dominus quasi admirans de imagine diaboli in templo suo posita, dicat, Cuius est imago? Quot vicia habet homo in corde suo: tot dæmones pictos habet ibi. Qui depingit dæmones in corde suo: videtur velle effigiare hic infernū. Vnde videtur quòd non satis cito credat se peruenire illuc. De tali dicet dominus in die iudicij, Reddite quæ sunt diaboli diabolo. Ad tales pertinet illud Tren. 3. Denigrata est facies eorum super carbones. Naum 2. Facies sicut nigredo ollæ. Esa. 13. Facies combustæ vultus eorum. Specialiter potest intelligi imago diaboli peccatum crudelitatis. Apoc. 14. Si quis adorauerit bestias & i. e. & caracterem in fronte aut in ma. s. acceperit: hic bibet

bet de vino iræ dei. Sunt aliqui qui facies bestiarum per diuersitatem viciorum assumunt, contra illud Ecclesiasti. 4. Non assumas faciem aduersus faciem tuam. Assumunt enim per superbiam, faciem leonis, per venenatam inuidiam, faciem serpentis: per iram, faciem apri: per accidiã, faciem testudinis: per gulam, faciem vrsi: per luxuriam, faciem porci: per auariciam, faciem talpæ: per odium, faciẽ canis. Item sunt aliqui qui habent septem capita & decem cornua: similes bestiæ quam vidit Ioannes, Apocal. 13. Vidi inquit de mari bestiam ascendentem, habentem capita septem & cornua decem. Septem capita habet, cui septem criminalia peccata dominantur. Decem habet cornua, qui per elationem decalogum impugnat. Tertio potest esse quæstio de imagine exteriori, cuius est imago hæc, &c. O fatua mulier quæ te depinxisti. Iero. Loquens de tali, dicit, Qua fiducia attollit vultus ad sidera, quos conditor non agnoscit. Item, Notandum quòd sex requiruntur in donario: & similia his requirit deus in homine. Primũ est imago sua, quæ specialiter potest intelligi charitas siue ordinatus amor omnis boni. 1. Ioan. 4. Deus charitas est. Secũdum est superscriptio. primo debent esse scripta ibi præcepta iuris naturalis: illud, scilicet Tob. 4. Quod tibi odis fieri, alij ne feceris. & illud Matt. 7. Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite eis. Deinde articuli fidei. Tertium est grauitas. Ille denarius bonus est qui in statera descendit. Luc. 14. Cum inuitatus fueris ad nuptias recumbe in nouissio loco, &c. Quartum est inflexibilitas, non est bonus denarius qui de facili plicari potest. Ecclesiasti. 15. Firmabitur in illo & non flectetur. Apostolus ad Ephe. 4. Nolite locum dare diabolo. Quintum est dulcis sonus. vnde 1. Petri. 4. Si quis loquitur quasi sermones dei. Sextum est integritas. Non placet deo ille cui deest fides alicuius articulorũ: vel obseruatio alicuius preceptorum. Iaco. 2. Quicunque totã legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.

Dominicæ

Dominicæ xxiiij. post trinitatem,

SERMO PRIMVS.

LOquente Iesu ad turbas: ecce princeps vnus accessit &c. Mat. 9.

Hoc Euangelium cõtinet duo, scilicet Emorroissæ sanationem, & filiæ archisynagogi suscitationẽ. Ecce mulier quæ sanguinis fluxum pa. &c. De hac muliere videtur Ambr. dicere, quòd fuerit Martha soror Mariæ, in tractatu de Salomone, his verbis, Christus largum sanguinis fluxum siccauit in Martha: & dæmones expulit de Maria. De hac muliere dicit Eusebius in hystoria ecclesiastica, lib. 7. quòd postquam sanata est, fecit statuam in curia sua ad imaginem Christi quæ vestem habebat: & in veste fimbrias, vt viderat Christum habere. & hanc habebat in magna reuerentia. Herbæ vero sub illa statua crescentes quæ antea nullius virtutis erãt, eum ad fimbrias statuæ attingerent tantæ erant virtutis, vt multi infirmi inde sanarẽtur. Iero. etiã dicit in hystoriæ tripartitæ lib. 6. quòd cum Iulianus apostata cognouisset in cæsarea philippi quòd liberata sanguinis profluuio fæmina construxerat simulachrum: eo deposito suam ibi imaginẽ collocauit: quæ fulminis ictu fracta est. Statuam vero Christi quidam paganorum trahentes confregerunt. Post Christiani collegerunt & in ecclesia condiderunt. Confide filia. Glo. Credit vtique quod petit: sed inculcat robur & perseuerantiam fidei. Et cum audisset tybicines. Secundum morem patriæ erant ibi tybicines lamentabile carmen cantantes. Iudæi enim in funeribus propinquorum multam adhibebant diligentiam, & faciebant magnas expensas ita vt multi depauperarentur, vt tradit Iosephus.

Non est mortua puella: sed dormit. Glosa, Vobis mortua est: Deo autem qui suscitare potest, dormit tam in corpore quam in anima. *Ecce mulier quæ sang. fluxum pa. &c.* Circa hoc miraculum duo nobis sunt attendenda, scilicet. Quid per hanc mulierem designetur. Et quomodo ipsa sanetur. Notandum ergo quòd mulier ista fluxum sanguinis patiens quæ in via curatur, peccatorem manifestum significat:

cat: ſicut puella mortua quæ in domo ſuſcitatur occultum peccatorem. Tren.1. Foris interficit gladius: & domi mors ſimilis eſt. In fluxu ſanguinis intelligitur fluxus peccati. Oſeæ 4. Sāguis ſan. te. Eſt autem duplex fluxus ſanguinis, ſcilicet Vnus menſtrualis: per quem deſignatur peccatum ex infirmitate. De quo leuit.15. Mulier quæ redeunte menſe patitur fluxum ſanguinis, ſeptem diebus ſeparabitur, & immunda erit. Alius eſt continuus per quem ſignificatur peccatum ex certa malitia. De quo Leuiti.15. Mulier quæ ſanguinem fluere non ceſſat: quandiu huic paſſioni ſubiacebit: immunda erit. In hoc quòd prius ſanatur emorroiſſa quam puella in domo mortua: ſignificatur quòd prius conuertuntur manifeſti peccatores quam occulti. Oſ.13. Colligata eſt iniquitas Ephraym: abſconditum eſt peccatum eius: dolores parturientis venient ei. Parturiens tunc dolet quando non poteſt partum emittere. Sic in magna miſeria ſunt occulti peccatores qui in confeſſione peccata ſua non audent propalare: dicentes illud Eccleſiaſti, 26. Tenebræ circundant me, & parietes cooperiunt: & nemo circunſpicit me. Quem vereor? Et ſubditur, Et non intelligit quoniam omnia videt oculus eius. Ezech.8. Certe vides fili hominis quæ ſeniores domus Iſrael faciunt in tenebris, Dicunt enim, Non videt dominus nos. Diabolus ſub vmbra dormit, & in ſecreto calami. Iob 40. In tali enim loco non inquietatur, cum nullus credat eum ibi eſſe. Manifeſtus peccator confunditur de peccato ſuo: quæ confuſio eſt ei quandque occaſio conuerſionis. Eſt enim confuſio adducens gloriam. Eccleſiaſti.4. In Pſalm. Dixit dominus ex Baſan conuertam Baſan interpretatur, confuſio. Micheæ 4. Venies vſque ad Babylonem, & ibi liberaberis. Pſalm. Imple facies eorum ignominia & quæ no. t. do. Matth.21. Amen dico vobis: publicani & peccatores præcedent vos in regno dei. Medici in quos emorroiſſa multa inutiliter expēdit, ſunt phiſici & legum ſecularium doctores qui multa de virtutibus promittunt: ſed nullum animarum remedium conferunt. In medicis ſubſtantiam ſuam expendit qui vires naturalis ingenij in ſtudio taliū conſumit. Eſa.55. Quare appenditis argenrum non in panibus, &c. Specialiter ſubſtantiam ſuam diſſipant qui in libris poëtarum ingenium ſuum conſumunt. Prouerb.10.

Qui

Qui innititur mendaciis: hic pascit ventos. Doctrinæ philosophicę & scientia poëtica sunt sirenes vsque in exitium dulces: quæ non solum ægrum non sanant, sed infructuosis affectuum spinis vberem hominis segetem tractant. Secundum verbum Boet. in lib. consol. Ioannes euãgelista ad Cratem philosophum, Sicut vana est medicina ex qua morbus nõ extinguitur: ita vana doctrina est ex qua vicia non curantur. Circa modum sanandi notãdum quòd mulier ista ad Iesum accessit: sed retro. Dixit si tetigero fimbriam vestimenti, &c. sed intra se. Sic spiritualiter accedit anima ad Iesum fide. Hic est primus accessus ipsius. Heb. 11. Accedentẽ ad Deum, oportet credere quia est: & inquirentibus se remunerator sit. In hoc quòd retro accessit, innuitur nobis timor eius & verecundia, quę multum valent ad sanationem spiritualium infirmitatum. Eccle. 1. Timor domini expellit peccatum. nam qui sine timore est non poteris iustificari. Philosophus, Erubuit, salua res est. De non erubescente dicitur Hier. 3. Frons meretricis facta est tibi: & noluisti erubescere. Simile habetur Luc. 7. de Magdalena. Stans, inquit, retro cœpit rigare pedes eius, &c. In hoc quòd dixit intra se, Si tetigero, &c. innuitur nobis eius cõfidentia quam habuit de virtute diuinæ bonitatis: Quæ ad sanationem spiritualem multũ valet. Hier. 17. Benedictus vir qui cõ. in do. & erit dominus fiducia eius: erit quasi lignum quod trans. s. a. &c. Quòd autem dixit tetigit: referri potest ad dilectionem. Fides enim si sit cum dilectione, Deum tangit: aliter non. Fimbriam vestimenti tangit, qui de se humiliter sentit: qui conuersationem Christi hominis & sanctorum in minimis imitatur. Vestimẽtum Christi est humilitas, Item sancti: de quibus dicitur, Esa. 49. His omnibus velut ornamento vestieris. Fimbria vero est minima pars vestis. Vnde fimbriã tangit, qui in minimis sui reputatione Christum & sanctos imitatur. Secundũ glossam. Hæc mulier credidit, dixit, tetigit: quia his tribus, videlicet fide, verbo, & opere omnis salus acquiritur. Et notandum quòd Christus sanaturus hanc mulierem, quatuor fecit. Ad mulierem conuersus est: eam vidit: ad confidentiam monuit: filiam vocauit. Nota ergo quòd primum pertinet ad hoc quòd mulier retro accessit. Et est in hoc magnum solatium peccatori conuertendo, qui

Indignum se iudicat aspectu diuino. Ad talem enim conuertitur Deus. Esai. vltim. Ad quem autem resp. &c. Secundum pertinet ad conspectum fidei: respicit eum Deus respectu misericordiæ, &c. Vnde dictum est ei, Fides tua te saluam fecit. Hier. 5. dicitur, Oculi tui respiciunt fidem. Respectu inquam illo de quo Sapient. 4. Respectus eius in electos eius. Luc. 22. Conuersus dominus respexit Petrum. Tertium pertinet ad id quod intra se dicebat, Si tetigero, &c. Habebat aliquam confidentiam: sed admonitio saluatoris erat ad robur illius confidentiæ & perseuerantiam. & Matth. 9. dictum est paralitico, Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Quartum pertinet ad hoc quòd mulier fimbriam tetigit. Humilitate enim meretur anima exaltari: vt filia reputetur. vnde Luc. 14. & Matth. 23. Qui se humiliat, exaltabitur. Domine filia mea modo defuncta est, &c. De tribus mortuis à domino suscitatis quid significetur, & quare morte corporis significetur peccatum, require supra, Dominica 16. Domine, filia mea modo defuncta est. Sciendum est quòd filia ista in domo defuncta & suscitata, significat peccatorem occultum. Modus vero suscitationis eius: significat modum suscitationis illius qui in peccato occulto est. Circa vero modum istum sex attendenda sunt. Primum est quòd pater pro ea rogat. In quo innuitur orationis suffragium. Pater Iayrus dicebatur, qui interprætatur illuminans vel illuminatus. Vnde significat cœtum sanctorum qui à Deo illuminati illuminant alios, sicut montes radios transmittunt ad valles. In Psalmis, Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis. Item Leuaui oculos meos ad mon. Secundum est quòd dicit, Veni, impone manum tuam super eam, & viuet. In quo gratia adiutrix intelligitur. Quæ etiam de profundo peccatorum extrahit. Amos vltimo, Si descenderint vsque ad infernum, inde educet eos manus meas. Tertium est quòd iussit tybicines exire: carmen lugubre cantantes. Tales tybicines sunt qui inaniter gaudent. Gaudium huius mundi carmen lugubre est: & quia in luctum conuertetur. Amos 8. Conuertam festiuitates vestras, & gaudium vestrum in luctum. Et quia gaudium illud frequenter est de hoc, de quo potius esset lugendum. Ecclesiast. 2. Risum reputaui errorem, & gaudium

dium do. &c. Quartum est quòd turbam tumultuantem iussit recedere. Hæc turba designat importunas cogitationes, quæ animam quandoque opprimunt. Quod significatum est 4. Regum 8. per ducem illum in cuius manu rex incubuerat: quam conculcauit turba in introitu portæ Samariæ. Quintum est quòd admisit Petrum & Iacobum & Ioannem: & hos tres etiam dominus elegit interesse suæ transfigurationi. Matth. 17. Et orationi. Matth. 26. Et hic puellæ suscitationi. secundum Chrysost. propter eminentiam quam habebant. Et Hieronymus dicit quòd in his tribus vocatis ostenditur priuilegium dignitatis eorum: vt tribus idoneis testibus mundus credat. Item propter fidem trinitatis. Et hæc est ratio Bedæ. Sed moraliter per hos tres significantur ea quæ sunt ad pœnam necessaria: scilicet, Quia Ioannes gratia interpretatur. In Ioanne significatur gratia, à qua est motus contritionis. Sine eà liberum arbitrium non sufficit ad contritionem. Roman. 7. Velle mihi adiacet: perficere autem non inuenio. Et 1. Corinth. 15. Non ego solus, sed gratia Dei mecum. Petrus, agnoscens interpretatur. In Petro intelligitur confessionis agnitio. Psalmus, Iniquitatem meam ego cognosco. Et super illud Psalm. Beati quorum remissæ sunt, &c. Dicit Glosa, Si detegis, Deus tegit: & si agnoscis, Deus ignoscit. Iacobus luctator interpretatur. In Iacobo intelligitur labor satisfactionis. Micheæ 4. Dole & satage filia Syon, &c. Sextum est quòd assumpsit patrem & matrem puellæ. Valet enim ad suscitationem peccatoris: meditatio propriæ originis. Vnde, Quidam ait sic: Versus, Vnde superbit homo, cuius conceptio culpa: Nasci pœna: labor vita: necesse mori? Pater & mater qui ad suscitationem peccatoris necessarij sunt: sunt illi de quibus Iob 17. Putredini dixi, Pater meus es: mater mea, & soror mea vermibus. Vel ista puella mortua potest significare animam viri claustralis mali. Iayrus vero figuram tenet prælati qui interpretatur illuminans vel illuminatus. Illuminatus debet esse prælatus & alios illuminare doctrina & exemplo, 1. Timoth. 4. Exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione. Et sicuti filia figuram tenet claustralium: sic emorroissa secularium malorum, qui sunt in profluuio sanguinis: quia in carnalibus viciis. Infirmi-

tas filiæ non determinatur: quia peccata claustralium sunt ei magis occulta. Vnde peccatum eorum est murmur eorum qui crucem ferunt spontaneè. Qui significati sunt per Symonem Cyreneum, quem angariauerunt vt ferret crucem. De quo Matth. 27. & Luc. 23. Aliud est impatientia. Prouerbior. 19. Qui impatiens est sus. d. Homo impatiens & iracundus primo nocet sibi. vnde Prudentius, Sibi est hostis vesania, séque furendo interimit: moritúrque suis ira ignea telis. Aliud est odium: quod non est paruum peccatum, 1. Ioan. 3. Qui odit fratrem suum, homicida est. Aliud est inuidia, quæ multum hominem affligit. Iob 5. Paruulum occidit inuidia. Aliud est negligentia, quæ Dei maledictionem incurrit. Hierem. 48. Maledictus qui facit opus Dei negligenter. secundum aliam litteram. Aliquando etiam in claustris contingit vt qui spiritu feruebat, tepidus & remissus fiat: & sic bona quibus abundat amittit. Prouerb. Egestatem operata est manus remissa. Et 18. Qui mollis est & disso. in o. s. &c. Et nota quòd mollis est qui cedit circunquaque. Dissolutus est qui nullo vinculo amoris ad bonum opus alligatus est. Egestas sequens remissionem, significata est in somno Pharaonis. Genes. 41. Qui primo vidit septem boues pulchras & crassas nimis: & totidem confectas macie. &c. Circa modum suscitationis duo occurrunt, scilicet: Suffragium orationis: de quo petendo dat nobis exemplum in Pharaone, Exod. 8. dicens, Ego dimittam vos, vt sacrificetis, &c. & subditur, Rogate pro me. Et Saul Samueli, 1. Regum 15. Nunc porta quæso peccatum meum. & Actu. 8. Precamini vos pro me ad dominum: dixit Simon Magus. & Actuum 12. Petrus autem seruabatur in carcere: oratio autem fiebat quotidie, &c. Specialiter bonus pastor debet orare pro grege. Roman. 1. Testis est mihi Deus cui in spiritu meo seruio. &c. quòd sine intermissione memoriam vestri faciam. Secundo separatio à turba, quæ valde est necessaria illi qui vult saluare animam suam. Tob. 3. Tu scis domine, dixit Sara, quia nunquam cum ludentibus miscui me: neque cum his qui in leuitate ambulant participem me præbui. Sen. Socrati, Ciceroni, & Lælio honestatem excuteret dissimilis multitudo. Hieronym. Nihil adeo nociuum est bonis

moribus

moribus, quam in aliquo ſpectaculo reſidere. Iob 39. de bono clauſtrali. Contemnit multitudinem ciuitatis. Tybicines intelligi poſſunt maliciæ ſuaſores vel carnales illecebræ: quæ & per ſyrenes deſignantur. de quibus Ouidius,

Syrenes ſunt monſtra maris,quæ voce canora,
Quaſlibet admiſſas detinuere rates.

Et Eſaiæ 14.Et ſyrenæ in delubris voluptatis. Perſuaſores etiam maliciæ per fiſtulam Mercurij intelliguntur, qua ſopiuit Argum cuſtodientem vaccas.De quo Ouidius,

Centum luminibus cinctum caput Argus habebat.

Et ſignificat virum circumſpectum qui plerunque huius decipitur.Vel tybicines ſunt adulatores.de quibus Ezech. 13. Væ qui conſumit puluillos ſub omni cubito manus. Turbam & tybicines Ieſus excluſit: quia doctrina eius impedimentum boni: & occaſiones peccandi præſtitit. Admiſit etiam Petrum, Iacobum & Ioannem, in quibus virtutes clauſtralibus neceſſariæ maxime ſignificantur, ſcilicet in Symone Petro obedientia. Ad Epheſ. vltim. Filij obedite præpoſitis veſtris.In Iacobo,qui lucrator interpretatur, ſignificatur virtus patientiæ qua contra tribulationes luctamur. Prouerbior. 16. Melior eſt patiens viro, &c. In Ioanne qui erat diſcipulus quem diligebat Ieſus, charitas. Eccleſiaſt. 25. In tribus beneplacitum eſt ſpiritui meo, quæ ſunt probata coram Deo & hominibus. Concordia fratrum, &c. Pater & mater admiſſi ſunt.

Neceſſaria ei ſunt in clauſtro, Et paterna diſciplina, & materna vbera.vnde quidam,Verbera patris habes: vbera matris habes.Ber. Erudimini qui iudicatis terram. Diſcite vos ſubditorum matres debere eſſe,non dominos:ſtudete magis amari, quam metui.Et ſi interdum ſeueritate opus eſt: paterna ſit,non tyrannica. Patres corripiendo: matres fouendo vos exhibeatis.Manſueſcite:deponite feritatem: ſuſpendite verbera: producite vbera. In hoc vero quòd

emorroissa citius sanatur quã filia suscitetur, significatur quòd difficilius conuertuntur mali claustrales, quam seculares:quia minus humiles. Quantum enim aliquis distat ab humilitate:tantum & à salute. Itẽ notandum quòd septem facta sunt ad suscitationem huius puellæ quæ possunt valere ad instructionem. Primum est quòd dominus turbam adesse noluit. Turba enim multos à bono impedit. Ecclesiasti. 18. Ne oblecteris in turbis nec in modicis. Assidua enim est commissio illorum. Quidã philosophus interrogatus quid esset inimicissimum homini, respondit, Alter homo. Quidã senex in vita patrũ, Quando Moyses intrabat nubem, cum deo loquebatur. Quando exibat, loquebatur cum populo. Sic monachus quando in cella est, loquitur cum deo:quando egreditur loquitur cum dæmonibus. Secundum est quòd tybicines inde eiecit:per quos significantur laudatores. Ecclesiasti. 20. Qui edunt panes illius, falsæ linguæ sunt. Oseæ 7. In malicia sua lætificauerunt regem:& in mendaciis suis principem. Esa. 3. Popule meus qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt. Prouerb. 27. Qui benedicit proximo suo voce grandi de nocte consurgens, maledicenti similis erit. Nox est, vita temporalis. Tertium est, quòd flentibus dixit, Quid turbamini & ploratis? Innuens illos qui flent in morte amicorum suorum debere dirigere intentionem suam. Sunt qui potius vidẽtur plorare seipsos quam amicos mortuos: vt qui plorant pro damno quod eos sequitur ex morte amicorum:cum lachrymæ illæ potius deberent esse cõpassionis. Compati enim deberet amico qui recedit solus & nudus. Iob 1. Nudus egressus sum de vtero matris, &c. Timere debet ne hostes sui eum sequantur, scilicet peccata. Apoc. 14. Opera eorum secuntur illos. Item, Ne dæmones qui eum expectant, in eum potestatem habeant. Vnde beatus Martinus diabolo expectanti ait, Quid hic stas cruenta bestia? Nihil in me funestum reperies. Compati etiam debet de hoc quòd transit ad regionem ignotam: & quòd tot & tantas contumelias intulit domino illius regionis: super quibus nescit adhuc eum esse placatum. Quartum est quòd dixit puellam non esse mortuam: sed dormire. Fideles enim mortui dormiunt:& qui amicos dei occidunt occasionem dormiendi somno quieto eis conferunt. Iohan. 9. Qui credit

dit in me:etiam si mortuus fuerit, viuet. Glosa, Credens etiam mortuus viuit: sicut non credens viuens mortuus est. Quis fatuum non reputet eum quem lugere videret eo quòd amicus suus dormit? Sic est fatuum lugere de morte amicorum dei. Quintum est quòd manum puellæ tenuit. In quo significatum est quòd qui vult spiritualiter suscitari manum debet ponere in manu dei. Psalm. Tenuisti manum dex.m.& in volunt.t. d.me. Manum tuam dominus tenet, si eã à peccato cohibes: si pauperi eam libenter extendis: si firmiter ad voluntatem eius operari proponis. Et hoc firmum propositum requiritur ad hoc quòd aliquis spiritualiter suscitetur. Sextum est quòd præcipit puellæ, Surge. Eph.5. Surge qui dormis, &c. Tunc anima surgit: cum torporem negligentiæ à se excutit: cum ad celestia se erigit: & cum in homine dominium sibi vẽdicat. Septimum est quòd iussit ei dare manducare. Quod fecit, vt esset indicium veræ suscitationis. Quidam magicis artibus videntur suscitare mortuos, ponendo caracteres sub ascellis, & faciunt eos ambulare & confabulari: sed non possunt facere vt manducent. Iussit ei dari manducare, vt dicit Ambrosi. ad testimonium vitæ: vt non fantasma, sed veritas crederetur. Item ad ostendendum quòd spiritualiter suscitari pane spirituali indigeant. Paruulis enim frequens cibus necessarius est: alioquin deficiunt. Quæ minus habes hic de hysto. require Marc. 5. & Luc. 8. In hoc quòd prius emorroissa sanatur quam filia archisynagogi suscitetur, significatur quòd prius homo sanetur quo ad carnalia vicia: quam quo ad spiritualia. Ecclesiasti. 25. A muliere initium factum est peccati. Sic à muliere, idest à carne inchoanda est sanatio. vnde in glosa super Matth. 4. dicitur, quòd in pugna Christi prius contra gulam agitur. Quia nisi hæc prius refrenetur: frustra contra alia vicia laboratur. Et exiit fama hæc in vniuersam terram illam. Luc. 8. dicitur quòd præcepit ne dicerẽt. Quod factum est propter duo, scilicet, Propter mysteriũ: quia secreta culpa, secreta indiget pænitentia. Ecclesiasti. 7. De negligentia purga te cum paucis. Publica vero culpa, publica indiget pænitentia. 1. Tim. 5. Peccantẽ corã omnibus argue. &c. Item propter exemplum, vt in magnis factis doceat fulgere gloriam. Ecclesia. 9. Non zeles gloriã, &c.

Dominicæ xxv. post trinitatem,

Sermo de eodem.

CVm subleuasset oculos Iesus, & vidisset quia multitudo maxima venit ad eum,&c.Ioannis 6.

Require de hoc euangelio in media quadragesima. Bis legitur in anno.

FINIS.

Laus Deo.

QVAESTIO ADIVNCTA AD communem vtilitatē prædicantium: per Fratrem Bernardum de Croso, sacri ordinis Prædicatorum: in sacra Theologia doctorem: & Pœnitentiarium S. D. N. Papæ in sede Auinionensi.

Voniam tēporibus nostris multa scandala vidimus & audiuimus facta à quibusdā indoctis qui insurgere conati sunt contra approbationem apostolicam circa articulū de animabus totaliter relaxandis à pœnis purgatorij per remissionem plenariam eis cōcessam in modum suffragij: Ne in futurum talia scandala contingant,& vt veritas cunctis pro sacra ecclesia zelantibus appareat, dignum duximus in calce horum sermonum, quos impressioni dedimus adiungere elucidationem præfati articuli, parum de nostro addendo vel apponēdo: sed ex verbis doctorum antiquorum & modernorum veritatem elucidare curauimus in hunc qui sequitur modum.

Vtrum papa possit ex plenitudine clauis iurisdictionis relaxare totam pœnam per remissionem plenariam concessam in modum suffragij animabus, quæ de facto sunt in purgatorio. Pro decisione quæstionis, Primo declarabimus quomodo intelligendum sit per modum suffragij. Secundo decidemus quæstionem. Tertio opposita argumenta clarissimè soluemus.

Circa primum notandum quòd per modum suffragij non est intelligēdum quòd modus suffragij tollat efficaciam indulgentiarum, ita quòd opus illud pro quo dantur

indulgentiæ factum pro animabus,quando papa expresse declarat quòd intendit dare pro animabus, non plus valeat animabus,quàm si idem opus vel suffragium factum esset pro eis nullis indulgentiis adiunctis sicut quidam intelligere voluerunt.Sic enim frustra daretur indulgentia pro animabus:nihil enim proficeret,nec aliquid suffragio impenso superadderet,& per huiusmodi indulgentiarum concessionem populus deciperetur,quòd de ecclæsia & de sede apostolica est nullatenus præsumendum. Sed dicendum est quòd modus suffragij excludit modum iudiciariæ potestatis, qui dicit iudicialem absolutionem & pænæ debitæ in aliā pænā voluntariè ac deuotè assumptā commutationem. Et ille modus iudiciariæ auctoritatis tamen habet locum in viuis,qui iudicialiter absoluuntur, & quibus pæna debita in aliam voluntarie ab eis ac deuote assumptam commutatur:vt dicit Alexāder de Ales parte quarta,quæst.83.& sanctus Bonauentura in 4.dist.20.q. 5.Viui enim duntaxat assumunt voluntarie opus illud vt puta peregrinationem,eleemosinam, orationem, contributionem ad opus salutare,vel aliud huiusmodi, pro quo dantur indulgentiæ.Cum autem huiusmodi opus defuncti adimplere non possint dum illud si pro eis ab alio iam opus alterius suffragatur eis vt possint consequi indulgentias non minus quàm si ipsi defuncti per se opus illud impleuissent.Et ita indulgentiæ proficiunt eis per modum suffragij,idest propter aliquod opus ab alio factum & eis per modum suffragij applicatum. Sicut cum papa dat indulgentias omnibus contra infideles pugnātibus, aut pro ædificatione ecclesiæ sancti Petri de vrbe certam quantitatem pecuniarum largientibus. Tunc pugnantes vel certam pecuniam secundum taxam in bullis expressam dantes ad opus pium vel gloriam sanctorum, sicut in reparatione ecclesiarum,assequuntur indulgentias per modum iudiciariæ auctoritatis.Et defuncti per modum suffragij si papa exprimat quòd intendit remissionem plenissimam aut plenariam valere defunctis dum modo viuentes faciant pro ipsis suffragia in bullis expressa.

Secundo Notandum quòd quidam videntur tenere quòd papa habet iudiciariam potestatem super eos qui sunt in purgatorio. Vnde dicit sanctus Bonauentura, Si

quis

quis contendat vicarium Iesu Christi habere iudiciariam potestatem super eos qui sunt in purgatorio: non est ei multum resistendum, dummodo hoc dictet ratio vel auctoritas manifesta. Sana enim fide hoc tenendū est quòd dominus suo vicario plenitudinem suæ potestatis contulit, & tantam quantam decebat puro homini dari ad ædificationem corporis, sui quod est ecclesia. Hæc Bonauen. Cui alludit auctoritas Chryso. super illud Matth. 16. Tibi dabo claues regni cælorum. Quem allegat Alexander vbi supra. Homini mortali cæli & terræ, & omnium quæ in eis sunt commisit potestatem deus, & ecclesiam validiorem cælo demonstrauit. Et subdit Alexāder, Ex hoc patet quòd in collatione clauium, maxima fuit summo pontifici collata potestas. Et probabiliter vel verissime præsumimus, quòd thesaurus ecclesiæ est in illius potestate. Et quòd illis qui sunt in purgatorio, quia ratione charitatis in qua decesserunt, sunt idonei ad beneficiorum ecclesiasticorum susceptionem, potest illis beneficia communicare: & sic potest illis facere indulgentiam & relaxationes.

Respondendum est igitur per talem conclusionē: Summum pontificem dei vicarium posse dare per indulgētiam relaxationem penarum in totum vel in partē illis qui sunt de facto in purgatorio: quam amici viuētes defunctis per modum suffragij lucrantur iam non velut opinionem sed sententiam certam amplecti debere existimo. Hæc conclusio probatur tripliciter. Auctoritatibus doctorum: ratione sancti Thomæ: & ecclesiæ approbatione.

Primo auctoritate sancti Thomæ doctoris angelici, sancti Bonauenturæ, Alexandri de Ales, Egidij Durandi, Petri de Tarantasia, Ricardi de Media villa, Thomæ de Argentina, Augustini de Ancona, & magistri Gabrielis Biel, moderni, super canone lec. 57. Videat igitur lector doctores prēallegatio in locis suis: & intellectum suum de prædicta conclusione illuminabit.

Secūdo probatur ratione sancti Thomæ in quarto scripto. distin. 45. quæst. 6. articulo secundo dicētis, Non enim est aliqua ratio quare ecclesia possit transferre merita cōmunia, quibus indulgentiæ innituntur, ad viuos & non ad mortuos. Et adducit talem rationem, Meritum totius ecclesiæ est efficacius merito vnius personæ. Sed meritum

perso

personale suffragatur defunctis: ergo multo fortius ecclesiæ meritum, cui innituntur indulgentiæ.

Præterea prosunt existentibus de foro ecclesiæ: sed existẽtes in purgatorio sunt de foro ecclesiæ: alioquin ecclesiæ suffragia eis non prodessent.

Tertio probatur ecclesiæ cõsuetudine. Consuetudo ecclesiæ dum facit prædicare crucem, concedit quòd viuentes possunt assumere crucem pro vna vel pluribus animabus defunctorum, quod esset deceptio, nisi mortuis prodesset, & non solum in fauorem cruciatæ dantur: sed pro aliis rationabilibus causis, sicut patebit infra. Quòd dentur in fauorem cruciatæ patet in bulla data per sanctissimum d. Leonem 10. pacis totius christianitatis vigilantissimum mediatorem & deffensorem, pro quo instanter oramus vt feliciter perseuerãdo videat dies Petri & vltra. Tenor remissionis plenariæ in dicta bulla cruciatæ animabus concessæ talis fuit. Ac præterea vt etiam illorum fidelium animarum salus quæ aliorum egent suffragiis & sibi proficere nequeunt, procuretur: de diuina misericordia & apostolicæ potestatis plenitudine animabus in purgatorio existẽtibus, quæ per charitatem ab hac luce Christo vnitæ decesserũt, & quæ dũ viuerent vt sibi indulgẽtia huiusmodi suffragaretur meruerint, & pro quarũ singulis singulos decem solidos similes pro expeditionis eiusdem subuentione per quoscunque in regnis, dominiis, terris & locis prædictis erogari cõtigerit, quòd plenaria indulgẽtia huiusmodi pro plenissima relaxatione pœnarũ quibus in purgatorio igne secundum diuinam iusticiam sunt expositæ, suffragetur: Concedimus per præsentes. Hæc ibi. In simili forma etiam fuit concessa plenissima remissio ipsis animabus purgatorij per sanctissimum dominum papam Iuliũ secũdũ, in fauorem fabricæ basilicę principis apostolorum de vrbe, & per dictũ S. dominũ Leonem decimum confirmata, ac fratribus minoribus de obseruantia in pluribus prouinciis dictarum bullarũ publicatio per dictos S. pontifices fuit concessa. Similiter sixtus papa quartus declarauit indulgentias proficere per modum suffragij animabus in purgatorio existẽtibus, dum ad ipsas per summum pontificem expresse extenduntur. Hinc & dominus innocẽtius octauus indulgẽtias huiusmodi olim per Piũ

secundum

secũdum & Sixtum præfatum, visitantibus ecclesiam Xantonensem & fabricæ eius contribuentibus, ad animas à purgatorio redimendas extendit. Similiter Calixtus papa tales indulgentias dedit in Hispania ecclesiæ Tirasnẽsi. Sic & Paschasius quintus dedit indulgentias plenarias per modum suffragij animabus in purgatorio quas vndecim summi pontifices confirmauerunt, vt legitur in littera autẽtica in introitu capellę ecclesiæ sanctę Praxedis de vrbe, in qua continetur colũna ad quã saluator noster in domo Pilati ligatus fuerat & flagellatus. Itẽ summi põtifices derũt plenarias indulgẽtias pro animabus in purgatorio visitãtibus ecclesiã beati Laurẽtij extra muros vrbis in hũc modũ. Quicũque singulis quartis feriis totius anni dictã ecclesiam deuotè visitauerint pro anima patris aut alterius existentis in purgatorio, dicti summi pontifices dant remissionem plenariam animæ per modum suffragij, pro qua ecclesia ipsa modo prædicto est visitata.

Tertio diximus quòd argumenta in oppositum clarissime soluentur. Arguunt aduersarij sic, Ecclesia & papa negligenter agerent in tam crebris indulgentiis temporibus nostris concessis, non extendendo illas ad animas defunctorum per conuenientes clausulas bullis inserendas, de qua tamen tanquam de pia matre præsumendum non est quòd ità obliuioni traderet filios suos defunctos, maxime cùm non esset certior modus liberãdi animas à purgatorio, quã per indulgentias plenarias. Sicut enim viuus qui consequitur indulgentias plenariæ remissionis, si moritur sine recidiua euolat ad cœlum, vt dicunt doctores: ita defunctus detentus in purgatorio, si pro eo indulgentias plenariæ remissionis quis consequeretur, simpliciter liberaretur. Præterea in omni genere suffragiorum apud beatum Augustinum, & Gregorium nulla fit mentio de indulgentiis: sequitur ergo oppositum conclusionis.

Ad primum & ad illud quod allegatur quòd in genere suffragiorum apud beatum Augustinum & Gregorium non fit mentio de indulgentiis: respondetur quòd thesaurus ecclesię cũ multa discretione dispẽsandus est ad ecclesiæ vtilitatem. Vnde maioribus ecclesię necessitatibus maiores indulgentiæ reseruantur: ita quoque defunctis suffragia impẽndenda sunt, vt per hæc viuis occasio non detur

tur desidiæ & abiiciendi onera satisfactionis propriæ. Homines enim tardi essent ad opera satisfactionis si passim darentur indulgẽtiæ plenariæ pro animabus, cum per eas liberarentur: omitterent opera satisfactionis quod foret magnũ malum viuentibus, cùm per hoc priuarentur præmio essentiali æterno correspondẽte operibus satisfactionis: quod est maius malum, quam pati quancunque pœnam temporalem.

Et quòd additur de beato Augustino & Gregorio, dicẽdum quòd ante tẽpora prædictorum sanctorũ doctorũ modicus vel nullus fuit vsus indulgẽtiarum. Nunc autem crebrescit earum vsus: quia sine dubio ecclesia habens spiritum sponsi sui Christi, & ideo non errans, singula prout expedit tẽporibus suis distribuit mota & illuminata à spiritu dei, qui nouit tempora quæ pater in sua posuit potestate: quorum mysteria indagare non sufficimus, dicente filio, Non est vestrum nosce tempora & momenta, quæ pater posuit in sua potestate. Actuum primo.

Possumus tamen coniicere aliquas causas cur magis modo, quam olim vsus indulgentiarum crebrescit. Prima est quia in ecclesia primitiua calescente adhuc recenter effuso sanguine Christi, homines feruidi sanctissime vixerunt: & si quandoque humana ex fragilitate ceciderunt, magnam egerunt pænitentiam, vt patet in sanctis martyribus, & in libro vitarum patrum, & in legendis sanctorũ. Idcirco indulgentiis non indigebant. Secunda causa est, Vt timor transgressionis mandatorum dei induceretur in conuersos fideles graues penitentiæ iniungebantur: & pœnæ. Sicut patet de Saphira & Anania marito eius: qui propter mẽdatium statim subitanea morte correpti sunt, vt habetur Actuum 5. vnde magnus timor cecidit in ecclesia. Fuerunt & homines proni ad suscipiendum & agẽdum condignos fructus pœnitentiæ, secundum exortationem Ioannis baptistæ. Matt. & Lucæ 3. Idem tunc non fuit necessarius nec conueniens indulgentiarum vsus. Nunc vero tepescente charitate in his vltimis temporibus nec satisfactiones condignæ iniunguntur, nec modicæ iniunctæ perficiuntur: ideo valde necessarius est copiosus indulgentiarum vsus, vt quod per accidiam deficit, per aliorum

suffragia

suffragia suppleatur. Sic cum viuentes tepidi sunt ad iuuãdum animas per satisfactionis opera cõdigna: decens est & nunc indulgentias ad eas extendere, vt non careant beneficio auxiliorum. Vnde de hoc arguit Alexãder de Ales ad propositum dicens, Pater misericordiæ omnibus prouidet secundum ordinatissimam dispositionem & misericordissimam suam pietatem. Sed recta ordinatio charitatis quæ exigit vt vnus ab alio possit iuuari, hoc maxime exigit circa eos qui se iuuare non possunt. Si ergo hominibus in hoc seculo, cum indigent auxilio, prouidet deus de auxilio per indulgentiam ecclesiæ conferendam: cum illi de purgatorio indigeant auxilio & se iuuare non possint, videtur quòd de indulgentia eis conferenda maxime prouidere debuit, maxime eo tempore quo alia auxilia negligentius impenduntur. Non ergo pia mater ecclesia negligens fuit circa filios suos defunctos non semper nec frequenter indulgentias huiusmodi impartiendo: sed ordinate eas distribuit vt vtrisque conuenit viuentibus & defunctis, prout tempus & conditio exigit, & prout regitur directione spiritussancti.

Secundo arguunt sic, Forum ecclesiæ ligandi & soluendi tantum extendit se ad viuentes in terris dicente domino apostolorum principi Petro, Mat. 16. Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis. Ergo indulgentiæ ex vi indulgentiæ non valẽt defunctis: quanquam opera illa bona pro quibus indulgentiæ conceduntur, possint valere defunctis sicut alia opera bona & meritoria si eis applicantur: non tamen plus valent propter indulgentias, nec minus quam si nullæ indulgentiæ essent concessæ, igitur conclusio falsa.

Ad istud secundum argumentum respondetur secundũ Alexandrũ de Ales quòd super terram esse dicuntur quantum ad solutionem & ligationem, quousque fiat reductio siue ingressus in regnum: vt pote dum animæ temporalibus & terrenis iuuantur suffragiis. Item animæ in purgatorio dicuntur esse super terram, quia sunt de ecclesia militante & nõ triumphante: & sicut hi qui sunt in terra sunt in via & non in termino, ita existentes in purgatorio sunt in via & non in termino. Sunt enim in transitu ad patriam

quantum

quantum ad purgationem qua purgantur per pœnam per quam velut per viam trāſeunt ad patriam, licet ſint in termino quantum ad confirmationem, quia amplius peccare non poſſunt nec mereri. Etiam ſi conceditur quòd non ſunt ſupra terrā ſimpliciter ſunt tamē ſuper terram quantum ad abſolutionem à pœnis: quia hoc meruerunt exiſtentes in terra, à qua deceſſerunt in charite, vt ſcilicet illis indulgentiæ & cetera applicati poſſint eccleſiæ ſuffragia. Sūt ergo in terris quantū ad ſuffragia eccleſiæ & indulgētias quæ eis cōmunicari poſſunt. Et ita ſunt de foro eccleſiæ ratione meriti quo meruerunt in terris vt iuuari poſſint, licet ſecūdum ſtatum præſentem non ſint de foro eccleſiæ ad aliquid de nouo merendum. Item ſunt de foro eccleſiæ propter delictum. Nam quilibet reus ſortitur forum ratione delicti quocunque ſe transferat, etiam extra locum in quo commiſit delictum. Remanet ſemper quantum ad delictum ſub iuriſdictione domini in cuius dominio deliquit, ad quem ſpectat eum propter tale delictum punire vel pænam remittere 3.q.6.cap.vlt. ſcilicet Qui crimen. Et ideo poteſt papa remittere pænam exiſtentibus in purgatorio debitam peccatis in terra commiſſis. Non tamen poteſt ſimili ratione abſoluere exiſtentes in inferno à pænis peccatorum in terra commiſſorum: quia illi non ſunt capaces remiſſionis, quia charitate nudati in peccatis ſunt obſtinati. Manente autem peccato in volūtate, non poteſt tolli pæna peccato debita. Vel dicuntur eſſe ſuper terram quantum ad forum miſericordiæ & ſi non quo ad forum iuſticiæ. Item quia virtute clauium eccleſiæ dum exiſterent ſuper terram, fuerunt obligati ad ſuſtinendum pœnam temporalem hic vel in purgatorio ſoluendam. In quam in confeſſione fuit eis commutata pœna æterna: ideo licet nunc non quo ad omnia ſint de foro eccleſiæ: tamen quantum ad ſolutionem pœnæ ſunt de foro eccleſiæ, & etiam poſſunt ſolui de theſauro eccleſiæ. Quidam etiam tractantes auctoritatem Chriſti, Quodcumque ſolueris ſuper terram. dicunt quòd illa additio, ſuper terram, poteſt determinare hoc pronomen, tu, incluſum in verbo ſolueris: & tunc eſt ſenſus, Quodcumque tu Petre exiſtens ſuper terram meus vicarius ſolueris, erit ſolutū & in cœlis, id eſt approbabitur à me in cœlis claue,

ſcilicet

ſcilicet non errãte. Alio modo poteſt determinare quodcumque: & tunc eſt ſenſus, Quodcumque ſolubile ſuper terram exiſtens tu Petre ſolueris,illud erit ſolutum in cœlo.& vterque ſenſus verus eſt etiam referendo ad animas in purgatorio. De primo ſenſu manifeſtum eſt quòd Petrus exiſtens in terra per modum ſuffragij ſoluit animas in purgatorio. De ſecundo etiam ſenſu patet quia & papa ſoluit animas quæ ſunt ſuper terram , quantum ad meritum & forum:& tales ſunt animæ in purgatorio. Poſſet etiam breuiſſime dici quòd auctoritas illa loquitur de ligatione & ſolutione per modum iudicialis auctoritatis: non autem de ſolutione per modum ſuffragij quomodo ſoluit Papa animas in purgatorio, & illo modo poteſt aliquis ſoluere, bona communicando ei qui non eſt de ſua iuriſdictione.

Tertio arguitur ſic,Papa non habet ligare animas exiſtentes in purgatorio:ergo nec ſoluere, cùm vtraque auctoritas coniunctim eſt tradita.

Ad iſtud tertium argumentum reſpondetur ſecundum Alexandrum , quòd verum eſt antecedens, niſi ex aliqua cauſa ſpeciali meruerit aliquis eiectionem à liminibus eccleſiæ , & ita ſubtractionem ſuffragiorum. Conſequentia tamen non valet & eſt ratio quia animæ dum viuerent in corpore , non meruerunt vt ligari poſſent poſt mortem: meruerunt autem vt iuuari & ſolui poſſent poſt mortem, & tunc non eſt tempus ligandi ſed ſoluendi.

Quarto arguitur ſic,Papa poſſet quem vellet liberare à pœnis purgatorij,& euacuare totum purgatorium ſi concluſio reſponſalis eſſet vera: quoniam ſemper inueniret cauſas rationabiles dandi indulgentias ita pro defunctis ſicut pro viuis: puta beneficia & auxilia impendenda neceſſitatibus eccleſiæ, cultui diuino augmentando, hoſpitalibus, pauperibus: & ſic de aliis quæ reputantur cauſæ ſufficientes indulgẽtias largiendi. Ad quartum reſpondetur quòd ſicut dicit ſanctus Thomas & Bonauentura, ad hoc quòd indulgentia valeat requiritur cauſa rationabilis, & diſpenſatio bonorum eccleſiæ cum moderamine & diſcretione faciẽda eſt:alioquin niſi diſcretè fiat,Deus non acceptabit. Quia ipſe pater miſericordiarum ſic miſeretur , vt ſemper velit timeri ſuam iuſticiam. Præterea

indulgentiæ non dantur nisi propter aliquod opus pium & vtile ecclesiæ quod necesse est fieri per viuos pro defunctis vt extēdat se ad defunctos. Vix autem vel nunquam à viuis tot pietatis opera fierent, vt per ea omnes animæ in purgatorio existentes à pœnis euolarent. Si tamen ita fieret per viuos, nullum inconueniens est per indulgentias euacuari purgatorium sicut per cætera suffragia ecclesiæ intantum multiplicata quòd sufficerent pro redemptione animarum omnium in purgatorio pœnas soluentium. Non ergo quascunque vult Papa de purgatorio liberat: sed eas pro quibus fit opus pium pro quo indulgentię conceduntur. Et si semper inuenit causas rationabiles dandi indulgentias, potest semper eas dare, nec tamen sic euacuatur purgatorium, quia non semper proni sed desides sunt viui ad agendum pia opera pro defunctis. Et vtinam tantus esset in viuis feruor charitatis, vt suis suffragiis animæ omnes de purgatorio tollerentur.

Quinto arguitur ex determinatione concilij Vienen. sicut habetur in clementinis de pœnitentiis & remissionibus lib.5.c. Abusionibus. vbi dicit Clemens quintus hæc verba, Ad hæc cum aliqui ex huiusmodi quæstoribus sicut ad nostram audientiam est perlatum, non sine multa temeritatis audacia & deceptione multiplici animarum indulgentias populo motu suo proprio de facto cōcedant, super votis dispensent, à periuriis, homicidiis & peccatis aliis sibi confitentes absoluant, male ablata incerta, data sibi aliqua pecuniæ quantitate, remittāt tertiam aut quartam partem de pœnitentiis iniunctis relaxent, animas tres vel plures parentum vel amicorum illorum qui eleemosynas eis conferunt, de purgatorio, vt asserunt mendaciter, extrahāt & ad gaudia paradisi perducant. &c. Ex isto, sic arguunt, bene sequitur, Quæstores mēdaciter animas duas vel tres à pœnis purgatorij extrahūt: ergo nō liberātur animę à purgatorio per remissionē plenariā eis datā in modum suffragij: & per consequens abusus erit eas dare & lucrari, & sic vicarius Dei abusum facit in ecclesia Dei.

Ad quintum respondetur quòd quidam sutores mendatiorum, & ranæ inflatæ superficialiter hunc textum legentes & non masticantes neque intelligentes contra approbationem apostolicā circa hunc articulum per plures bullas

las nostris temporibus factam, ac contra prædicatores dicti articuli ausu temerario insurgere conati sunt, non sine graui scandalo vulgi qui iam nūc pro maiori parte huic sanæ apostolicæ determinationi discredit. Quare declarationem prædicti textus huic solutioni apposui. Respondetur igitur quòd quidā quæstores mendaciter animas duas vel tres à pœnis purgatorij extrahebant, pro eo quia motu suo proprio de facto concedebant, sicut expresse habetur in hoc textu: & ad hoc bullas apostolicas non habebant de his facientes expressam mentionem. Et sic si mēdaciter refertur ad omnes clausulas præcedētes & subsequētes cum illa determinatione quia motu suo proprio de facto concedebant. Sed si ad hoc bullas veras habeant facientes expressam mentionem de votorum dispensatione de absolutione à reatu homicidij, seu periurij, ac de restitutione male ablatorum incertorum, vel relaxatione animarum totali per remissionem plenariam, ac de remissione plenaria, quæ est eadem cum remissione à pœna & à culpa. Licet hæc locutio à pœna & à culpa, sit impropria, cùm solus deus principaliter remittat culpam: Iam non mendaciter dantur aut prædicantur aut lucrantur dictæ indulgentiæ sed veraciter. Et sicut viuentes lucrantes remissionem plenariam, habent remissionem totalis pœnæ, & si morerentur in illo statu statim euolarent in cælum: Ita animæ purgatorij pro quibus viuentes lucrantur remissionem plenariam, statim euolant cum habeant remissionem totius pœnæ, non manebūnt in purgatorio si non patiantur pœnam.

Sexto arguitur sic, Stulte fierent tāti sumptus in exequiis, ac labores in sacrificiis, orationibus, eleemosynis, ieiuniis, quorū quantitas effectuū incerta est cum per impetrationem indulgētiarū certe liberari possent & euolare in cęlū.

Ad sextum respondetur, Dicendum quòd neque stulte neque frustra fiunt suffragia defunctorum in sacrificiis, in orationibus, abstinentiis, ac eleemosynis: licet animæ pro quibus hæc fiunt, indulgentias plenarias consequerentur. In cuius rei signum etiam pro baptizatis in infantia defunctis non inutiliter exequiæ per sacraficij oblationes, & cetera fiunt. vnde Alexand. de Ales parte 4. q. 42. articu. vltimo, ait, Ecclesia instituit sacrificium altaris offerri debe-

re pro paruulis decedentibus in innocentia baptismali:de quibus constat quòd statim euolant: cuius multæ sunt rationes:scilicet conformitatis ecclesiasticæ cõseruatio: deuotionis fidelium & maxime parentum excitatio: beneficij redemptionis recordatio:cõnexionis paruulorum cum commembris corporis Christi mystici significatio: animarum purgandarum sarcinæ subleuatio: debitæ laudis diuinæ expressio. Vt enim cõformitas ecclesiæ in exequiis mortuorum conseruetur: vt deuotio fidelium & maxime parentum excitetur: vt beneficium redemptionis quod maxime locum habet in paruulis merito passionis saluandis rememoretur: vt connexio paruulorum cum commembris corporis Christi mystici significetur: ex hoc paruulorum exequiæ sicut ceterorum membrorum celebrantur: vt purgandarum animarum sarcina subleuetur: & vt debitum diuinæ laudis exprimatur: quæ scilicet saluatori exhibenda est, ex hoc quòd sine paruulorum meritis gratiæ suæ sinceritate saluantur: conuenit vt pro illis missarum solennia celebrentur:& salutaris hostia offeratur. Ex hoc enim quòd pœna animarum purgandarum illorum gratia mitigatur, & laus deo exsoluitur: & deuotio fidelium ad eorumdem meritum excitatur: accrescit paruulis materia gaudiorum. Hæc Alexan. Si ergo hæc pro paruulis nullis actualium peccatorum maculis fœdatis agenda sunt, de quorum beatitudine nullum relinquitur dubium: quantomagis omittenda non sunt pro adultis, pro quibus indulgentiæ plenariæ procurantur: vbi adhuc de earum liberatione à purgatorio aliquale dubium esse posset, non quin si indulgentiam participent plenariam, euolent: sed dubium esse posset an causa indulgentiarum sit ea quam deus approbat: an conferentis intentio sana sit & integra & nõ subdola ex simoniæ vitio vel auariciæ procedẽs: quæ licet non sint facile præsumenda, non tamen sunt vndequaque certa: nam claue errante potestas clauium debita caret efficacia. Denique & si certum foret defuncti animã indulgentiæ effectus consecutam esse: non ideo ex præmissis causis & rationibus omittenda sunt suffragia, sicut nec pro paruulis quorũ certa est saluatio: quia magis hic quam ibi dictæ militant rationes. Nam per hæc suffragia magis quam per indulgentias procuratas, laus & honor

redditur

redditur deo:fructus amplior accrescit subuenienti amico:& augetur cumulatius gloria accidentalis liberando. Manifestum est enim per missæ sacrificium:per orationes deuotas:per multiplicatas eleemosynas, & crebra ieiunia magis deum glorificari:cuius potestatem,misericordiam, iusticiam, benignitatem in his operibus ex charitate dei gloriam primo & principaliter: & secundario ad animæ liberationem exhibitis protestamur,quam per vnū solum opus contributionis ad sanctam cruciatam, vel ecclesiæ particularis ædificationem:vel pauperum in hospitali aliquo collectorum sustētationem.Sic etiam quia illa suffragia defunctis impensa per modum satisfactionis magis proficiunt facientibus viuis quam indulgentiæ defunctis acquisitæ,non sunt aliquatenus omittēda. Magis denique proficit animabus liberatio per suffragia satisfactoria charorum,quam per solas indulgentias concessas ex potestate clauium:nam per istas tantum tollitur pœna sed per satisfactoria charorum opera & pæna animarum tollitur & gaudium eis accidentale perpetuum cumulatur. Gaudent enim plurimum de profectu amicorum suffragia impendentium gaudent amplius de honore deo per huiusmodi suffragia exhibito: gaudent de auxilio ceteris animabus per huiusmodi suffragia impenso. Si quidem indulgentiæ alicui animæ acquisitæ ei tantum & non aliis proficiunt ad pœnæ mitigationem aut totalem liberationem. Nunquam autem suffragia fiunt pro vna sola anima:licet principaliter fiant pro vna. Semper enim in diuinis officiis, orationibus & ceteris suffragiis non pro vna sola fit sacrificium,oratio vel suffragium: sed etiā memoria fit omniū defunctorum in charitate decedentium. Siquidem ab omnibus orando additur,Et animæ omnium fidelium defunctorū requiescant in pace. Vnde magis proficit animabus liberari per opera satisfactionis, quam per indulgentias:licet per illa tardius,per istas citius liberentur: quoniam satius videtur ad tempus pœnam pati, quam gaudio accidentali perpetuo priuari. Quia tamen raro à viuis tot opera satisfactoria impenduntur quæ sufficiant ad animæ liberationem:ideo consultum est vt indulgentiæ dum pro animabus conferuntur, nullatenus negligantur. Nec propter indulgentias acquisitas cetera omittantur: quo-

niam & ſi animabus per indulgentiam liberatis non proficit ſatisfactionis ſuffragium ad pœnæ ſublationem: proficit tamen eis ad gloriæ augmentum, proficit aliis animabus propinquorum: vel generaliter omnibus ad pœnæ mitigationem: proficit facienti ad meritum gratiæ, & gloriæ augmentum: deo ad honorem. Cui laus & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Et hæc dicta ſint cum honore & correctione ſanctæ matris meæ eccleſiæ: in quam firmiter credo, & hæc dicta ipſi corrigenda committo.